~~459~~

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala 1
Estante 28
Tabla
Número 113

18.a.3.15.

Nº 1

de la compañia de Jesus del collegio de Granada R/ 6612

# ALPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI,

ORDINIS EREMITARVM DIVI AVGVSTINI,

*Theologi celeberrimi, ac Philoſophi acutiſſimi,*

In tres ARISTOTELIS Libros DE ANIMA Subtiliſsimæ QVAESTIONES,

*Nunc recèns in lucem editæ, exactiſſima cura recognitæ, & ab innumeris mendis repurgatæ.*

Quibus accedunt duo INDICES locupletiſsimi: Quorum alter Quæſtionum, Articulorumque ſingulorum librorum Capita indicat: Alter uerò nuper additus, totius Operis inſigniora quæque demonſtrat.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Ad Inſigne Stellæ Iordani Ziletti.
M D L X V.

# REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AC DOMINO MEO OBSERVANDISS. D. AEGIDIO PISAVREN.

Sacroſancti Sacrarij Pontificij Adminiſtratori uigilantiſsimo.

Chriſtophorus Amaronus Senenſis Auguſtinenſis familiæ Theologorum minimus: Gymnaſijq; Piſani Moderator indignus.

S. P. D.

NONDVM Beatiſsimi Maximiq; Pōtificis Pij IIII. S. ſacrario præfectus fueras (uirtutum decus, Aegidi Pater Optime) cum ego ingenioli mei literarium hoc Xeniolum humanitati tuæ dedicare propoſueram: uix equidem exprimere poſſem quātum ex huius. D. Alphonſi lectione ſumma cum delectatione me profeciſſe cognoſcam. Is enim & ſententiarum grauitate, & rerum tractatione adeo excellit, ut iure eum nemini ſecundum eſſe putem. Paucas profectò quæſtiones examinat, ſed eas adeo ſubtiliter, & accurate diſcutit, ut nihil ſit præterea requirendum. Quodq; mirabile eſt, adeo Peripateticorum mentem attingit, ut ne latum quidem unguem à Theologica ueritate diſcedat. Sed non mea eſt ſoli fulgentiſsimo ſplendorem addere: optimus enim quiſque nouit Alphonſum Toloſanū Doctorem eſſe acerrimum: id ipſum quæ ſuper ſententiarum primo ab eo ædita ſunt præcipue præter alia comprobat, unde meritò Antonomaſice ab omnibus dicatur Alphōſus in primo. Verum quæſtiones iſtæ ſuper libros de Anima in prima illa impreſsione uix legi poterant: nihil diſtinctum, nullis quotationibus opus ornatum, nullis textuum, opinionumq; allegationibus inſignitum, adeo ut non ſolum præ manibus non haberetur, ſed nec quiſquam domi eum habere uellet, qua de re cum abhinc quatriennīū Patauii Bachalaureus degerem, & acutiſsimi Doctoris huius ſubtiliſsimas ac prope diuinas queſtiones ſuper tres Ariſt. lib. de Anima rudes incultas, & mendis undiq; ſcatentes uiderem: tam preclarum opus in puluere iacere, corrodiq; à tineis plurimum dolens, periculum facere decreui an opera noſtra, & ab erroribus expurgatū, & politioribus typis excuſſum, additis etiam præcipuarum ſententiarum repertoriis quodammodo reuiuiſcere poſſet. Quod tametſi multis impeditus difficultatibus, ſerius perfeci, quàm uellem; attamen fortaſſe maturius nunc prodit in lucem. Nec ſola bonarum literarum cupiditas, ſed magnitudo tuorum erga me meritorum ſuſcepti laboris maxima cauſa fuit. accepti nanque beneficii memorem me, & gratum preſtare debeo. Quem inter cæteros quam plurimos (ut tui moris eſt) & antea, & ab eo tempore, ſemper & uerbis, & opibus ad optimarum artium ſtudia concitaſti, immo & in fidem tuam ſuſcepiſti, nec non & apud totius Almæ Religionis noſtræ Generalem Ampliſsimum Magiſtrum Chriſtophorum Patauum gratioſum reddidiſti. Qui, cum te tam doctrina, quàm uirtute prudentiaq; præſtantiſsimum uidiſſet, ſemper æque charum habuit, atque Darius Rex Perſarum charum Zopirum habebat. Qui (ut memorię proditū eſt) ob eius integritatem, & fidem, eum mallebat omnis deformitatis expertem, quàm centum ad eam, quā poſsidebat acquirere Babilonas. Quod ipſa officiorum cum multitudo, tum uero magnitudo, quibus in Religione noſtra fœliciſsime ſemper functus fuiſti, clariſsime teſtantur, donec Beatiſs. Pius IIII. Pont. Max. adhuc uiuēte felicis recordationis Io. Iacobo Iteranen. Reuerendiſs. Epiſcopo & Sachriſta Pontificio, te ad id muneris aſciuit, & in eo confirmauit. Quid plura? quanti te modo facit Sanctiſsimus Pius V. Pont. Max. quem Deus diù pro dilecti ſui gregis cuſtodia incolumen ſeruet? Nec me herclè immeritò apud hos Sanctiſsimos Patres ea es authoritate in ſenectute, qui ſemper gratiſsimus Illuſtriſsimo ac Excellentiſsimo tuo Piſauren. Duci Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Cardinali eius Germano extitiſti: ſilentio prætereo quanto te ſemper amore proſecuta fuerit Illuſtriſsima Domus Gonzaga, & nunc ferè totus Illuſtriſsimus & Reuerendiſsimus Cœtus Cardineus: en hæc ratio. Ea enim in his quæ tibi iniuncta fuerunt adminiſtrandis uſus fuiſti conſilii grauitate, prudentia, & fidelitate, ut quantum ad ea pertineat ſapienter nunc per te expedienda, Sanctiſsimus D. noſter, (ſicut olim Chriſtophorus Generalis Ampliſsimus) in utranque aurem dormire poſsit: unde tunc meritò mens, & oculus tam præſtantiſsimi Patris dici debueras. Sed faxit D. O. M. ut iuxta uirtutum, & meritorum ueſtrorum cumulum, & magnitudinem utrunque ueſtrum excelſiorem propediem uideamus. Interim uero fœturæ noſtræ primitias has, quas, non tam meas, quàm tuas eſſe cognoſco hilari fronte ſuſcipe, & ab obtrectatoribus tuere, ut quemadmodum flūmina eò unde exierunt reuertuntur: ſic & beneficentiæ liberalitatiſq; tuæ fructus ad te redeant ſtudiorum noſtrorum mœcenatem, & Parentem. Viue igitur fœliciſsime, & laborem noſtrum æquiq; boniq; conſule. Bene in Domino Vale. Ex Gymnaſio noſtro Piſano Nono Kal. Martij. M. D. LXVI.

# INDEX QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM, D. ALPHONSI TOLETANI, SVPER TRES ARISTOTELIS LIBROS DE ANIMA.

## Quæſtiones Libri Primi.


QVAESTIO prima. Vtrum ex nobilitate, & perfectione ſubiecti adæquati formaliter ſumpti arguatur de neceſsitate nobilitas, & perfectio habitus ſcientifici? pagina. 1. colum. 1

Articulus primus. Vtrum unitas ſpecifica habitus ſcientifici ſumatur ex unitate ſubiecti formaliter ſumpti? pagina. 1. colum. 2

Articulus ſecundus. In quo genere cauſæ ſe habet ſubiectum ad ſcientiam in ſpecificando eam. pag. 3. col. 1

Articulus tertius. Quod quærit quæſtio principalis. pag. 3. col. 2

Quæſtio ſecunda. Vtrum anima ſit ſubiectum in hoc libro? pag. 3. col. 2

Articulus primus. Vtrum ſit idem eſſe ſubiectum in ſcientia, & eſſe de conſideratione ſcientiæ? pag. 4. col. 1

Articulus ſecundus, Qualis adæquatio debeat poni inter habitum & ſubiectum. pag. 4. col. 2

Artic. III. Quod quærit quæſtio principalis. pag. 5. col. 2

Quæſtio tertia. Vtrum uniuerſale ſit uerum ens reale habens eſſe præter operationem intellectus, uel ſit tãtum ens rationis, habens eſſe tantum per operationem intellectus? pag. 6. col. 1

Artic. I. Vtrum unitas ſpecifica ſit unitas realis. pa. 6. col. 1

Articulus ſecundus. Vtrum ratio entis dicta in communi de Deo & creatura ſit una ratio realis? pag. 7. col. 2

Articulus tercius. Quod quærit quæſtio principalis. pag. 8. col. 2


## Quæſtiones Libri Secundi.


QVæſtio prima. Vtrum anima intellectiua ſit forma corporis humani? pag. 12. col. 1

Articulus primus. Vtrum materia poſsit exiſtere ſine forma? pag. 12. col. 1

Articulus ſecundus. Vtrum in uno compoſito poſsint eſſe plures formæ ſubſtantiales? pag. 15. col. 1

Artic. III. Quod quærit queſtio principalis. pa. 19. col. 2

Quæſtio, II. Vtrum anima intellectiua coniuncta corpori, extendatur extenſione corporis? pag. 21. col. 2

Artic. I. Quæ eſt ratio ſuſceptiua, ſeu receptiua quantitatis? pag. 22. col. 1

Artic. II. Vtrum aliquæ formæ ſubſtantiales extendantur extenſione corporis? pag. 25. col. 2

Art. III. Vtrum anima intellectiua ſit extẽſa, pa. 28. col. 2

Quæſtio tertia. Vtrum anima intellectiua diſtinguatur realiter à ſuis potentijs? pag. 31. col. 1

Artic. primus. Vtrum forma ſubſtantialis poſsit eſſe immediatum principium ſuæ operationis? pag. 31. col. 1

Artic. II. Vtrum anima uegetatiua realiter diſtinguatur à ſuis potentijs. pag. 32. col. 2

Artic. III. Quod querit quæſtio principalis. pa. 34. col. 2

Quæſtio quarta. Vtrum potentię animæ diſtinguantur inter ſe realiter? pag. 37. col. 1

Articulus primus. Vtrum inter extrema realia, quorum utrunque eſt res poſsit eſſe diſtinctio rõnis? pa. 37. col. 2

Artic. II. Vtrum diſtinguantur per obiecta? pag. 41. col. 1

Artic. III. Quod quærit queſtio principalis. pa. 46. col. 1

Quæſtio. V. Vtrũ potẽtię originentur ab anima? p. 48. col. 2

Articulus primus. Vtrum unum, & idem reſpectu eiuſdem poſsit eſſe actiuum, & paſsiuum? pag. 49. col. 1

Artic. II. Vtrum ſubiectum habeat aliquam cauſam effectiuam ſupra ſuas proprias paſsiones? pag. 50. col. 2

Artic. III. Quod quærit quæſtio principalis. pag. 52. col. 2

Quæſtio ſexta. Vtrum ſenſus ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia? pag. 53. col. 2

Artic. primus. Vtrum ſpecies, ſiue intentiones rerum ſenſibilium habeant in medio eſſe reale, uel tantum intentionale? pag. 53. col. 2

Artic. ſecundus. Vtrum ſit dare aliquem ſenſum agentem, qui habeat uirtutem aliquam effectiuam reſpectu talium ſpecierum? pag. 59. col. 1

Artic. III. Quod quærit quæſtio principalis. pa. 64. col. 1


## Quæſtiones Libri Tertij.


QVæſtio prima. Vtrum primo cognitum ab intellectu noſtro ſit aliquod uniuerſale? pag. 66. col. 1

Articulus primus. Vtrum primo cognitum ab intellectu noſtro ſit aliqua ſpecies ſpecialiſsima immediatè abſtracta à ſingularibus? pag. 66. col. 1

Articulus II. Vtrum obiectum adæquatum intellectus noſtri ſit quidditas rei materialis uel ens? pa. 68. col. 1

Artic. III. Quod quærit quæſtio principalis. pag. 75. col. 2

Quæſtio ſecunda. Vtrum intellectus agens ſit totalis cauſa effectiua actus intelligendi? pag. 77. col. 2

Articulus primus. Vtrum intellectus agens ſit aliquid animæ? pag. 77. col. 2

Artic. II. Vtrum intellectus agẽs ſit potẽtia aliqua animę noſtrę diſtincta ab intellectu poſsibili? p. 80. col. 1

Artic. III. Quod querit queſtio principalis. pa. 87. col. 2

Queſtio tertia, & ultima. Vtrum intellectus ſit nobilior potentia quàm uoluntas, uel econuerſo? pag. 92. col. 1

Articulus primus. Vtrum idem, ſub eadem ratione formali, ſit obiectum intellectus, & uoluntatis? pa. 92. co. 1

Articulus ſecundus. Vtrum beatitudo, qua formaliter homo beatificatur conſiſtat in actu intellectus, uel uoluntatis? pag. 103. col. 1

Articulus tertius, Quod quærit quæſtio principalis. pag. 112. col. 2


Indicis quæſtionum articulorumque ſuper tres Ariſt. libros de Anima Finis. Deo gratias.

# INDEX EORVM OMNIVM, QVAE IN HIS QVAESTIONIBVS SVPER TRES ARISTOTELIS LIBROS DE ANIMA SCITV DIGNA HABENTVR.

## A


ABSTRACTVM interdum ſumitur pro concreto. pag. 37. col. 1

Abſtractio per intellectum alicuius ab aliquo p̃ſupponit cognitionem illorum neceſſario, à quibus abſtrahitur 79.1

Accidẽtia quædam alio modo à ſubſtantia ſpecificantur 2.1

Accidens commune non diſtinguitur à proprio per ſubiectum, ſed per hoc, quod eſt oriri ex propriis principijs ſpecies 2.1

Accidens fluens non poteſt fundari in aliquo, niſi mediante aliquo accidente permanente 36.2

Accidens quodcunq; dicit aliquam actualitatem 14.2

Accidentia quædam ſequuntur compoſitum ratione materiæ, quędam ratione formæ 24.2.53.1

Accidens ſumitur dupliciter pro extraneo, & prout diſtinguitur contra ſubſtantiam 37.1

Accidentia non remanent eadem in corpore mortuo, & uiuo 21.1

Accidens aliquod nobilius eſt aliqua ſubſtantia 79.2

Actio immanẽs manet in agẽte quomodo intelligatur 62.1.81.2

Actio immanẽs fundatur ſubiectiue eo, ex quo cauſatur effectiuè 62.1

Actio immanens eſt perfectio agentis: quia manet in eo 61.1

Actio ſenſibilis in ſenſu ſecundum opinionem communem non eſt totaliter æquiuoca 61.2

Actio duplex, immanens, & tranſiens 49.2

Actiones ſunt ſuppoſitorum, quomodo intelligatur 50.1

Actus eſt qui ſeparat, id eſt, actus ſubſtantialis 12.1

Actus animæ ſunt in quadruplici differentia 41.2

Actus animæ diſtinguuntur formaliter ſeipſis per ſuas eſſentias 41.2

Actus animæ non ſunt propriæ paſſiones propriè loquendo 53.1

Actus erroneus contingit in intellectu 73.1

Actus animæ ſunt ei intrinſeci, & immanentes. 36.1

Actus non dependet ſubiectiuè à ratione receptiua; ſed à ſubiecto receptiuo 23.2

Actus eiuſdem rationis requirunt in ſuis receptiuis rationem receptiuam eiuſdem rationis 42.2

Actus incompleti, ſiue aptitudines ſecundum Iacob. Viterb. dicuntur rationes ſeminales 82.1

Actus animæ non fundantur in ipſo obiecto, nec ſũt ei intrinſeci 36.1

Cui repugnat actus primus eidem repugnat actus ſecundus 37.2.38.1

Actus oportet proportionari actiuis potentijs 81.1

An idem poſsit eſſe actiuum & paſſiuum 49.1

Actus duplex ſecundum Scotum, & Henricum Gand. formalis & entitatiuus 12.2

Actus entitatiuus confutatur 13.2

Actio agentis per ſe eſt poſitiua 85.2

Actus albedinis, nobilior eſt ipſa albedine 88.2

Actio immanens manet in agente; tranſiẽs uero trãſit in paſſum 90.1

Actiuum & paſsiuum non ſemper cõiunguntur loco, & ſubiecto 90.2

Actus uoluntatis nobilior eſt actu intellectus 108.2

Aegidius quid ſentiat de ſenſibus interioribus 65.2

Aeſtimatiua non ſolum comprehendit; ſed etiam intentiones ſenſibilium 65.1

Aeternitas in creaturis, appoſita bonitate, non dat magis, nec remota minus 101.1

Agere immediatè dicit perfectionem, in Deo; non autem in accidente 30.1.2

Agens quodlibet habet potentiam, per quam agit 32.1

Agens quodlibet aſsimilat ſibi paſſum 32.2

Inter agens & patiens debet eſſe contactus 32.1

Agens duplex in ſenſu 60.2

Agens quodlibet particulare, recipit influentiam ab agente uniuerſali 78.1

Agens uniuerſale, & æquiuocum debet eſſe magis diſtinctum loco, & ſubiecto 78.1

Agens, & patiens eſſe unum, & idem non eſt contra principia Philoſophiæ 81.1

Agens, & patiens debent proportionari quomodo intelligatur 33.2

Aggregatum, quamuis agat, & patiatur; non tamen eſt idem id, ſecundum quod agit, & patitur 50.1

Agit unumquodque per illud, quod eſt in actu 20.1

Albedo ineſt quantitati ſeparatæ, quæ eſt accidens permanens 37.1

Album, & nigrum, ut conueniunt in natura coloris non cauſant ſuas ſpecies in medio 63.1

Aliquid poteſt eſſe in actu uirtuali, & in potentia formali 88.2

Aliud eſt magnitudo & magnitudinis eſſe; quomodo intelligatur 70.1

Alphonſus, non aſſerendo; ſed arguẽdi gratia ſuſtinet opinionem de ſenſu agente 61.1

Amor duplex ſecundum Durandum 104.1

Amorem præſupponere cognitionẽ poteſt intelligi dupliciter 101.1

Anima non eſt ſubiectum in libris de anima 5.2

Animam intellectiuam eſſe formã ſubſtantialis hominis dubium fuit apud priſcos Philoſophos 19.2

Animam intellectiuam eſſe formã corporis humani probatur 20.1.2

Animæ intellectiuæ tenent medium inter formas omnino materiales & omnino immateriales 20.2

Anima non requirit diuerſitatem in partibus quatenus quanta, ſiue extenſa; quatenus perfecta inanimatorum 28.1

Anima eſt principium originans ſuarum potentiarum indirectè, & per modum cuiuſdam connexionis, & reſultationis 52.2

Animæ animalium perfectorum, quę diuiſa non uiuunt, nec per ſe nec per accidens ſunt quantæ 28.1

An anima intellectiua ſit extenſa ſicut & aliæ formæ 28.2

Anima reſpectu ſentire, & intelligere ſe habet aliquo modo actiuè, aliquo modo paſsiuè 81.2

Anima intellectiua quomodo quieſcat, & moueatur 30.1

Anima quomodo ſit in infinitis partibus 30.2.

Anima quomodo tota ſit in toto & & tota in qualibet parte 30.2

In anima oportet dari aliquam uirtutem ſuperadditam, ſi debet determinari ad aliquem actum 36.1

Anima quomodo ſit totalis cauſa intellectionis 91.2

Anima quomodo ſit totalis cauſa receptiua intellectionis 91.2

Anima quomodo ſe habeat actiuè, & paſsiuè reſpectu actus intelligendi 83.1

Anima eſt principium quo principale potentia inſtrumentale 34.1

Anima non informat partes ut quantæ; ſed magis ut naturales 30.2
Anima ubi eſt tota totalitate potentiali facit totum animali non autem ubi eſt tota totalitate eſſentiali 30.2
Anima uegetatiua,& ſenſitiua extenduntur, quatenus per ſe ſumuntur; non autem ut identificantur cum anima intellectiua 31.1
Appetitus ſenſitiuus ad quid datus eſt animalibus 104.1
Appetitus intellectiuus eſt uerò deus 114.1
Aptitudines inſtrumenti ſecundum Iacobum Viterb. ſunt aptitudines & potentiæ ſpeciales 82.1
Argumenta Iacobi de Appannis cõtra determinationem de operatione intellectus agentis 86.2
Argumenta contra opinionem Alphonſi de ſenſu agente 63.1.2
Attributa primæ cauſæ ſunt una, & eadem ſingularitas 93.2
Attributa primæ cauſæ ſecũdum Scotum formaliter differunt 93.2
Auguſtinus ponit tres uentriculos in cerebro 64.2
Auicenna ponit quinque ſenſus interiores ſicut exteriores 64.2

B

BEatitudo formalis poteſt dici ſummum amatum 110.2
Beatitudo ponenda eſt in actu uoluntatis,& non intellectus 110.1
Beatitudo formalis conſiſtit in delectatione de deo uiſo 111.1
Beatitudo maior eſt futura poſt iuditium, quàm antè 112.2
Beatitudo duplex, formalis,& obiectiua 103.1
Beatitudo alia creata alia increata 103.2
Beatitudo formalis conſiſtit in aliqua operatione una ſolius uoluntatis 105.1
Beatorum nullus poteſt Deum totum, & totaliter capere 74.2
Beati non poſſunt uidere Deum omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt 74.2
Beati uident Deum ſecundum magis,& minus 74.2
Bonum apprehenſum mouet uoluntatem 80.1
Bonum cognoſcitur ab intellectu,& ratio boni 100.2
Bonus quiſpiam dicitur dupliciter 107.1

C

CAuſa poteſt capi dupliciter 55.2
Cauſa formalis inter cauſas intrinſecas eſt ſolum ſpecificatiua intrinſecè 3.2
Cauſalitas animæ reſpectu actuum eſt intrinſeca 36.1
Cauſalitas obiecti ẽ extrinſeca 36.1
Cauſæ merè naturaliter concurrentes ad aliquem effectum cauſandũ uel producendum agunt quãtum poſsunt, quõ intelligatur 67.2
Cauſa totalis effectiua actus intelligendi diuerſimode ponitur à diuerſis 87.2.88.1.2.89.1
Conceptus primus, ad quem mouetur intellectus noſter eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſsimę ſecundum Scotum 66 1
Cõceptus indeterminatus ex illimitatione ſic eſt indeterminatus; quod tamen non eſt confuſus 76.2
Quanto aliquid habet conceptum magis confuſum tãto magis prius occurrit nobis 76.2
Cõceptus diuerſi de eadẽ re penitus indiſtincta haberi poſſunt 4.1
Cõfutatio opinionis Magiſtri Gerardi Sen. de diſtinctione actuũ 42.1
Confutatio opin. Gotfredi de potentijs animæ 40.1
Confutatio opin. Durandi de intellectu & uoluntate 48.1
Cõfutatio opin. de ſubiecto quomodo ſit actiuum, & paſsiuum 49.2
Confutatio opin. Magiſtri Gerardi Sen. de diſtinctione formali 98.1
Confutatio tertij modi dicendi de rationibus obiectalibus 99.1
Confutatio opin. Durandi de obiecto immediato fruitionis 105.1
Confutatio opin. D. Thom. de obiecto intellectus 68.1
Confutatio opin. Scoti de obiecto intellectus 70.2.71.2
Confutatio opin. Henrici 76.1
Confutatio opin. Bernardi de intellectu agente 78.2
Confutatio opin. Iacob. Viterbienſis 82.1.2
Confutatio opin. Gotfr. de operatione intellectus agentis 85.2
Cõfutatio opin. Aureoli,& Franciſci de Mayron. de diſtinctionib. 38.1
Confutatio opin. Communis de ſenſu agente 62.1
Confutatio opin. Scoti de primo cognito 66.2
Confutatio opin. Henrici de cauſalitate ſubiecti 51.1
Confutatio opin. D. Thom. de ſenſu agente an ſit potentia 80.1
Cognoſcibilium diſtinctio 68.1
Cognitio naturalis procedit de imperfecto ad perfectum 77 1
Cognitio duplex naturalis,& rationalis 75.2
Cognoſcimus Deitatem infinitam; ſed non infinitè 74.2
Cognitio immaterialiũ habetur per abſtractionem ab ipſis materialibus 71.1
Confuſa nobis ſunt prius nota quomodo intelligatur à Scoto 66.2
Cognitũ primũ ab intellectu, noſtro eſt uniuerſale fundamentaliter sũptũ ſiue ipsũ particulare ut eſt fundamentum uniuerſalitatis 77.1
Color & ſi percipitur à ſenſu communi; non propter hoc eſt eius obiectum adæquatum 3.2
Color non eſt obiectum duarum potentiarum
Comparatio inter ſubſtantiã, & accidens quomodo intelligatur 9.1
Comparationes realitatum 93.1
Compoſito aliqua conueniunt ratione unius partis, aliqua ratione utriuſque 25.1
Commune quodlibet ſe habet per abnegationem, & per indifferentiam ad ſua inferiora 8.1
Coniuncta realiter diſtingui, ſiue ſeparari ſecundum rationem poteſt dupliciter intelligi 99.2
Coniungimur Deo diuerſimodè per intellectum,& uoluntatem 114.1
Nihil contentum ſub ente poteſt eſſe adæquatum obiectum intellectus 72.2
Continere aliquid uirtualiter quid 90.1
Continere aliqua uirtualiter non eſt perfectius, quàm continere aliqua formaliter 89.1
Contenta in aliquibus per identitatem realem differunt in magis diſtinctis realiter 36.1
Contactus debet eſſe inter agens, & patiens, & quis 32.1
Conerſiuum ad ſe nullum poteſt eſſe extenſum 29.2
Conuerſio panis in corpus Chriſti non fit in ſolam materiam ſed in materiam cum modo derelicto à forma 19.1
Contradictionis huius doctoris ſedatio 51.2
Corpus animatum eſt ſubiectum in libris de anima 5.2
Corpus Chriſti fuit idem numero uiuum, & mortuum 21.2
Corpus dicitur tripliciter 17.1
Corporis nomen fuit impoſitum ad deſignandum quantitatem dimenſiuam 18.1
Corpus, quid ſonat? quando dicitur panis conuertitur in Corpus Chriſti 18.1.2
Quod corrumpitur, corrumpitur à ſuo contrario 21.2
Creatura non eſt effectus naturaliter productus; ſupernaturaliter 55.2
Creatura quælibet, quę poteſt per ſe exiſtere habet aliquam propriam paſsionem 35.1
Cui non repugnat diuerſitas conceptuum, non repugnat diſtinctio rationis 41.1

D

DEus non eſſet bonum hominis extrinſecum niſi poſſet attingi per aliquã operationem 112.1
Deus eſt ratio agendi ſibi ipſi & non alteri 32.1
Deus non poteſt facere unum correlatiuum ſine alio 48.2
Deus non eſt per ſe phantaſibilis. 76.1
Deus non poteſt ſupplere uicem cauſæ formalis informantis, licet poſſit ſupplere uicem cauſæ extrinſecæ ut efficientis, uel finalis 13.2
Deus quãtum eſt de ſe totus & totaliter ſe offert cuilibet beato 74.2
Deus nõ eſt corpus nec quãtus 76.1
Deitas aliter cognoſcitur à nobis & aliter à Deo 74.2
An Deus cognoſcatur à nobis ſub ratione finita 74.1.2
Delectatio de deo uiſo eſt eſſentialiter fruitio 111.1
Delectatio duplex in patria 111.2
Denominatio obiecti fit ab ipſis actibus determinatis 103.1
Deſiderium de Deo duplex eſt in uia 111.2
Determinatiuum duplex 84.1
Dilectio Dei eſt nobilior omni cognitione uiæ 108.2
Differre formaliter, & quidditatiuè eſt differre per ſingularem realitatem 94.2
Differentiæ ſpecificę diuidunt rationem generis propoſitio falſa 3.1
Differentia inter formas reales & intentionales 59.1
Differre per realitatẽ uniuerſalẽ eſt differre p realitatẽ formalẽ 94.2
Dilucidatio opin. Aegid. de modo eſſendi ſpecierum in medio 55.1
Differentia conſtitutiua ſpeciei ſumitur à forma ſubſtantiali 20.1
Differentiæ non diminuunt aliquid de ratione generis; ſed ſuper illas addunt ſe ipſas 3.1
Differentiæ additæ generi tollunt ambitum eius 3.1
Diſsimilitudo maior inter imaginẽ creatam,& increatam, quàm ſimilitudo 36.2
Diſpoſitum ſumme ſecundum ſuam naturam poteſt intelligi dupliciter 86.2
Diſtinctio rationis duplex 39.1
Diſtinctio rationis, quæ immediate naſcitur ab extremis rationis, nullo modo habet eſſe in entibus realibus 39.1
Diſtinctio, quæ immediatè fabricatur à ratione, poteſt eſſe in entibus realibus 39.1
Diſtinctio rationis non fundatur in entibus realibus ſubiectiuè; ſed obiectiuè, ſeu determinatiuè 39.2
Diſtinctio rationis, quæ immediatè oritur,& fabricatur à ratione, aliquo mõ oritur à natura rei, quod dupliciter poteſt intelligi 41.2
Diſtinctio duplex intrinſeca & extrinſeca 41.1
Diſtinctio ſecundum genus propinquum in actibus animæ, quid 41.2
Diſtinctio ſecundum numerum in actibus animæ quid
Diſtinctio actuum animæ ſecundum genus remotum eſt totaliter ab obiectis 41.2
Diſtinctio actuum animę ſecundum genus remotum non eſt totaliter à potentijs 42.1
Ad diſtinctionẽ actuum animę concurrunt potentiæ, & obiecta formaliter ſumpta 42.2
Diſtinctio actuum animę ſecundum genus propinquũ eſt totaliter ab obiectis formaliter ſumptis 42.2
Diſtinctio numeralis actuum animę non eſt totalis & totaliter à potentijs, neque ab obiectis,& potentijs ſimul; ſed à potentia, ut connotat aliquid extrinſecum 43.1
Diſtingui ſe totis dupliciter 44.2
Diſtinctiuum potentiarum animæ, ſi non diſtinguit eas intrinſecè, neceſſariò diſtinguit extrinſecè: quomodo intelligatur 45.1
Ad maiorem diſtinctionem obiectorum ſequitur maior diſtinctio potentiarum 45.2
Diſtinctio in effectu non arguit diſtinctionem in cauſa: quomodo intelligatur 46.1
Diſtinctio realis poteſt eſſe eiuſdem ad ſe ipſum 50.1
Diſtingui dupliciter cõtingit 100.2
Ad realem diſtinctionem potentiarum,& ſpecificationẽ actuum ſufficit diſtinctio rationis in obiectis 100.2.101.1
Diſtinctio formalis extrà intellectũ ſtat cum identitate reali 92.2
Diſtinctio formalitatis, & formalitatis arguit diſtinctionem rei, & rei 94.1
Diuerſitas actuum receptorum non arguit diuerſitatem in ratione receptiua 23.1.2
Diuerſitas ſpecifica propriæ paſsionis ſequitur neceſſariò ad diuerſitatem ſubiecti 2.1
Diuerſitas ſcientiarum non ſumitur ex aliquo quod ſe teneat ex parte intellectus, ſed ſumitur penes illud, in quo habet incompoſsibilitatem 3.1
Diuerſitas actuum ſit per diuerſitatem modi diffinitionũ in eis: quomodo intelligatur 3.1
Diuerſitas realis remouetur ab aliquibus dupliciter uel uniuerſaliter, uel particulariter 7.2
Diuerſitas realis ſpecifica opponitur realitati reali numerali 7.1.2
Diuerſitas ſpecierum intentionaliũ, quid requirat 88.2
Quando Diuiditur aliquo commune per differentias ex oppoſito tanquam in duas ſpecies; ſi unum eſt potentia & reliquum actus, quomodo intelligatur 81.1
Dubia aduerſus opin. Aegid. de memoria & intellectu 47.1
Dubia contra opinionem huius Doctoris de ſenſu agente 85.2

E

EAdem anima, ut includit rationem agendi, differt à ſe ipſa realiter, ut includit rationem patiendi 50.1
Effectus formalis non poteſt eſſe aliqua uirtute ſine ſua cauſa formali 14.1
Efficiens dupliciter capi poteſt 51.1
Effectus non dependet effectiue à ratione agendi 23.2
Effectus duplex 14.1
Elucidatio opin. Gotfr. 85.1
Ens unumquodque habet propriam operationem, in quam cum poteſt dicitur idem, & cum non poteſt non dicitur idem 20.1
Ens in tota ſua latitudine ſub ratione tamen cognoſcibili finita & limitata eſt obiectum intellectus noſtri adæquatum adæquatione prædicationis 72.2
Ens reale non habet eſſe cognitum, & apprehenſum niſi in ordine ad intellectum 75.1
Ens quodlibet actu habet aliquam operationem proprie: quomodo intelligatur. 91.2
Ens,& res prima ſui impreſsione imprimuntur in anima & ſunt notiſſima in conceptu 67.2
Ens reale & ens rationis magis diſtant, quàm ens finitum,& infinitum 74.2
Entia realia uerè habere poſſunt eſſe cognitum 38.2
Entibus realibus non repugnat identitas rationis, eſſe rationis, & diſtinctio rationis 38.1.2
Entitas quælibet poſitiua eſt ratio formalis motiua, & terminatiua intellectus noſtri 72.2
Entitas quæcunque eſt ſui manifeſtatiua 100.2
Eſſe cognitum, eſſe conceptum, eſſe intellectum non poſſunt eſſe niſi entia rationis 38.2
Eſſentia diuina, quæ eſt omnibus modis una,& eadẽ, ęquipollenter poteſt dici plura 41.1
Eſſe extrà aliud dupliciter 5.1
Eſſe extenſum eſt effectus formalis quantitatis 19.1
Eſſentia aĩæ eſt per ſe ſenſitiua 34.1
Eſſe intentionale dupliciter accipi poteſt 55.1.2
Eſſe rationis competere enti reali contingit tripliciter 39.2

F

FInis ſecũdũ Duran. duplex. 104.1
Finitum quomodo repugnat enti ſimpliciter infinito 75.1
Forma, q̃ eſt principiũ actus trãſeuntis fortè, ſi ſeparetur ageret 36.2
Forma, quæ eſt principium actus permanentis, ſi ſeparetur, non poteſt recipere talem actum 36.2
Forma nulla realis multiplicatur in inſtanti 54.1
Formæ intentionales & reales diuerſimode depẽdẽt ab efficiẽte 57.2
Formæ intentionales nõ cõtrariãtur ad inuicẽ; ſicut formæ reales 58.2
Forma intentionalis, ſecũdum quod eſt in organo ſpiritualior eſt, quã ſecundũ quod eſt in ſubiecto 60.1
Forma non eſt propter materiam, quomodo intelligatur 61.2
Forma ſola non eſt totalis ratio receptiua quantitatis 22.1
Forma ſola eſt receptiua quantitatis ſecundum quoſdam 24.1
Formæ aliæ ab anima intellectiua ſunt extenſæ 25.2
Formæ ſolæ inanimatorum ſunt extenſæ ſecundum quoſdam 26.1.2
Formarum pluralitas in eodem compoſito uariæ opiniones 15.1
Formarum pluralitas in eodem cõpoſito probatur rationibus tum phyſicis, tum Theologicis 15.1.2
Formarum pluralitas in eodem compoſito improbatur 16.2
Forma diuerſimode denominat par-

 tes,&

tes,& totum 27.2
Forma non generatur 17.1
Forma accidentalis dat eſſe accidentale ſubiecto, in quo eſt 19.1
Formæ non dicuntur materiales ratione materiæ ex qua; ſed ratione materiæ in qua 20.2
Forma nulla habet materiam ex qua 20.2
Formæ aliæ materiales aliæ immateriales 20.2
Formæ immateriales ſunt in duplici differentia 20.2
Formæ aliæ ab anima intellectiua ſunt quantæ, & extenſæ per accidens 27.1.28.2
Forma non eſt quanta quia recipitur in quanto; ſed quia educitur de potentia materię extenſę 27.2
Formarum cur quædam denominant partes,& totum diuerſimode, quædam uerò minime 27.2
Formæ reales differunt ab intentionalibus 57.2
Forma non agit, nec patitur; ſed eſt ratio agendi 49.1.50.1
Forma accidentalis eſt ratio agendi alteri immediata 32.1
Forma ſubſtantialis eſt principalis ratio agendi ſuppoſito 32.2
Formæ mediæ: quia tenent medium inter penitus materiales, & immateriales 20.2
Formarum ordo 16.2
Forma ſuperior, præſertim ſubſtantialis pōt quicquid inferior 16.2
Formæ licet ſecundum ſe, & formaliter ſint corruptibiles; in alio tamen uirtualiter repertæ ſunt incorruptibiles 17.1
Fruitio nō amor cōcupiſcētiæ 111.1
Fundamentum poſitionis de intellectu agente 61.1
Fundamentum Aegid. quod non detur ſenſus agens 60.1
Fundamenta opin. Comm. de ſenſu agente ſunt duo 62.2
Fundamenta Scoti de primo cognito 66.2.67.2

G

GEneratio nō eſt creatio ſolū 6.2
Non generatur neque materia, neque forma ſed compoſitū 17.1
Generis conceptus ſumitur ex tenui ſimilitudine particularium quomodo intelligatur 11.2
Graue amoto prohibēte propria uirtute,& non alia deſcend t 85.2
Graue remoto prohibente, eſt in actu, & in potentia 88.2

H

HAbitus duplex 84.1
Habitus tenet medium inter potentiam,& actum 84.2
Habitus diuiditur in opin. & ſcientiam 1.1
Habitus quidam acquiſitus, quidam naturaliter inditus 83.2
Habitus eſt, quo quis utitur; quando uult 83.2
Nullus habitus naturalis acquiritur uia ſenſus,memoriæ,& experientiæ 84.1
Nullus habitus naturalis acquiritur inductiuè 83.2
Habitus quilibet eſt determinatè uerorum 84.1
De ratione habitus eſt quod ſe ipſo perficiat 83.2
Habitus & actus quomodo nobiliores potentia 84.1.2
Habitus primorum principiorū ſimpliciter non eſt par ſapientiæ; ſed primorum ſecundum quid 84.2
Habitus primorum principiorum ſecundum quid & in ſcientia acquiritur ui ſenſus memorię & experientiæ & inductiuè: non autem primorum ſimpliciter quia eſt naturaliter nobis inditus 84.2
Hæc eſt uita æterna quomodo intelligatur 116.2
Homo non eſt penitus extra animal 5.1
Hominem eſſe per ſe quantum poteſt intelligi dupliciter 3.1
Homo ex principijs naturalibus pōt in operationem ſibi propriā 79.1

I

IDem manens idem ſemper facit idē,quomodo intelligatur 40.2
Idem reſpectu eiuſdem eſt in actu, & in potentia quomodo intelligatur 50.1
Quibus non repugnat Identitas rationis non repugnat diſtinctio rationis 38.2
Illud, quod de ſe eſt intelligibile nō indiget lumine intellectus agentis 85.2
Illuſtratio phantaſmatum non impeditur, ſi ponatur habitus connaturalis 87.1
Imaginatio non ſolum cognoſcit, quicquid cognoſcit ſenſus communis; ſed etiam poteſt retinere ſpecies 64.2
Imaginatio plus poteſt quàm ſenſus communis 65.1
Impugnatio ſolutionum Her. 56.2
Impugnatio opin. Aegid. de modo eſſendi ſpecierum in medio 57.2
Impugnatio fundamentorum opin. communis de ſenſu agente 62.2. 63.1
Indeterminatio duplex ſecundum Henr. negatiua, & priuatiua 75.2
Indeterminatio duplex contra Henr. 76.1
Indeterminatio duplex fundationis & continentiæ 35.2
Indiuidua duo eiuſdem ſpeciei,quomodo differant 11.2
Infinitum nullum ſub ratione infiniti poteſt eſſe obiectnm intellectus noſtri 73.2
Ignis calefacit & ignit per calorem 32.2
In intētionibus eſt dare gradus 55.2
In omni natura, in qua eſt dare unū, quod eſt omnia fieri, & cęt. quomodo intelligatur 60.1.2
Inſtans ultimum non datur in corruptione; ſicut non datur primum in generatione 17.1
Inſtrumentum quodlibet agens in uirtute alterius recipit ab eo motum aliquem; quomodo intelligatur 30.2.
Intellectus eſt index: quomodo intelligatur 115.2
Intellectus diuinus improportionabiliter excedit intellectum noſtrum 70.2
Intellectus agens ſecundum quoſdā eſt ipſa ſcientia Dei 78.1
Intellectus agens neceſſario datur eſt quid animæ noſtræ & nō eſt ſciētia Dei ſecundum opin. communem 78.2
Intellectus agens non eſt maioris ambitus, quàm intellectus poſsibilis 78.2
Intellectus agens, licet ſit pars animæ noſtræ, non eſt nobilior intellectu poſsibili ſimpliciter 79.1
Intellectus agens eſt quoddam lumen, ſeu habitus, & ſe ipſo perficit 83.1
Intellectus agens non eſt habitus acquiſitus; ſed naturaliter inditus 83.2
Intellectus agens continet omnem ſcientiam 90.1
Intellectus agens eſt potentia diſtincta à memoria 46.2
Intellectus agens non reperitur in Angelis 46.2
Intellectus agēs ſecūdum quoſdam habet operationem circa phantaſmata remotiuā, & ſequeſtratiuam 84.2
Intellectus agens non pertinet ad imaginem 46.2
Intellectus agens qūo eſt totalis cauſa actus intelligendi 88.2.61.2
Intellectus agens habet operationem præuiam intellectioni 79.1
Intellectus agens cur dicatur habitus principiorum & non concluſionum 84.2
Intellectus agens quomodo eſt uerorum,& falſorum 84.2
Intellectus agens illuminat phantaſmata quātum ad quidditatem non autem quantum ad conditiones indiuidui 85.1
Intellectus agens eſt agens per ſe, & non per accidens 85.2
Intellectus agens ſecundum quoſdā imprimit ipſis phantaſmatibus lumen quoddam 86.1
Intellectus agens ſecundum diuum Aug. eſt lux quædam connaturalis 87.2
Intellectus poſsibilis quomodo eſt totalis cauſa receptiua intellectionis 91.2
Intellectus poſsibilis cur dicatur ſūme diſpoſitus licet careat ſpecie intelligibili 87.1
Intellectus poſsibilis ſecūdum quoſdam eſt purè paſsiuus 88.1
Intellectus poſsibilis, & obiectum conceptibile ſecundum Scotum, & ſequaces concurrunt ut duæ cauſæ partiales integrantes unam cauſam effectiuam, actus intelligendi 88.1

Intellectus



Intellectus poſsibilis præciſe ſumptus contra quoſdam non eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi 81.1
Intellectus poſsibilis mediat inter intellectum agentem & ipſam animam 81.1.2
Intellectus perficit per omnia 72.2
Intellectus poteſt cognoſcere omne ens,& ſecundum partē entis 73.2
Intellectus aliquando cognoſcit extenſus ad ſenſibilia, aliquando ad imaginabilia, & ad intelligibilia 1.2
Intellectus non tranſit de uno conceptu ſimplici ad aliū per diſcurſum 65.1
Vtrum intellectus, & uoluntas ſint duæ potentiæ 74.2
Intellectus & uoluntas dicūtur principia uitalia 36.2
Intellectus,& uoluntas, ſi ſeparentur ab anima beatificari nequeunt 36.2
Intellectus unus & idem ſecundum Magiſtrum Iacob. Viterb. dicitur agens,& poſsibilis 81.2
Intellectus ſecūdum Iacob. Viterb. mouet ſuis aptitudinibus 82.1
Intellectus eſt ſicut tabula raſa quomodo intelligatur 84.2.87.1
Intellectus intelligit aliter, & aliter, quia obiecta ſunt aliter, & aliter intelligibilia 2.2
Intellectus tranſit de uno conceptu ſimplici ad alium tempore breuiſsimo & imperceptibili non autem per diſcurſum 68.1
Intellectus ſe habet in recipiēdo ſicut materia quæ tendit à formis imperfectioribus ad perfectiores 68.1
Intellectiuum & ſenſitiuum ſeparātur ſicut perpetuum à corruptibili: quomodo intelligatur 17.1
Intelligentia hominis eſt præſtantiſsima: qūo intelligatur 115.2
Intelligere comparatur ab ipſo intellectu, quatenus cauſatur ab ipſo effectiuè 25.1
Intelligere & uelle cōpetunt animę fundamentaliter, homini principaliter; potentiis ſolum inſtrumentaliter 36.2
Intelligere quomodo eſt à principio uitali 36.2
Intentio cōis de ſenſu agente 61.2
Eſſe In duplicIter 30.1

L

LIber non ſemper inſcribitur à ſubiecto 5.2
Libertas dupliciter ſecundum Durandum 106.1
Libertas dupliciter ſecundum Alphon. 107.2
Liberum ſecundum D. Auguſtinum eſt illud quod in poteſtate habemus, non liberum, quod in poteſtate non habemus 107.1
Lumen quomodo habeat eſſe intentionale in medio 55.2
Lumen,& ſpecies coloris non habet eſſe in medio, contra Henr. 56.1
Lumina duo, ſiue duæ intentiones ſecundum Aegid. poſſunt eſſe in eadē parte medii, ſiue aeris 56.1
Lumen illuminat ipſum lac, nō quātum ad dulcedinem; ſed quantum ad albedinem 85.1
Lumen in aere ſecundum Henr. habet uerum eſſe reale 54.1
Lumina duo ſolo numero differentia ſecundum Henr. in eodē ſubiecto eſſe nequeunt 54.1
Lumen Lunæ, lumen Stellarum requirunt præcisè lumen Solis illuminantis 55.2
Lux non diuiditur ad diuiſionem corporis 30.2
Luna & Stellæ non habent eſſe intentionale, nec lumen in eis exiſtens 55.2
Lumen intellectus agentis non eſt extenſum; licet recipiatur in extenſo 86.2
Lumē, quod imprimitur ab intellectu agēte, eſt in ipſa phātaſia ſeu in ipſis phantaſmatibus formaliter & ſubiectiuè 86.1
Lumen non eſt principiū rei per ſe exiſtentis in prædicamento 55.1

M

MAioris perfectionis eſt agere ut inſtrumentum principale, quàm ut immediatum 32.2
Malum ſcire, non eſt malum 108.2
Materia aliam eſſentiam, & entitatem habet ab eſſentia, & entitate formæ 14.2
Materia eſt prior forma ordine naturæ quia illam recipit 14.2
Materiæ magis repugnat exiſtere ſine forma, quàm accidenti 14.2
Materia prima tenet infimum gradum in genere entium 6.2
Materia prima ſm Scotum & ſequaces non eſt pura potentia 12.2
Materia prima ſecundum Scotum & ſequaces uirtute diuina poteſt exiſtere ſine forma 12.2
Materia nullam de mundo dicit actualitatem contra Scotum 13.1
Materia nō pōt exiſtere ſine forma contra Scotum, & ſequaces 13.1
Materia magis dependet in aliquibus à forma, quàm accidens à ſubſtantia 14.2
Materia & forma & omnia entia de mundo dependent à Deo totaliter 13.1
Materia corporis Chriſti in triduo habuit eſſe corporeum 19.2
Materia ſola ſecundum quoſdam non eſt totalis ratio receptiua quantitatis 22.1
Materia prima eſt in potentia ſimpliciter, & ſecundum quid 23.2
Materia ſola ſecundum opin. probabiliorem eſt receptiua quantitatis 24.2
An Materia ſola ſit ſubiectum quātitatis? 25.1
Materia eſt ratio receptiua cuiuslibet paſsionis: quomodo intelligatur 15.2
Sicut Materia ſe habet ad formas ſenſibiles: ita intellectus ad formas intelligibiles: quomodo intelligatur 44.2
Mathematicalia quomodo ſeparantur à materia ſenſibili 100.1
Membrum de nouo creatum, & additum animato quomodo animetur 30.2
Memoria, & intelligentia, & uoluntas eſt una mens, quomodo intelligatur 37.1
Memoria eſt potentia conſeruatiua ſpecierum 46.2
Memoria aliqua eſt in parte intellectiua uerè, & propriè 46.2
Memoria & intellectus ſunt eadem potentia naturaliter, conſequens diuerſa officia ſecundum Aegid. 47.1
Memoria ſenſitiua eſt Theſaurus tā ſpecierum ſenſibilium, quàm earum intentionum 65.1
Metaphyſica non eſt prima, ſed ultima ordine doctrinæ 68.1
Modus ponēdi ſenſū agentē 59.1.2
Modi cognoſcendi ens, & reliqua tranſcendentia ſunt duo 68.1
Modus quē acquirit materia à quātitate, eſt derelictus ab ea & nullā rem addit ſupra ipſam 17.1.2
Modus quomodo identificatur cū materia 19.1
Modorum improbatio 17.2
Motus determinatus, & reſpectus determinatus, requirunt determinatum fundamentum 35.1
Motiuum primum intellectus de neceſsitate habet uerum eſſe reale extra intellectum 8.1
Motiuum primum intellectus poteſt eſſe aliquod determinatum ens alicuius prædicamenti 9.2
Mouere dupliciter imperatiuè, & oſtenſiuè 115.1
Multæ ſententiæ ſunt intelligendæ in ſenſu in quo fiunt, non in ſenſu quem faciunt 45.1

N

NObilitas ſubiecti, arguit nobilitatem ſcientiæ 1.1.3.2
Nobilitas operationis attenditur ſecundum menſuram intellectus 108.1
Nobilius eſt eſſe tale formaliter quàm uirtualiter, quomodo intelligatur 78.1
Nihil eſt in intellectu quin prius fuerit in ſenſu, quomodo intelligatur 70.1
Notitia propoſitionum depēdet ex notitia terminorum 67.2
Numeratio accidentalis oportet ꝙ ſit ab aliquo coniuncto 58.1

O

OBiectum cuiuslibet potentiæ eſt uniuerſale 5.1
Obiectum cuiuſcunque potentię habet ſe ad potentiam in duplici habitudine 97.1
Obiectum & potentia debent eſſe proportionata, quomodo intelligatur 69.1
Obiectum alicuius potentiæ poteſt

accip

accipi quadrupliciter 72.1.2
Idem ſub eadem ratione formali extra intellectum penitus indiſtinctum eſt obiectum intellectus & uoluntatis 109.1
Obiectum adæquatum potentiæ intellectiuæ 68 1
Obiectum eſt cauſa effectiua actus intelligendi,& ſpecies 62.1
Obiectum quomodo mouet intellectum 73.1
Obiecta ut habent eſſe in phantaſmatibus recipiunt influentiam intellectus agentis
Obiectum uoluntatis nobilius eſt obiecto intellectus 114.2
Obiectum intelligibile ſecundum quoſdam eſt cauſa effectiua actus intelligendi 87.2
Obiectum naturaliter conceptibile contra quoſdam non eſt totalis cauſa actus intelligendi 88.1
Oculus ſi eſſet animal potentia uiſiua eſſet anima eius quomodo intelligatur 37.1
Odium opponitur dilectioni contrariè 109.1
Opinio D.Thomæ de obiecto adæquato intellectus 68.1
Operatio quælibet uitalis eſt à principio intrinſeco 59.2.81.2
Operatio uitalis hominis, ut homo eſt,debet habere aliquod principium naturale effectiuum 89.1
Operatio intellectus agẽtis circa intellectũ poſsibilem, quæ ſit 86.2
Operatio nulla dicitur immanens cuius agens uniuerſale, particulare & principale, & potentiale diſtinguitur ſubiecto ab operante 61.1
Operatio intellectus agentis non tantum eſt remotiua; ſed etiam poſitiua 85.2
Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil,quomodo intelligatur 8.2
Opinio non differt à ſcientia per ſubiectum; ſed per medium 2.2
Opinio Platonis, & comment. de Anima intellectiua 19.2
Opinio Gotfr. de potentijs animæ 46.1
Opinio durandi de intellectu & uoluntate 47.2
Opinio Magiſtri Iacob. Vitierbiẽ. de intellectu agẽte,& poſsibili 81.2
Opinio eiuſdem doctoris tollit generationem, & corruptionem à rebus 82.2
Opinio Scoti de obiecto intellectus 70.1.2
Opinio D.Thom. de obiecto intellectus 68.2
Opinio Henrici de obiecto intellectus 75.2
Opinio Magiſtri Gerardi Senenſ. de diſtinctione actuum 42.1
Opinio D.Thom.de intellectu agente an ſit potentia animæ 81.1
Opinio Bernardi cuiuſdam de intellectu agente 77.2
Opinio peculiaris Alphonſi de intellectu agente. 83.1.2
Opinio Henrici de cauſalitate ſubiecti 50.2
Opinio Sco. de primo cognito 66.1
Opinio communis de ſenſu agente 61.2
Opi.Aegidii de ſenſu agẽte 60.1.2
Opinio Alphõſi de ſenſu agẽte 61.1
Opinio Heruei de lumine in medio 54.1
Opin.Aureoli,& Franciſci de Mayronis de diſtinctionibus 37.2
Opinio Scoti,Henrici,Gregorii Arimin.de exiſtentia materiæ primæ ſiue formæ 12.2
Opiniones de numero ſenſuum interiorum & eorum ſituatione in cerebro, Diui Auguſtini, Auicennæ, Auerrois, Aegidii, Alphonſi 64.2.65.1.2.
Opinio,& ſcientia,magis differunt, quàm duæ ſcientiæ 1.2.
Opinio exigit mediũ contingẽs. 2.2
Ordo cognoſcentium ſequitur ordinem cognoſcibilium ſecundum D.Thom. 68.2
Ordo eſſentialis non eſt inter ſubſtantiam,& accidẽs; ſed inter ſubſtantiam, & ſubſtantiam,uel inter accidens,& accidens 108.1

P

PAſsiones propriæ ſpecificantur per aliquod extrinſecum 2.1
Paſsio naſcitur ex principiis intrinſecis 35.1
Paſsio conſequitur omnem rem naturalem, quæ poteſt per ſe exiſtere 35.1
Paſsio propria diſtinguitur realiter à ſubiecto 35.1
Paſsio cur ſpecificat à ſubiecto 2.1
Paſsiones propriæ diſtinguũtur materialiter, & extrinſecæ per proprium & immediatum ſubiectum quomodo intelligatur 45.2
Patiens non inconuenit eſſe, nobilius agente ſecundum ſuam naturam 61.2
Perfectio ſimpliciter,quid 34.2
Peſsimum eſt peius peſsimo in aliquo genere quomodo intelligatur 115.2
Phantaſia poteſt uti omni ſpecie in ea exiſtente 86.1
Phantaſia plus poteſt ſenſu communi,& imaginatiua 65.1
Phantaſma dupliciter comparatur ad intellectum 72.2
Phantaſma ſecundum Auicen. duas habet facies 85.1
Phantaſma non poteſt agere in intellectum poſsibilem, niſi uirtute intellectus agentis 85.1
Phantaſma uirtute intellectus agentis non repreſentat ipſum uniuerſale 85.2
Phantaſma illuſtratum ab intellectu agente cauſat ſpeciem in intellectu poſsibili 86.1
Phantaſma recipit lumen ab intellectu agente 86.1
Pars quælibet imaginis habet aliquem actum formalem reſpectu obiecti 46.2
Plato cur non poſuit intellectum agentem 79.1
Potentia pura in genere entium excludit omnem actum 15.1
Potentia nulla extendit ſe ultra ſuũ obiectum adæquatum 4.2
Potentia quælibet nõ fertur in obiectum ſub eſſe abſtracto 5.2
Potentia nulla in anima noſtra nobilior eſt intellectu poſsibili 78.2.79.2
Potẽtiam eſſe nobiliorem altera poteſt intelligi dupliciter 114.1
Potentia cognoſcens, eſt nobilior non cognoſcente: quomodo intelligatur 114.1.2
Potentia agendi uel patiẽdi eſt accidens de ſecunda ſpecie qualitatis 32.1
Potentiæ animæ uegetatiuæ,& ſenſitiuæ 33.1
Potentię animæ dicunt qualitates ſuperadditas 35.1
Potentiæ animæ quomodo fundentur in ipſa,& originentur 53.1
Potentiæ animæ uegetatiuæ & ſenſitiuæ propriè, & directè cauſantur à generante 52.2
Potentiæ animę non originantur ab anima: nec etiam effectiuè loquendo propriè, & ſtrictè deficiente 52.1
Potentiæ animæ diſtinguuntur per actus manifeſtatiuè & declaratiuè 44.2
Potentiæ animæ diſtinguuntur per obiecta materialiter,& extrinſecè 43.2
Potentiæ animæ diſtinguuntur per actus materialiter, & extrinſecè 43.2
Potentiæ animæ diſtinguuntur ſe ipſis per eſſentias ſuas formaliter 43.2
Potentiæ animæ non diſtinguuntur per actus intrinſecè, & formaliter 43.1
Potẽtiæ animæ intellectiuè propriè & directè producũtur à ſolo Deo creante 52.2
Potentia ſecundum quam anima dicitur intelligens, ſentiens & uolens ſecundum Iacob.Viterb. eſt actualitas quædam incompleta 81.2
Potentia intellectiua, & ſenſitiua ſecundum Iacob.Viterbien. eſt quædam aptitudo, ſiue idoneitas 82.1
Potentia intellectiua, ſenſitiua & uolitiua ſecũdum Iacob. Viterb. eſt aptitudo generalis 82.1
Potentia recipit ſpeciem ab obiecto adæquato formaliter ſumpto 7.1
Potentia nullam ponit diſtinctionem inter illa, quæ attingit per accidens, ſiue per aliud 72.2
Poſsibilia creari ab æterno ſecundum Iacob. Viterbien. habent entitatem diſtinctam ab entitate Diuina 71.1
Perfectiones animę diuerſimode cõueniunt animæ potentiæ, & ſuppoſito 36.2
Prædicamenta,quomodo ſunt etiam realia,& quomodo non 11.1
Prædicari dupliciter formaliter uel fundamentaliter 11.2
Prædicatio duplex formalis & cauſalis 37.1
Prædicatio in abſtracto non eſt denominatiua 72.1
Prædicationes per ſe non conuertuntur quomodo intelligatur 72.1
Prædicatio in quid non poteſt eſſe per accidens 70.2
Prædicata per ſe primi modi, & ſecundi quomodo differunt 21.1
Priori in eſſentialiter ordinatis non repugnat eſſe ſine poſteriore quomodo intelligatur 14.2
Principium eſſendi & operandi eſt idem quomodo intelligatur 36.2
Principium uitale dupliciter 36.2
Principium quo uiuimus & ſentimus dupliciter 34.1
Principiũ quod reſpicit actus quos ſub quodam ordine non requirit aliquod ſuperadditum 35.2
Principium reſpicientia ordine quodã ſunt in duplici differentia 36.1
Principium duplex naturale & ſupernaturale 46.1
Propria paſsio dupliciter 35.2
Proprietas de neceſsitate ſequitur ſubiectum 52.1
Proceſſus de ualde imperfecto ad ualde perfectum non eſt ſine medio 59.1
Probatio opinionis Comment. de anima intellectiua 19.2
Propoſitiones aliquæ uerę per ſe aliquæ per accidens 18.1
QVæcunque uni & eidem ſunt eadem inter ſe ſunt eadem: quomodo intelligatur 33.2
Quæ non habent eſſe ſe ipſis non poſſunt diſtingui ſe ipſis formaliter: quomodo intelligatur 44.2
Qualis eſt ordo cognoſcibilium, talis eſt ordo cognoſcentium quomodo intelligatur 70.1
Quantum eſſe conueniri compoſito ratione materiæ 25.1
Quantum per accidens nihil prohibet habere diuerſitatem in partibus 28.1
De ratione quanti eſt habere partes eiuſdem rationis
Quicquid competit alicui inquantum tale, competit omni tali 69.1
Quidditas materialis eſt obiectum intellectus ſecũdũ D. Thom. 68.2
Quidditas materialis ſecundum Alphonſum & eſt intentio Ariſtot. non eſt obiectum intellectus 69.1.70.1
Quidditas ſeu quod qd eſt dicit realitatem ſecundum quid ſecundam & quale quid ſecundum quoſdam 92.2
Quod quid eſt ſecundum Alphonſum dicit realitatem ſingularem, & ſimpliciter 94.2
RAtio ſpecifica ſcientiæ non eſt neceſſario nec generis nec entis, ſed analoga 2.2
Ratio entis ſecundum Scotum eſt una in communi 7.2
Ratio entis ſecũdum Scotum eſt realis & habet eſſe in natura præter operationem intellectus 8.1
Ratio entis non eſt una contra Scotum 8.2.38.1
Ratio entis non eſt realis contra Scotum 8.2.38.1
Ratio entis quomodo ſit una 9.1
Rationes obiectales non poſſunt diſtingui ex natura rei 94.1
Rationes obiectales ſecundum quoſdam diſtinguuntur pluſquam ratione 92.2
Rationes obiectales intellectus & uoluntates differunt formaliter 92.2
Rationes obiectales diſtingui ſecundum rationem dupliciter 100.1
Rationes attributales primæ cauſæ ſunt reales & realiter reperiuntur in ipſa 99.2
Rationes obiectales differunt ſecundum rationem ſiue conceptibiliter 9?.2
Rationes obiectales ſunt penitus indiſtinctæ re, & ratione ſecundum quoſdam 92.1
An rationes terminantes actum intelligendi, & uolẽdi exiſtentibus actibus diſtinguantur inter ſe ratione ſolum, uel ex natura rei 98.2
Rationes obiectales intellectus & uoluntatis ſunt diſtinguibiles ſecundum rationem 100.2
Rationes obiectales diſtinguuntur actualiter ſecundum rationem exiſtentibus actibus intelligendi, & uolendi 100.2
Rationes Durandi probantes Deum non eſſe immediatum obiectum finitionis 104 1.2
Rationale per eſſentiam dupliciter 115.1
Ratio entis in communi ſumpta nõ eſt primũ motiuũ intellectus 9.2
Ratio receptiua duplex totalis & partialis 22.1
Ratio recipiendi quantitatem ſecundum quoſdam eſt totum compoſitum 22.1.2
Rationes probantes extẽſionem formarum impugnantur & diſſoluuntur 27.1
Rationes fundamentales probantes animam intellectiuam non eſſe extenſam, ſiue quantam 29.1.2
Ratio generis competit alicui dupliciter 57.1
Ratio finita obiecti cognoſcibilis ex qua parte ſe teneat 74.2
Rõ finita obiecti unde reſultat 75.1
Ratio obiecti beatifici an ſit creata uel increata 75.1
Ratio entis, quæ mouet intellectum eſt una, & ſingularis in eſsẽdo 77.1
Ratio agendi in omnibus ſemper eſt nobilior patiente 78.1
Ratio agendi in agente non eſt minoris perfectionis effectu 89.2
Habere eſſe reale dupliciter 55.1
Realitas formæ ſenſibilis tota præceſsit in materia; ita Realitas formæ intelligibilis 82.2
Realis habitudo ſeu relatio plurificatur ratione terminorum ſtante eodem ſubiecto, uel obiecto, uel fundamento 97.2
Omnis realitas de mundo eſt realitas ſingularis 94.1
Realitas alia ſimpliciter, alia ſecundum quid; alia prima, alia ſecunda 9.2
Realitas uniuerſalis ſecundum quoſdam eſt realitas ſecunda, & quale quid, & uerè realitas 92.2
Realitates obiectales diſtinguuntur ex natura rei ſm quoſdam 94.1
Quando duo realia ſunt in aliquo tertio neutrum habet eſſe per ſe: quomodo intelligatur 80.2
Realitas creaturarum ante creationem fuerunt nihil 8.2
Reale nullum Deo aduenit ex tempore 9.1
Omnis realitas uel creator, uel creatura 8.2
Reale nullum includit in ſua ratione quidditatiua aliquod ens rationis 8.1
Reduci de potentia ad actum dupliciter 44.1
Regula & menſura in actu uolendi eſt diuina bonitas 100.2
Relationes, quæ fundantur in diſtinctis fundamentis eſſentialiter, poſſunt per ſua fundamenta accipere ſufficientem diuerſitatem 102.2
Relationes, quæ fundantur in eodẽ fundamento non poſſunt diuerſificari, niſi rõne terminorũ 102.2
Rerum aliæ ſingulares, aliæ uniuerſales 92.2
Reſolutio rationum Magiſtri Iacob. Viterb. de intellectu agente 83.1
Res habet duplex eſſe 38.2
Res quantum habet entitate tantum habet de actualitate: quomodo intelligatur 14.1
Quot requiruntur ad hoc quod una res poſsit eſſe ſine altera & actu exiſtere 14.2
Quicquid recipitur in aliquo recipitur per modum rei recipiẽtis quomodo intelligatur 30.1.80.2
Reſpectus determinatus requirit determinatum fundamentum 35.1
SCientia quælibet adæquat rõnem formalẽ ſui ſubiecti ꝓprij 74.1
Sciẽtia eſt imago qdã ſui obiecti 3.1
Scientiam eſſe perfectiorem & digniorem alijs eſt ipſa habere altiorem gradum ſpecificum 3.2
Scientia procedit per medium neceſſarium 2.2
Scientia quęcunque diſtinguitur ab alijs ſpecifice per ſubiectum adæquatum formaliter 2.1
Sciẽtia ſecũdũ quoſdã nõ ſortitur ſpeciem à ratione formali obiecti 1.2
Scibile, qđ mẽſurat ſciẽtiã certũ eſt, ꝙ eſt mẽſura propria ſcientiæ 2.1
Senſibilia ſufficiũt ad mouẽdũ ipſum ſenſũ ſm opinionẽ cõmunẽ 61.1
In ſenſu non ponitur ſpecies diſtincta ab actu 62.1
Sẽſus qũo dicatꝰ purè paſsiuus 63.2

Senſus agẽs diſtinguitur à ſenſu poſſibili, ſiue paſsiuo 64.1
Senſus quomodo ſunt quinque 64.1
Senſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia 64.1.2
Senſus non eſt ſuſceptiuus ſpecierũ ſine conditionibus materiæ 64.2
Vnus ſenſus ſpiritualiori modo recipit, quàm alius 64.2
Senſus communis inferior eſt inter ſenſus interiores 64.2
Senſus uiſus inter ſenſus exteriores ſpiritualiori modo recipit formas intentionales 64.2
Senſus communis cognoſcit non ſolum obiecta omnium particulariũ ſenſuum, ſed etiã cognoſcit differentias obiectorum & actuũ 64.2
Senſus communis nõ retinet ſpecies in abſentia ſenſibilium 64.2
Senſus ſecundum Iacob. Viterbien. mouet ſuis affectionibus, & aptitudinibus 82.1
Senſitiuum accipitur pro potentia ſenſitiua, ſiue pro habitudine naturali
Senſibilia exteriora ſunt intentiones in potentia tantum 59.1
Senſus agens ad quid ponitur 59.2
Sentire immediatè recipitur in potentia ſenſitiua 36.2
Senſus cognoſcit in ſuo obiecto adæquato plures rationes diſtinctas, ut diſtinctæ ſunt 4.2
Ly Sicut ſumitur dupliciter. 32.2.34 1.44.1.45.1
Similitudo duplex intrinſeca & extrinſeca 11.1
Solutio rationum aduerſantium opi. Aegid. de ſenſu agente 60.2
Solutio rationum opin. communis probãtium ſenſum agentem 61.2
Solutio rationũ aduerſantium opin. Alphonſi. de ſenſu agente 63.2
Solutio rationum Iacob. de Apannis 86.2
Solutio Magiſtri Gerardi Senenſ. ad Argumenta. D. Alphonſi 98.1
Solutio rationum Scoti de primo cognito 67.2
Solutio rationum Scoti de obiecto intellectus 72.1
Solutio rationum Hernei 54.2.55.1.57.1
Sol an producat immediatè ſuos effectus
Sol uirtualiter eſt calidus, non autem formaliter 189.1
Species recepta in oculo eſt quanta, & extenſa 28.1
Species numerãtur ad numerationẽ obiecti: quomodo intelligat 58.2
Speciem intelligibilem uirtute intellectus agẽtis mouere intellectũ nõ reputat abſurdũ apud Gotfr. 85.1
Species concreatæ non ſunt in homine 89.2
Species quomodo ẽ diffinibilis 12.1
Specificatio duplex intrinſeca & extrinſeca 2.2
Species habet uerum eſſe reale ſecundum Scotum 60.2
Spirituale purum non poteſt eſſe quantum 29.1
Eſſe ſubiectũ in ſcientia, & de cõſideratione ſcientiæ non ſunt idẽ 4.1
Subiectum quomodo adæquet ſcientiam, ut plura ſimpliciter uel ut unum ſecundum quid 4.2.5.1
Subiectum formaliter ſumptum cũ omnibus, quæ habẽt attributionẽ ad ipſum, adæquat habitum 6.1
Subiectum comparatur ad ſcientiam ut forma exemplaris 3.1
Subiectum eſt proprie menſura extrinſeca ſcientiæ.
Subiectum ut ſpecificat ſcientiam nõ ſe habet ad ipſum in genere cauſæ efficientis uel formalis 3.2
Subiectum, in quo omnium ſcientiarum eſt unum 4.1
Subiecti de quo eſt ſcientia ſunt quatuor conditiones 4.1
Subiectum imum, & idem ſecundum diuerſa per eſſentiam poteſt eſſe actiuum, & paſsiuum 49.2
Subiectum idem per eſſentiam non poteſt eſſe actiuum & paſsiuum propriè reſpectu alicuius actus, quo prius carebat 49.2
Subiectum non eſt propriè, & directè principiũ ſuæ propriæ paſsionis ſed impropriè, & indirectè 51.1
Subiectum informari aliquo accidente dupliciter poteſt intelligi 29.2
Subiectum non ſolum paſsiuè ſe habet ad formam, ſed diſpoſitiones ẽt illius ſubiecti ad illã formã 51.2
In quocunque eſt ſubiectum in eo ſunt proprietates ſubiecti 28.2
Subſtantia dupliciter propriè, & largè 37.1
Subſtantia & accidens non ſunt eſſentialiter ordinata 108.1
Suppoſitio quælibet, quæ non tollit formalem, & intrinſecam rationem termini poſiti poteſt conuenienter fieri 109.2
Suppoſitum quodlibet creatum eſt in aliqua ſpecie determinata 14.1
Syllogiſmus expoſitorius quid requirat 33.1.2
TAcuit de ſenſu, ut inquit commentator, quòd apparet de intellectu quomodo intelligat 63.2
Theologia noſtra eſt finita & limitata 73.2
Theologia noſtra eſt ſubordinata ſcientiæ diuinæ 74.1
Totum triplex eſſentiale potentiale & quantitatiuum 25.2
Tranſitus non fit ab extremo ad extremum in eſſentialiter ordinatis ſine medio 31.1.37.1
Triſtitia ſumma, quam habent damnati, non eſt de carentia diuinæ uiſionis, ſed delectationis 111.2
VErum & bonũ qũo ſe habeant reſpectu intellectus, & uoluntatis 100.1.2
Verum, ſiue intelligibile eſt obiectũ denominatiuè intellectus nr̃i 73.1
Videre Deũ perfectè & amare & habere ſunt actus connexi in Patria 112.1
Videre immediatè in potentia ſenſitiua 36.2
Virtutem actiuam eſſe in ſenſu poteſt dupliciter intelligi 63.2
Virtus quælibet non cognoſcens formaliter, fertur in ſuum obiectum naturaliter & non liberè: quomodo intelligatur 48.2
Virtus cœli eſt productiua animæ uiuentis 36.2
Virtutes animæ intellectiuæ tenent medium inter uirtutes formarum omnino materialium, & immaterialium 20.2
Viſus uidendo colorem particularẽ, uerũ eſt dicere, quòd uideat colorem, non tamen abſtractum 5.2
Vnitas ſpecifica ſcientiæ ſumitur ex alio, & alio modo cognoſcendi ſecundum quoſdam 1.2
Vnitas ſpecifica habitus ſcientifici ſumitur ex unitate ſubiecti adæquati formaliter ſumpti 2.1
Vnitas ſpecifica habitus ſcientifici nõ poteſt ſumi ex alio, & alio modo ſpecifico cognoſcendi 2.1
Vnitas ſpecifica realis non datur cõtra Scotum 6.2
Vnitas ſpecifica eſt unitas rationis 38.1
Vnum & idem ſumitur pluribus modis 41.1
Ad Vnitatem plura requiruntur, quàm ad diuerſitatem 58.1.2
Vniuerſale quodlibet de mundo ſecundum Scotum habet eſſe uerum reale 9.2
Vniuerſale duplex ſecũdũ Scotum, unũ in multis, & præter multa 9.2
Vniuerſale eſt obiectum adæquatum ſciẽtiæ quomodo intelligat 11.1
Vniuerſale eſt obiectum potentiæ quomodo intelligatur 11.1
Vniuerſale ſumitur dupliciter contra Scotum fundamentaliter, & formaliter 10.1.76.2
Vniuerſale fundamentaliter ſumptũ habet uerum eſſe reale 10.1
Vniuerſale formaliter ſumptum non habet uerum eſſe reale 10.1.2
Vniuerſalia apud Ariſt. ſunt collectio ex particularibus ab intellectu qui accipit inter ea ſimilitudinem, & facit eam unam intentionem, quomodo intelligatur 11.2
Vniuerſale habet eſſe abſtractũ 76.2
Vniuerſale ſiue ipſum particulare fundamentaliter ſumptum prius cognoſcitur ab intellectu, quàm uniuerſale formaliter ſumptum 76.2
Vniuerſale ſiue ipſum particulare ut eſt fundamentum uniuerſalitatis, prius cognoſcitur ſub conceptu indeterminato, & confuſo, quàm determinato & diſtincto 76.1
Voluntas ſm̃ Iac. Viterb. mouet ſuis affectionibus, & aptitudinib. 82.1
Voluntas excedit intellectum perfectionaliter 90.1
Voluntas agens & uoluntas patiens 50.1.2.88.2
Ad quid ponitur Volũtas agẽs 50.2
Voluntas eſt ſimpliciter nobilior intellectu 113.1

FINIS.



# ACVTISSIMAE QVAESTIONES D. ALPHONSI ARCHIEPISCOPI TOLETANI Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, SVPER TRES LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA,

## LIBER PRIMVS.

### QVAESTIO I.

An ex nobilitate, & perfectione ſubiecti adæquati formaliter ſumpti arguatur ex neceſsitate nobilitas, & perfectio habitus ſcientifici?

QVAERITVR. Vtrum ex nobilitate, & perfectione ſubiecti adæquati formaliter ſumpti arguatur de neceſsitate nobilitas, & perfectio habitus ſcientifici? Et uidetur primo, quòd non. Nam ſicut ſe habet unitas ſubiecti formaliter ſumpti, ad unitatem ſciẽtiæ, ita uidetur ſe habere nobilitas, & perfectio ſubiecti ad nobilitatem, & perfectionem habitus ſcientifici. Et iſta uidetur pro tanto uera; quia ſi nobilitas arguit nobilitatem, & unitas unitatem; ſed ex unitate ſubiecti non neceſſario arguitur unitas ſcientiæ: ergo &c. Maior patet ſic, quia non minus dependet unitas potentiæ ab unitate obiecti, quàm unitas ſcientiæ ab unitate ſubiecti; ſed duæ potentiæ habent unum obiectum ſub eadem ratione formali: ergo &c. Maior patet de ſe. Minor probatur: quia uiſus, & ſenſus communis habent colorem pro obiecto, & quælibet harum potentiarum fertur in colorem ſub ratione coloris, quod non eſſet, niſi eſſet earum obiectum: ergo &c. 2 Ad principale arguit ſic, Ex nobilitate, & perfectione efficientis, aut finis non de neceſsitate arguitur perfectio facti, uel ad finem ordinati: aliàs omnes creaturæ à deo productæ, & in deum, tanquàm in finem ultimum ordinatæ, eſſent eiuſdem perfectionis, & nobilitatis: quod falſum eſt. Sed ſubiectum reſpectu ſcientiæ non poteſt ſe habere niſi in genere cauſæ efficientis, uel finalis: ergo &c. Minor patet ſic: quia cum ſubiectũ ſit extrinſecum ipſi ſcientiæ, & omnis cauſa extrinſeca ſit efficiens, uel finis, non poterit ſubiectum cõparari ad ſcientiã, niſi ut efficiens, uel finis: ergo &c. AD OPPOSITVM eſt Ariſtotiles in lib. de anima in prologo. Et hoc idem Ariſtotiles in 6. metaphyſicę, ubi poſt quã probauit metaphyſicã aliã eſſe a phyſica: quia conſiderat de abſtractis ſecundum eſſe, de quibus non conſiderat phyſica, oſtendit illam perfectiorem ex maiori perfectione ſubiecti. RESPONDEO in iſta quæſtione tria ſunt uidenda. Primũ. Vtrum unitas ſpecifica habitus ſcientifici ſummatur ex unitate ſubiecti formaliter ſumpti? Quia hoc tangit primũ argumentũ. Secundum eſt, in quo genere cauſæ ſe habet ſubiectum ad ſciẽtiam in ſpecificando. Et hoc quærit ſecundum argumentum. Tertium eſt, quod quærit quæſtio principalis. Hoc tangunt auctoritates in oppoſitum.

*De a. c. 1. Tex. c. 2.*

### ARTICVLVS I.

QVANTVM ad primum eſt aduertendũ, quòd quãmuis dicatur communiter, quòd unitas ſpecifica ſcientiæ ſummatur ex ſubiecto formaliter ſumpto, quidam tamen doctores negant iſtam concluſionem dicentes, quòd huiuſmodi ſpecificatio ſummitur ex alio, & alio modo cognoſcendi ſpecifico, ſiue ex alio, & alio modo ſciendi ſpecifico ipſius intellectus. Et ponũt iſti doctores duas concluſiones. Prima eſt negatiua, uidelicet, quòd ſcientia non ſortitur ſpeciem a ratione formali ſubiecti. Secunda eſt affirmatiua, uidelicet, ꝙ unitas ſpecifica ſcientiæ ſummitur ex alio, & alio modo cognoſcendi ſpecifico intellectus, & per conſequens unitas ex unitate. PRIMA concluſio ſic probatur. Opinio, & ſcientia magis differunt, quàm duæ ſcientiæ, & tamen poſſunt eſſe de eodem ſubiecto formaliter ſumpto: ergo multo fortius duæ ſcientię erũt de eodem ſubiecto, conſequentia nota eſt de ſe: & antecedens probatur, quantũ ad ambas partes. 1 Quòd .n. magis differant opinio, & ſcientia, quàm duæ ſcientiæ patet: habitus enim diuiditur in opinionẽ, & ſcientiam, & ſic de aliis 6. ethicorum. Cum ergo omnes ſcientiæ comprehendantur ſub uno membro diuiſionis, a quo per oppoſitum diſtinguitur opinio, magis conueniunt quæcunque duæ ſcientiæ, quàm ſcientia, & opinio; ſicut magis conueniunt duo rationalia, quàm rationale, & irrationale. Secunda pars antecedentis patet: quia de eodem unus poteſt habere ſcientiam, & alter opinionẽ; ergo &c. 2 Preterea ad idẽ: ratio formalis ſubiecti, a qua ſummitur differẽtia ſpecifica, uel eſt una ſecundum ſpeciem, uel ſecundum genus ſubalternum, uel ſecundum genus generaliſsimum, uel ratione entis: non una ſecundum ſpeciem, quia ſic tot eſſent ſcientię, quot ſunt ſpecies ſpecialiſsimę, quod eſt falſum: nec una ſecundum genus ſubalternum, quia tot eſſent ſcientiæ, quot ſunt genera ſubalterna, quod etiã eſt falſum: nec ratione generaliſsimi, quia tunc eſſent decẽ ſcientię, & non plures, quod eſt ſimiliter falſum: nec ratione entis, quia non eſſet niſi una ſcientia, quod falſum eſt: ergo ſcientia non ſummitur ſpecificè ex formali ratione ſubiecti, nec ſpecificatur ab eo. SECVNDA concluſio probatur ſic. 1 Scientiæ debent diſtingui ſecundum diuerſos modos ſe habendi ipſius intellectus, ſed intellectus ſe habet aliter, & aliter, ſiue habet alium modum cognoſcendi principia, & demonſtrandi concluſiones: quia aliquando cognoſcit extenſus ad ſenſibilia, ſicut in naturalibus: aliquãdo extenſus ad imaginabilia ſituata, ſicut in Geometria: aliquãdo ad abſtracta a ſitu, ſicut in numeris, ut Arithmetica: aliquando uero eſt conuerſus ad ſe ipſum, ut intelligit pura intelligibilia, & ſimpliciter abſtracta, ut in metaphyſica. ergo &c. Minor declarata eſt. Maior patet. Nam cum, ſcientiæ ſint perfectiones intellectus, neceſſe eſt ipſas diſtingui per diuerſos modos ſe habendi ipſius intellectus. 2 Præterea differentiæ ſpecificę diuidunt rationem formalem generis, & conſtituunt ſpeciem, ut patet 7. metaphyſicæ: alatum enim, & non alatum non diuerſificant ſpeciem animalis: quia non diuidunt cognoſcere, & ſentire: ſed ſic eſt, ꝙ alius, & alius modus cognoſcendi

*Elicitur ex Ariſtot. 1. poſt. tex. c. 43.*
*Aureoli opinio.*
*Vide hunc Docto. 1. ſent. quæſt. 1. prolog. art. 3. et 4.*
*Cap. 4. & deinceps.*
*Ariſt. 3. de anima & alibi. Elicitiue ex tex. c. 42.*

ſcendi ſpecificus ipſius intellectus ſunt differẽtiæ ſpecificæ ſcientiæ: ergo &c. Et confirmatur iſta opinio per

*tex.c.2.*

Philoſophum, & Commentatorem 6. metaphyſicæ, ubi dicunt, quòd diuerſitas artium ſit per diuerſitatem modi diffinitionum dicendarum in eis, & per conſequens per diuerſitatem modi cognoſcendi, & demonſtrandi.

*Confutatio opinionis Aureoli.*

HAEC autẽ opinio [ſalua pace] non uidetur uera: nec eius etiam motiua: ideo quantum ad iſtum articulũ uidetur mihi dicendum. Cuius gratia aduertendum eſt, quòd ſpecificatio eſt duplex, extrinſeca, & intrinſeca. Eſt etiam notandũ, quòd aliqua accidẽtia ſunt, in quibus alius modus ſpecificationis reperitur, quàm in ſubſtantiis: ſubſtantia.n. nõ ſpecificatur, niſi per differẽtiam, quæ eſt de intrinſeca ratione quidditatiua, ut homo per rationale: quædam uero accidentia ſpecificãtur per extrinſeca, ut ſimitas, quę diffinienda eſt per naſi curuitatẽ, ita, quòd illud accidens trahitur ad ſpeciem ſimitatis per naſum: curuitas.n. nunquam eſt, in naſo, niſi ſit ſimitas, & impoſsibile eſt ipſam eſſe in naſo, quin ſit ſimitas: ergo ſimitas uidetur ſpecificari per aliquid, qd' eſt extra naturam ſuam: quia per ſubiectum, & hæc ſpecificatio poteſt dici extrinſeca: quia licet natura diuiſim ibi ſpecificetur, ut ſimitas, ſpecificatur tamen per aliquod extrinſecum; & iſto modo uidentur ſpecificari omnes paſsiones propriæ conuertibiles cum ſubiecto: quia ad diuerſitatem ſpecificam ſubiecti ſequitur neceſſariò diuerſitas ſpecifica propriæ paſsionis: aliàs enim in duabus naturis ſpecie diſtinctis eſſet una proprietas eiuſdẽ rationis, quæ non eſſet propria paſsio alicuius naturæ: immo eſſet accidens commune. Dicitur autem talis paſsio ſpecificari a ſubiecto: quia ſicut ſpecies ſubſtãtiæ non poſſunt eſſe, nec intelligi ſine differentia ſua, & ad uarietatem differentiæ ſequitur uariatio ſpeciei: ita talis paſsio non poteſt eſſe, nec intelligi ſine ſubiecto, ut patuit de ſimitate in naſo: uariatur enim paſsio propria ad uarietatem ſpeciei: & ſicut differentia cadit in diffinitione ſpeciei, ſic ſuo modo in diffinitione proprię paſsionis cadit proprium ſubiectum, ut dicitur primo phyſicorum.

*tex.c.29*

*Opinio propria.*

APPARET igitur ex dictis, quòd quædam eſt ſpecificatio extrinſeca, & quędam intrinſeca: ſi ergo loquamur de ſpecificatione extrinſeca, pono duas, concluſiones oppoſitas duabus antecedentibus antedictis. Prima eſt, quòd unitas ſpecifica habitus ſcientifici ſumitur ex unitate ſubiecti adæquati formaliter ſumpti. Secunda concluſio eſt, quòd talis unitas non poteſt ſumi ex alio, & alio modo ſpecifico cognoſcendi. Si autem loquamur de ſpecificatione intrinſeca, dico, quod ſcientia non ſpecificatur a ſubiecto, nec à modò cognoſcendi: ſed ſe ipſa per eſſentiam ſuam formaliter ſpecificatur. PRIMA concluſionem ſic probo dupliciter. 1 Sicut ſe habet menſura intrinſeca ad ſpecificandum intrinſecè, ita ſe habet menſura extrinſeca ad ſpecificandum extrinſecè: ſed propria mẽſura intrinſeca eſſe rei ſpecificat rem intrinſecè; ut differentia, ſpecies: unitas, numerum: ergo propria menſura extrinſeca eſſentiæ alicuius ſpecificat illud extrinſecè: ſed ſubiectum eſt propria menſura extrinſeca ſcientiæ ſecundum Philoſophum, 5. & 10. metaphyſicæ, ubi dicit, quòd ſcibile, quod menſurat ſcientiam, certum eſt, quòd eſt menſura propria ſcientię: ergo, &c.

*tex.c.12.*

*tex.c.2.*

2 Per illud conſtituitur aliquid in eſſe ſpecifico, per quod diſtinguitur ab aliis ſpecificè: hoc apparet: quia idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum: ſed ſcientia quæcunque diſtinguitur ſpecificè ab aliis ſcientiis per ſubiectum adæquatum formaliter, ut patet 3. de anima, ubi dicitur ſecantur ſcientiæ, quẽadmodum & res. Et confirmatur iſta poſitio 1. poſteriorum: quia ſcientia una eſt unius generis ſubiecti.

*tex.c.38.*

*tex.c.43.*

SECVNDA concluſio probatur dupliciter.

1. Quandocunque aliquæ cauſæ ſubordinatæ, quarum una dependet ab alia, concurrunt ad unum effectum, magis per ſe dependet effectus à cauſa independente, quàm à dependente: ſed ad diuerſitatem ſpecificam habitus ſcientifici concurrit diuerſitas modi cognoſcendi, & diuerſitas obiecti cognoſcibilis; & alietas modi cognoſcendi dependet ab alietate obiecti cognoſcibilis: ergo diuerſitas ſpecifica habitus per ſe dependet magis ab alietate cognoſcibilis obiecti, quàm ex alietate modi cognoſcendi. Maior eſt nota de ſe. Minor probatur. Omne illud, quòd poteſt diuerſis modis cognoſci, eſt diuerſimode cognoſcibile: aliter intellectus cognoſceret, quod impoſsibile eſt cognoſci, quod implicat, & per conſequens non poteſt aſsignari diuerſitas in modo cognoſcendi ſine diuerſitate aliqua ex parte obiecti cognoſcibilis: patet, non enim quia intellectus aliter, & aliter intelligit, obiecta ſunt aliter, & aliter intelligibilia: immo per oppoſitum, quia obiectum eſt aliter, & aliter intelligibile; idcirco poteſt intellectus aliter, & aliter ipſum intelligere, & per conſequens diuerſitas modi cognoſcendi dependet ex diuerſitate obiecti cognoſcibilis: ergo, &c.

2 Ad idem. Si diuerſitas modi cognoſcendi ſufficit ad diuerſitatem ſpecificam ſcientiarum, ſequeretur, quòd ueritas eiuſdem concluſionis non poſſet ſciri in eadem ſcientia diuerſimode: conſequens eſt falſum: quia ſcientia naturalis poteſt demonſtrare eandẽ concluſionem diuerſis modis, ſcilicet per oppoſita genera cauſarum: ergo & antecedens: conſequentia nota eſt de ſe. TERTIA concluſio probatur dupliciter.

1 Nulla res ſpecificatur intrinſecè per illud, quod eſt ei totaliter extrinſecum: ſed ſubiectum ſcientiæ, ſcilicet ſcibile, eſt ei totaliter extrinſecum: ergo concluſio. Maior eſt nota de ſe: Minor dupliciter probatur. 1. Nã ſcibile realiter diſtinguitur a ſcientia. 2 Si obiectum ſpecificaret ſcientiam ſpecificatione intrinſeca, ſequeretur, quòd omne obiectum cognoſcibile eſſet qualitas exiſtens in intellectu: conſequens eſt falſum: ergo: Conſequentia patet. Nam, cum illud, quod ſpecificat intrinſecè rem, ſit de eſſentia eius: ſi obiectum hoc modo ſpecificaret ſcientiam, eſſet de eſſentia eius, & per conſequens eſſet qualitas exiſtens in intellectu. RESTAT ergo reſpondere ad rationes alterius opinionis. Ad primam probantem primam cõcluſionem dico, quòd conſequentia non eſt uera.

*Solutiones ad rationes Aureoli.*

Nam non eſt ſimile de opinione, & ſcientia, & duabus ſcientiis: opinio nanque non diſtinguitur à ſcientia per ſubiectum, ſed per medium. Duæ autem ſcientiæ diſtinguũtur ab inuicem per obiectum, non per medium: & ideo quantumcunque duæ ſcientiæ differant inter ſe, magis tamen conueniunt, quàm opinio, & ſcientia: quia ſcientiæ quæcunque diſtinguuntur per obiecta: conueniunt in genere, ſub quo non conueniunt opinio, & ſcientia: & tamen ſcientiæ quæcunque diſtinguuntur per obiecta, non obſtante etiam iſta maiori conuenientia inter duas ſcientias, quàm inter ſcientiam, & opinionem: opinio autem, & ſcientia non niſi per medium diſtingui poſſunt: ergo opinio, & ſcientia, poterunt eſſe de eodem obiecto formaliter ſumpto: duæ autem ſcientiæ minimè, quod declarari poteſt in ſimili. Quamuis namque riſibile magis conueniat cum rudibili, quàm cum quantitate: quia tamen propriæ paſsiones diſtinguuntur per ſubiecta: & accidens commune non diſtinguitur à proprio per ſubiectum, ſed per hoc eſt oriri, quod ex propriis principiis ſpeciei: idcirco poterunt eſſe riſibilitas, & quantitas in eodem ſubiecto, in quo non ſe compatiuntur riſibilitas, & rudibilitas: & ita eſt in propoſito: opinio ergo, & ſcientia poterunt eſſe in eodem ſubiecto: ſed neceſſario differunt in medio: procedit enim ſcientia per medium neceſſarium, opinio per medium contingens: duæ autem ſcientiæ conueniunt in hoc, quod eſt habere medium neceſſarium: ſed differunt neceſſario in ſubiecto: ergo non concludit ratio. Ad ſecundum dico, ꝙ illa diuiſio eſt inſufficiens: quia ratio formalis obiecti reſpectu omnium conſideratorum in ſcientia, non eſt neceſſariò ratio ſpecifica, nec generis, nec entis, uel uniuoca; ſed eſt ratio analoga, uel per attributionem eſt una: ſanitas enim ad urinam, cibum, & animal eſt una ratio



ratio analoga; & tamen eſt ratio formalis obiecti Medicinę. Diuinitas, uel glorificatio eſt una ratio omnium conſideratorum in Theologia per attributionem, & eſt ratio formalis in Theologia: ergo non concludit ratio. AD PRIMAM rõnẽ ſecundæ concluſionis dico, ꝙ Maior eſt ſimpliciter falſa: probatio magis cõcludit oppoſitum, quàm propoſitum: quia ex quo omnes ſcientiæ perficiunt intellectum, non poteſt earum diuerſitas ſumi ex aliquo, quod ſe teneat ex parte intellectus: ſed ſumetur penes illud, in quo habet incompoſsibilitatem; & hoc eſt ſubiectum, ut patuit. Ad ſecundum, quicquid ſit de Minori, dicendum, quòd Maior ſumit falſum; & ſuppoſito, quòd non ſumeretur falſum, non eſt ad propoſitum: quando enim dicitur, quòd differẽtiæ ſpecificæ diuidunt rationem generis formalem; dicendum, quòd falſum eſt: ratio namque formalis generis non diuiditur per differentias: cum tota ratio generis reſeruetur in qualibet ſpecie: differentiæ .n. nõ diminuũt aliquid de ratione generis; ſed ſuper illam addunt ſe ipſas, ut rationale non tollit aliquid ab homine de ratione animalis, ſed addit ſe ſuper animal. Verum eſt.n. quòd per hanc additionem tollitur ambitus animalis: quia animal rationale non habet ita magnum ambitum, ſicut animal, quod eſt genus: ſed aliud eſt ambitus, & aliud eſt ratio formalis generis: conceſſo tamen, quòd hoc dictum eſſet uerum, non eſt ad propoſitum: quia non quærimus hic de ſpecificatione intrinſeca, quæ ſummitur eſſentialiter à differentia: talis.n. ſpecificatio non eſt, niſi per eſſentiam rei: & iſto modo ſic oſtenſum eſt, ꝙ nec ab obiecto, nec a modo intelligendi diuerſificantur, ſed ſe ipſis formis: ergo non eſt ad propoſitum. Ad dictum Philoſophi, & Cõmentatoris dicendum, quòd iſti modi diuerſi diffiniendi, & declarandi, qui requiruntur ad diuerſitatem ſcientiarum, nihil aliud ſunt, quàm termini, & propoſitiones propriæ cuiuslibet ſcientiæ, de quibus debent dari diuerſæ diffinitiones, & diuerſitas talium diffinitionum facit diuerſitatem ſcientiarum diuerſarum; & quia principaliter diſtinguntur penes obiecta; relinquitur, quòd ſcientiæ diſtinguntur per obiecta: & ideo auctoritas facit magis ad propoſitum, quàm ad oppoſitum.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

AD ſecundum. In quo genere cauſæ ſe habet ſubiectum ad ſcientiam, ut ſpecificat ipſam. Dicunt aliqui in genere cauſæ efficientis. Alij, quòd in genere cauſę finalis. Motiuum iſtorum tactum eſt in arguendo. Videtur.n. eis, cum obiectum ſit extrinſecum ipſi ſcientiæ, & omnis cauſa extrinſeca ſit efficiens, uel finalis, quòd ſubiectum non poterit comparari ſcientiæ, niſi in genere cauſæ efficientis, uel finalis. HAEC opinio uidetur mihi impoſsibilis, & uidetur mihi, quòd ſubiectum comparetur ad ſcientiam, ut forma exemplaris: eſt.n. ſcientia imago quædam ſui obiecti; & obiectum eſt exemplar quoddam habitus ſcientifici: & quia de ratione imaginis eſt, quòd ducat in compoſsibilem cognitionem ſui exemplaris: idcirco ſicut impoſsibile eſt, quòd imago Cæſaris non ducat in cognitionem Cæſaris: quia tunc eſſet imago Cæſaris, & non eſſet imago Cæſaris ita impoſsibile eſt quacunque ueritate eſſe ſcientiam de corpore mobili, cui non reſpondeat pro obiecto corpus mobile. Cum ergo quæritur, in quo genere cauſæ ſe habeat ſubiectum, ut ſpecificat ſcientiam? Dico, quòd in genere cauſæ formalis, & exẽplaris, eo modo, quo expoſitũ eſt. Pro quo pono duas cõcluſiones. Prima eſt, ꝙ ſubiectũ, ut ſpecificat ſciẽtiam, non poteſt ſe habere ad ipſum in genere cauſæ efficientis, uel finalis. Secunda eſt, quòd ſe habet in genere cauſæ formalis exemplaris. PRIMAM concluſionẽ probo ſic. Deus poteſt ſupplere uicem cauſæ efficientis, uel finalis: poteſt enim facere ſine cauſa ſecunda efficienti, uel finali, quicquid poteſt cum illis: ſed deus non poteſt ſupplere uicem obiecti, ut ſpecificat habitum: nec poteſt facere ſcientiam de corpore mobili, cui non reſpondeat pro obiecto, niſi deus: ergo obiectũ reſpectu ſcientiæ non poteſt habere cauſalitatem efficientis, uel finis. SECVNDAM concluſionẽ probo ſic. Sicut ſe habent cauſæ intrinſecæ ad ſpecificandum rem ſpecificatione intrinſeca; ita ſe habent cauſæ extrinſecæ ad ſpecificandum rem ſpecificatione extrinſeca: ſed inter cauſas intrinſecas ſolum genus cauſæ formalis eſt ſpecificatiuum intrinſecè: ergo inter cauſas extrinſecas ſolum genus cauſæ formalis exemplaris eſt maxime ſpecificatiuum extrinſecè, quod ſpecificatiuum habet propriam cauſam exemplarem: ergo ſubiectum potius ſpecificat ſcientiam, ut eſt forma exemplaris eius, quàm ut eſt efficiens, uel finis.

AD illorum, motiuum, ſolutum eſt per prædicta: procedit enim ex in ſufficienti diuiſione: quia data, eſt tertia cauſa extrinſeca præter efficientem, & finalem, ſcilicet cauſa exemplaris formalis.

## ARTICVLVS TERTIVS.

QVANTVM ad tertium patet ex his, quæ dicta ſunt ſpecialiter in primo articulo, quòd ex nobilitate, & perfectione ſubiecti arguitur neceſſario nobilitas, & perfectio ſcientiæ. Et poteſt formari talis ratio. Ex eo habet ſcientia, quòd ſit perfectior; & dignior aliis ſcientiis, ex quo conſequitur ſuam ſpecificationẽ: ſed hoc habet ex ſubiecto formaliter ſumpto, ut probatum eſt in primo articulo: ergo. Maior probatur, quia ſcientiam eſſe perfectiorem, & digniorem aliis eſt ipſam habere altiorem gradum ſpecificum: ergo.

AD RATIONES, ad primam cum dicitur in Minori, quòd duæ potentiæ habent unum obiectum ſub eadem ratione formali, dico, quòd falſum eſt. Nam licet color ſub ratione coloris percipiatur à ſenſu communi, non propter hoc eſt eius obiectum adæquatum; ſed pars ſubiectiua ſui obiecti adęquati: ſicut eſt albedo reſpectu uiſus: immo color non eſt obiectũ formale duarũ potentiarũ, ſed unius ſcilicet uiſus: ipſius uerò ſenſus communis eſt obiectum materiale: ideo non concludit ratio.

Ad ſecundam rationem patet, quid dicendum ſit per dicta: nam Minor procedit ex in ſufficienti diuiſione: ſubiectum .n. reſpectu ſcientię non ſe habet in genere cauſæ efficientis, uel finalis: ſed in genere cauſæ formalis exemplaris: ergo. &c.

## QVAESTIO II.

### An Anima ſi ſubiectum in hoc libro?

CONSEQVENTER quæritur, Vtrum anima ſit ſubiectum in hoc libro? Et uidetur, quòd ſic. Illud eſt ſubiectum in hoc libro, de quo primo, & principaliter conſideratur in eo: ſed anima eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet; quia hoc eſt de ratione ſubiecti. Minor etiam patet, quia intitulatio libri dicitur eſſe a priori, & digniori in ſcientia: ſed iſte liber intitulatur de anima: ergo, & cæt.

AD OPPOSITVM arguitur ſic. Subiectum, & habitus debent eſſe adæquati: ſed anima, & doctrina tradita in hoc libro, non ſunt adęquata: quia ad multa ſe extendit hæc doctrina, ad quæ non ſe extendit anima, nec quæ ſunt anima, ut patet intuenti, ergo. RESPONDEO, in iſta q̃ſtione ſunt tria, uidẽda. Primo uidendũ eſt. Vtrum ſit idem eſſe ſubiectum in ſcientia, & eſſe de conſideratione ſcientiæ? Quia hoc quærit primum

mum argumentum. Secundo uidendum eſt, qualis adæquatio debeat poni inter habitum, & ſubiectum, etiam hoc quærit ſecundum argumentum. 3 Videndum eſt, quòd quærit quæſtio principalis.

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum antequàm uideamus. Vtrum ſit idem eſſe ſubiectum in ſcientia, & eſſe de conſideratione ſcientiæ? Eſt aduertendum, quòd non intendimus hic loqui de ſubiecto, in quo eſt ſcientia. Sic enim ſubiectum omnium ſcientiarum eſt unum, & idem, ſcilicet anima intellectiua: ſed intendimus de ſubiecto, de quo eſt ſcientia: & tale ſubiectum oportet habere quatuor conditiones. Prima eſt, quòd ſit aliquid incomplexum, ſcilicet terminus, & non propoſitio.

Secunda eſt, quòd omnia conſiderata in ſcientia recipiant prædicationem ipſius, uel habeāt per ſe attributionem ad ipſum. Tertia eſt, quòd aliquid poſsit prædicari de eo denominatiuè. Quarta eſt, quòd illud tale ſit per ſe, & primo, & principaliter conſideratum in ſcientia, cuius dicitur eſſe ſubiectum: unde ſi aliqua iſtarum conditionum deficiat, non poteſt eſſe ſubiectum: immò probo iſtas conditiones neceſſario ineſſe cuilibet ſubiecto ſcientiæ. PRIMAM conditionem probo ſic. Illud quod eſt ſubiectum in ſcientia, eſt ſubiectum concluſionis demonſtratæ: ſed ſubiectum concluſionis demonſtratæ, eſt aliquis terminus propoſitionis incomplexus, & non propoſitio: ergo. Minor patet. Probatur Maior: quia ſcientia eſt habitus concluſionis demonſtratæ, & per conſequens illud eſt ſubiectum in ſcientia, de quo aliud eſt demonſtratum in concluſione ſcita, ſed in concluſione ſcita demonſtratur prædicatum de ſubiecto: ergo ſubiectū concluſionis ſcitę eſt ſubiectum in ſcientia, & hoc eſt incomplexū. PROBO ſecundā cōditionem ſic. Si omnia per ſe conſiderata non reciperēt prædicationem ſubiecti adæquati ipſius ſcientię, uel ſaltim non haberent attributionem ad ipſum; ſequeretur, quòd nulla ſcientia de mundo eſſet una; & ſic tolleretur unitas in ſcientia, & per cōſequens diſtinctio, quod eſt falſum. Probatur conſequentia, quia tunc in quacunque ſcientia conſiderantur diuerſa, ut diuerſa ſunt: & non aliquo modo, ut unum: ergo ſcientia, quę de talibus conſideraret, non eſſet una: quia in una ſcientia impoſsibile eſt, quòd conſiderentur diuerſa, ut diuerſa ſunt: & non aliquo modo, ut unum: ergo. TERTIAM cōditionem probo ſic, Omnis ſcientia probat de ſubiecto aliquas paſsiones, uel aliqua per modum paſsionum: ſed paſsiones prædicantur denominatiuè: ergo de ſubiecto ſcientię prædicantur aliqua denominatiuè, & non ſolum eſſentialiter. Maior: & Minor patent, ergo. QVARTAM conditionem probo ſic, Omnis ſcientia conſequitur ſpecificationem, & perfectionem ab eo, de quo primo, & principaliter conſiderat: aliter, cum ſcientiæ conſiderent de multis magis, & minus perfectis, quęlibet ſcientia eſſet in diuerſis, & quælibet eſſet perfectior, & nobilior ſe ipſa, quod impoſsibile eſt: ſed, ut probatum eſt in pręcedenti quæſtione, ſcientia conſequitur nobilitatem, & perfectionem ex ſubiecto adæquato formaliter ſumpto: ergo tale dicitur conſiderari in ſcientia per ſe; primo, & principaliter: & hæc erat quarta conditio.

*Probatio cōditionū ſubiecti.*

HIS uiſis dico quantum ad iſtum articulum, quòd non eſt idem, eſſe ſubiectum in ſcientia, & eſſe de conſideratione ſcientiæ: non enim omne, quod conſideratur in ſcientia, & per ſe, eſt ſubiectum adæquatum ſcientiæ, quod probo ſic. Si omne per ſe conſideratum in ſcientia eſſet ſubiectum adæquatum ſcientiæ; ſequeretur, quòd unaquæque ſcientia haberet diuerſa ſubiecta adæquata: conſequens eſt falſum, ergo. Falſitas conſequentis patet ex tribus. PRIMO, quia ſi ita eſſet, nullum illorum ſubiectorum eſſet ſubiectum adæquatum: & cum quodlibet illorum ponatur eſſe adæquatum, eſſet adęquatum, & non adæquatum, quod implicat. SECVNDO ſic, quia tunc nulla ſcientia eſſet una: quia, ut dicitur 1. poſteriorum, ſcientia una, quæ eſt unius generis &c. Si ergo quælibet ſcientia habet plura ſubiecta adæquata, nulla eſſet una. Conſequentia probatur, quia cum quælibet ſcientia per ſe conſideret plura, & diuerſa, ſi omne tale ſit ſubiectum, quælibet ſcientia haberet plura ſubiecta; & ſic patet conſequentia. TERTIO ad idem ſic. Sicut ſe habet obiectum ad potentiam; ſic ſuo modo ſe habet ſubiectum ad ſcientiam: ſed non omne per ſe cognitum à potentia eſt eius obiectum adęquatum: ſed poteſt eſſe eius pars ſubiectiua: ergo non omne per ſe conſideratum in ſcientia erit in ſcientia ſubiectum; immo poterit de multis per ſe conſiderare, quæ non erunt ſubiectum, ut de partibus ſubiecti adæquati, quæ non ſunt ſubiectum in ſcientia, & multis, quæ ſunt per accidens.

*Deciſio articuli.*

*tex. c. 43.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

QVANTVM ad ſecundum articulum, ſuppoſito, quòd per ſubiectum adæquatum habitus, intelligatur illud ſubiectum, quod non excedit habitum, nec exceditur ab eo: ſicut per obiectum adæquatum potentiæ intelligitur illud, quod non excedit potentiam, nec exceditur ab ea: hoc enim modo attenditur adæquatio inter omnia, quæ dicuntur adæquata ad inuicem, ſiue ſint adæquata quantitatiuè; ſiue ſecundum agere, & pati; ſiue quocunque alio modo: aliàs, quòd ponitur eſſe adæquatum, poneretur eſſe inadæquatum, quod falſum eſt. HIC occurrit una dubitatio magna. Nam cum ſubiectum adęquans habitum, uel obiectum adæquans potentiam, ſolum ſit unum ſecundum quid; ſimpliciter autem plura, ut patet in obiecto uiſus, ſi ſit color: color namque eſt unum ſecundum quid: non enim dicit unitatem aliquam realem, ſed ſolum ſecundum rationem, ut ſuppono ad præſens, eſt autem ſimpliciter plura: quoniam ſecundum rem dicit plures colores: & hoc poteſt declarari de corpore mobili, quod eſt ſubiectum in Philoſophia naturali: eſt enim, ſicut color, unum ſecundum quid, plura autem ſecundum rem corpora, & ſimpliciter. Occurrit ergo dubitatio magna ualde. Vtrum tale ſubiectum adæquat habitum, ut eſt plura ſimpliciter, uel ut eſt unum ſecundum quid. Et hoc idem dubium eſt de obiecto potentiæ, ut adęquat ipſam. AD quod reſpondent aliqui doctores dicentes, quòd ſubiectum adæquat ſcientiam, & obiectum potentiam, ut ſunt plura ſimpliciter; & non, ut ſunt unum ſecundum quid, quod probant dupliciter. 1 Sic, obiectum adæquatum potentiæ, uel adæquat ipſum per plures rationes, ut plures; uel per plures, ut una; aut per unam, ut una: ſi dicatur, quòd per plures, ut plures; habetur propoſitum: ſi per plures, in quantam una; hoc eſt impoſsibile: quia tunc ſequeretur, quòd ſenſus non cognoſceret in ſuo obiecto adęquato plures rationes diſtinctas, ut diſtinctæ; quod patet falſum per omnes ſenſus diſcurrendo: nam certum eſt, quòd uiſus ſe extendit ad cognoſcendum album, & nigrum, ut diſtinguuntur ad inuicem; & ſic de ſingulis. Conſequentia probatur ſic. Nulla potentia extendit ſe ultra ſuum obiectum adæquatum: ſi ergo ponatur, quòd obiectum adæquatum adæquat ſibi potentiam per plures rationes, ut una; illa ſola una adæquabit potentiam, & per conſequens non extendit ſe potentia ad alias plures diſtinctas, ſed ſolum in quantum ſunt indiſtinctæ ſub illa: & idem inconueniens ſequeretur, & maius; ſi ponatur, quòd obiectum adæquat potentiam per unam rationē, in quantum una: relinquitur ergo, quòd per plures, in quantum plures. 2 Sic, uniuerſale ſumptum uniuerſaliter, eſt ſimpliciter plura; ſed obiectum adæquatum

*Dubium ſatis difficile.*

*Reſponſio quorundam ad difficultatem.*



annihilare unum hominem? Si diceretur, quòd non. Eſſet error in fide. Si uero dicatur, quod poteſt. Supponatur, quòd annihiletur de facto: quia nullum propter hoc ſequeretur impoſsibile, hoc ſuppoſito, iſta ꝓpoſitio eſt uera, iſte homo eſt annihilatus. Sed probo ulterius, qđ iſta alia ſit uera, iſte homo. ſ. Plato non eſt annihilatus, loquendo de eodem homine. Arguitur ſic, multæ realitates de eſſentia huius hominis manent in re: ergo iſte homo non eſt annihilatus: conſequentia nota eſt, intellecto, quid importatur nomine annihilationis: antecedens tenet per eos, quia adhuc eſt realitas humana animalitatis, & uſque ad rationem entis, quæ realitates erunt ueræ de eſſentia huius hominis: ergo uera eſt propoſitio, quæ dicitur, iſte homo. ſ. Plato non eſt annihilatus, loquendo de eodem homine; & per conſequens iſtæ duæ propoſitiones erunt ſimul ueræ, quod eſt contradictorium: ergo &c. 3 Ad idem ſic. Quandocunque aliquæ duæ differentiæ diuiduntur ex oppoſito, quicquid continetur ſub una illarum, opponitur omnibus contentis ſub alia, & econuerſo; ſed unitas realis, & diuerſitas ex oppoſito diſtinguuntur: ergo quicquid continetur ſub diuerſitate reali, opponitur contentis unitati reali, & econuerſo: ſic, quod non compatiuntur ſe in eodem: cum oppoſita non poſsint ſimul eſſe in eodem: ſed in Sorte, & Platone eſt aliqua diuerſitas realis, ſcilicet numeralis: ergo in eis nulla erit de mundo unitas realis: ergo. Sed conſtat, quod in eis eſt unitas ſpecifica: ergo unitas talis non eſt realis. Maior patet exemplo, & ratione. Exemplo quidem: uidemus enim, quod eo, quod corporeum, & incorporeum diuidūtur ex oppoſito, idcirco quicquid continetur ſub corporeo, opponitur cuicunque contento ſub incorporeo: ita, quòd nunquàm compatiuntur ſe in eodem; nec econuerſo: ergo iſto modo erit in omnibus aliis, quæ oppoſito modo diuiduntur. AD maiorem confirmationem huius propoſitionis probo eam ratione ſic. Quicquid includit unum oppoſitorum intrinſecè, & formaliter, habet oppoſitionem ad aliud oppoſitum; & ad omne, quod includit formaliter, & intrinſecè aliud oppoſitū, hæc patet ex terminis: ſed quicquid continetur formaliter ſub una differentia, includit ipſam formaliter, & intrinſecè: ergo omne tale habet differentiam oppoſitam ad aliam differentiam, & ad omnia contenta ſub illa differentia; eo, quod includit eam formaliter: ergo &c. Tota ratio patet exemplo dato, de corporeo, & incorporeo. Maior; ergo patet. Minor probatur ſic. Diuerſitas realis ſpecifica opponitur unitati reali numerali, hæc patet de ſe: tunc arguitur ſic. Quicquid competit particularibus differentibus ſpecie, competit eis per aliquod commune ſubiectum, cui illud competit, inquantum tale 2 Priorum. Patet, eo, quòd ſentire per ſe competit homini, & aſino, neceſſariò competit eis per animal, cui competit inquantum tale: inquantum enim animal eſt animal, eſt ſenſibile: ſed opponi unitati reali numerali oppoſitione prædicta competit diuerſitati reali numerali: ergo competit eis per aliquod commune ſubiectum, ſed primum cōmune, in quo conueniunt iſtæ diuerſitates reales, eſt diuerſitas realis abſolutè ſumpta: ergo diuerſitati reali: in quantum diuerſitas realis eſt, competit opponi unitati reali: ergo &c. Et ſic eſt Minor probata. AD RATIONES. Ad primam, quando dicitur, à quibuſcunque remouetur diuerſitas realis &c. Dico, quod hæc propoſitio poteſt dupliciter intelligi, ſicut iſta, à quocunque remouetur uiuum, ponitur non uiuum: tamen remouere ab aliquo uiuum poteſt dupliciter contingere, uel uniuerſaliter, ſcilicet, quando remouetur omne uiuum, uel particulariter, ſcilicet, quando remouetur hoc uiuum, ſcilicet, ſpecificum, ut uiuere uita humana: à quocunque remouetur ergo uniuerſaliter uiuum; neceſſariò in eo ponitur non uiuum, uel eſſe nihil. 2 A quocunque remouetur uiuum particulariter, uel ſpecificum, nō oportet, quòd in eo ponatur non uiuum, ſed ſufficit, quod ponatur illud uiuum ſpecificè diſtinctum: licet. n. ab homine remoueatur uiuum aſininum, non tamen ponitur in eo non uiuum; ſed ſufficit, quod in eo ponitur aliquod uiuum, ſcilicet humanum: unde peccaret per fallaciam elenchi, uel conſequentis: ita in propoſito dico; nam diuerſitas realis poteſt ammoueri ab aliquibus dupliciter, uno modo uniuerſaliter, ſic, quod inter iſta nulla realis diuerſitas remaneat: & tunc propoſitio eſt uera, ſcilicet, quod in talibus neceſſariò ponitur aliqua unitas realis, ſed tunc minor eſſet falſa, quia à Sorte, & Platone non remoueretur omnis diuerſitas realis, cum realiter diſtinguitur. Alio modo poteſt ab eis remoueri diuerſitas realis particulariter: quia talis realitas, puta, realitas ſpecifica remouetur ab eis, & tunc non oportet, quod in eis ponatur aliqua unitas realis; ſed ſufficit, quòd in eis ponatur aliqua diuerſitas realis: & ita eſt in propoſito: quia, quamuis ab eis remoueatur diuerſitas ſpecifica realis, ponitur tamen in eis diuerſitas numeralis: & ſic de plano committitur fallacia conſequentis, & breuiter talis forma arguendi deficit in omnibus formis habentibus gradum, uel gradus. Ad ſecundum dico eodem modo, ſicut ad primum: quia eodem modo ſe habet totaliter. Quando ergo dicitur, à quocunque remouetur diuerſitas maior, &c. Dico, quod non oportet, ſed ſufficit, quod ponatur in eis alia diuerſitas alterius rationis, ut ſuperius eſt expreſſum: & ita eſt in propoſito, ut patet ex dictis. Ad tertium, cum dicitur, quod ſi Sortes ſolus ponatur in natura humana; tunc unitas ſpecifica eſſet unitas realis: dico, quòd, ſicut natura ſpecifica eſt indifferens ad eſſe in pluribus ſuppoſitis, & ad eſſe tantum in uno: ita eſt indifferens ad habere unitatem realem, & rationis: nam quando natura ſpecifica in uno ſolo eſt indiuiduo, tunc unitas eius ſpecifica eſt realis: & quando talis natura eſt in pluribus: tunc eius unitas eſt ſecundum rationem: & cum dicitur ulterius, quod diuerſitas numeralis ſtat cum unitate ſpecifica: dico, quod uerum eſt tantum cum unitate ſecundum rationem, ſed non cum unitate reali: immò repugnat ſibi: eo, quod ſibi opponitur, ſicut ſuperius eſt uiſum: ergo &c.

*cap. 23.*

*Ad rationes Scoti*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

QVANTVM ad ſecundum, dicunt ipſi doctores, qui ponunt unitatem ſpecificam eſſe realem, quod ratio entis dicta de deo, & creaturis eſt una ratio realis. Probant ergo duas concluſiones. Prima eſt, quòd ratio entis eſt una in communi. Secunda eſt, quòd eſt realis, & habet eſſe in natura præter operationem intellectus. PRIMAM concluſionem probant ſic. Illa ratio, in qua aliqua ſunt comparabilia ſecundum magis, & minus, eſt una tantum: ſed in ratione entis ſubſtātia, & accidens ſunt comparabilia: ergo ratio entis eſt una tantum. Maior patet, Minor habetur ab Ariſtotile. 7 Methaphyſicæ dicente, quòd ſubſtantia eſt magis ens, quàm accidens. ET confirmatur iſta ratio: quia, cum dico, ſubſtātia eſt magis ens, quàm accidens, intelligimus per li ens ſolam uocem, uel propriam rationem ſubſtantiæ, uel propriam rationem accidentis, uel nihil, uel rationem communem entis. Non poteſt dici, quòd intelligamus ſolam uocem: quia tunc earum comparatio non eſſet ſecundum entitates; ſed ſolum ſecundum uoces. Non poteſt dici, quòd intelligamus propriam rationem ſubſtantiæ: quia tunc eſſet, ac ſi diceretur, ſubſtantia eſt magis ſubſtantia, quàm accidens quod eſt deriſorium. Nec poteſt dici, quòd intelligamus propriam rationem accidentis: quia tunc falſum diceretur:

*Opin. Scot. 1. ſent. d. 3. q. 3. Et d. 8. q. 2.*

*tex. 2.*



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

eſſet enim ſenſus, quod ſubſtantia eſſet magis accidens, quàm accidens. Nec poteſt dici aliquo modo, quod nihil, ergo relinquitur, quod per li ens intelligitur una ratio entis. 2 Ad idem, ratio entis eſt ratio unius ſciẽtiæ: ergo eſt una tantum: conſequentia patet, quia una ſcientia dicitur habere tantum ſubiectum ſub una ratione formali: antecedens patet ex 4. Metaphy. ubi dicitur, quod conſideratio Metaphyſici eſt entis, inquantum ens: ratio ergo formalis Metaphyſici ſubiecti eſt ratio entis: & cum Metaphyſica ſit una ſcientia: relinquitur, quod ratio entis ſit una tantum. CONCLVSIONEM ſecundã probant ſic. Ratio incluſa quidditatiuè in ratione quidditiua reali, eſt uere realis, ſed ratio entis eſt huiuſmodi, ergo. Maior patet, quia nullum reale includit in ſua ratione quidditatiua aliquod ens rationis. Minor etiam patet, nam ratio entis includitur quidditatiuè in ratione quidditatiua cuiuslibet entis realis: aliàs idem ens reale non eſſet quidditatiuè ens; & per conſequens nihil, quod non eſt dicendum. Patet etiam illa Minor per Auicen. 1. Metehpyſicæ ſuæ dicentem, quod ens concipitur in conceptu, ſiue in intellectu cuiuslibet rei, quod non eſſet, niſi ratio entis includeretur quidditatiuè in ratione quidditatiua cuiuslibet rei. 2 Ad idem arguitur ſic. Primum motiuum intellectus habet de neceſsitate uerum eſſe reale extra intellectum: ratio entis eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet, quia quod mouet potentiam ad aliquem actum, prę cedit illum actum neceſſariò: aliter non poſſet mouere illam potentiam ad talem actum: ergo illud, quod mouet ad primum actum, præcedit omnem actum, & per conſequens habet eſſe extra intellectum præter operationem intellectus: primum motiuum intellectus eſt huiuſmodi, ergo. Minorem ponit expreſſè Auincen. primo Metaphyſicę ſuæ, qui dicit, quod ens, & res prima impreſsione in anima imprimuntur. HAEC opinio multo minus uidetur mihi uera, quàm prima, quæ ponebat unitatem ſpecificam realem: plura enim inconuenientia ſequũtur ad hanc poſitionem: immo probo, quod impoſsibile eſt rationem entis dictam de deo, & creaturis eſſe unam. 2 Probo, quod poſito, quod talis ratio ſit una, ad utrunque eſt totaliter impoſsibile talem rationem eſſe realem. QVANTVM ad primum arguo primo ſic. Si ratio entis dicta de deo, & creaturis eſſet una ratio communis: ſequeretur, quòd ſe haberet per abnegationem, & indifferentiam ad actum, & potentiam: conſequens eſt falſum: ergo & antecedens: conſequentia patet, quia omne commune ſe habet per abnegationem, & indifferentiam ad ſua inferiora: eo enim, quod ratio ſenſibilitatis eſt cõmunior ratio nale, & irrationale, ſe habet per abnegationem, & indifferentiam ad ipſa: ſunt enim rationes ſpeciales reſpectu ipſius: cum ergo ratio entis, ſi eſſet una, eſſet ratio communis omni enti, ſe haberet neceſſariò per abnegationem, & indifferentiam ad rationes ſpeciales entium; & per cõſequens ad actum, & potentiam: quia actus, & potentia ſunt rationes ſpeciales reſpectu rationis entis, ſi eſſet una: patet conſequentia, & falſitas conſequentis probatur. Nam ſi ratio entis ſe haberet per abnegationem, & indifferentiam ad actum, & potentiam, ſequeretur, quod eſſet totaliter nihil: & cum ponatur aliquid, poneretur euidenter implicatio; aſſumptum probatur, Idem enim, quod non habet eſſe in actu, nec in potentia, nullo modo habet eſſe, & per conſequens eſt totaliter nihil: ſed ſic eſſet de ratione entis, ſi ſe haberet per abnegationem, & indifferentiam ad actum, & potentiam: ergo &c. 2 Si ratio entis in communi eſſet una, ſequeretur, quod plura eſſent prædicabilia, quàm quinque; conſequens eſt contrá communem doctrinam: ergo &c. Probatur conſequentia, nam ſi ratio entis eſſet una, ens ſecundum iſtam rationem faceret ueram prædicationem in quid, ſicut genus, & ſpecies, & per conſequens eſſet prædicabile: quia haberet omnia, quæ requiruntur ad uerum prædicabile: & ulterius, cum non ſit genus, nec ſpecies, nec differentia, nec propriũ, nec accidẽs; eſſet prædicabile unum ab iſtis diſtinctum.

3 Ad idem. Si ratio entis &c. Sequeretur, quod ſubſtantia, & accidens haberent eſſentialem ſimilitudinem: & per conſequens ſubſtantia non eſſet prior accidẽte cognitione, cuius oppoſitum habetur. 7. Metaphyſicæ: probatur conſequentia, quia iſta, quæ habent unam rationem communem eſſentialiter incluſam in quidditatibus cuiuslibet eorum, ſunt eſſentialiter ſimilia, & includuntur ſaltem ſecundum iſtam rationem ſimul: ſed ſubſtantia, & accidens ſunt huiuſmodi, ergo: & per conſequens ſubſtantia non erit prior accidente cognitione. ET augeo illud inconueniens per Dionyſium de diuinis nominibus, qui, quamuis ibi concederet, quod creatura eſſet ſimilis deo; nullo modo uult cõcedere, quod deus ſit ſimilis creaturis, quod tamen ſequeretur: quia non ſolum ſequeretur, quod ſubſtantia, & accidens haberet eſſentialem ordinem inter ſe, ſed cum deo, & econuerſo. QVANTVM ad ſecundum probo totaliter rationem entis non eſſe realem, & eſſe impoſsibile, poſito, quod ſit una ſecundum rationem, quod tamen non eſt uerum, quod eſt per habita manifeſtũ. Arguitur primo ſic, omnis realitas creaturarum ante creationem creaturarum fuit nihil: ergo nulla realitas creaturarum eſt aliqua realitas dei creantis, & per conſequens non conueniunt in aliqua realitate in ratione entis, (ſi aliqua ſit) cum quodlibet iſtorum ſit uerè ens: ergo talis ratio non eſt realis. Maior, & Minor patent de ſe. 2 Sic, omne commune enti reali, & enti rationis habens ſe per indifferentiã, & abnegationem ad ipſa, abſtrahit de neceſsitate à quolibet iſtorum: ratio de deo, & creaturis eſt huiuſmodi: ergo abſtrahit ab ente reali, & rationis, & per conſequens non erit realis. Maior eſt nota. Minor probatur ex dictis aduerſariorum: nam ſecundum Scotum in 1. Metaph. q. 1. Prima diuiſio entis eſt in finitũ, & in infinitum: iſta ergo diuiſio erit in ens reale finitum: & diuĩdetur ſecundum eum in decem prædicamenta, & in ens rationis, hoc ſuppoſito, arguo ſic. Quicquid eſt commune finito, & infinito eſt commune omnibus contentis ſub finito, & infinito: ratio entis communis deo, & creaturis eſt huiuſmodi per eos: ergo erit communis enti reali, & rationis, quæ continentur ſub finito ente, ergo.

3 Si ratio entis dicta de deo, & creaturis eſſet una ratio realis; ſequeretur, quòd aliqua entitas realis alia ab entitate diuina, eſſet in natura, quæ non eſſet à deo producta. 2 Sequeretur ulterius, quod aliqua entitas realis alia ab entitate diuina, eſſet in natura, quæ non poſſet per diuinam potentiam annihilari.

3 Sequeretur aliquam entitatem realem aliam ab entitate diuina eſſe æternam. 4 Sequeretur aliquam entitatem realem eſſe in rerum natura, quæ nec eſſet creator, nec creatura: omnia iſta ſunt impoſsibilia: & contra fidem: ergo. Probo ergo primo falſitatem conſequentium, & poſtea conſequens. PRIMVM ergo, quod ſequitur eſt totaliter impoſsibile: nã Ioãnis primo ſcribitur. Omnia per ipſum facta ſunt: ubi dicit gloſa, & eſt Auguſtini, & ſine ipſo factum eſt nihil, non quod nihil ſit factum, ſed quia non aliud eſt à deo, quod non ſit factum ab eo. SECVNDVM etiam, quod ſequitur, eſt impoſsbile; nam ex quo omnia ſunt facta à deo, poſſunt etiam annihilari ab eo, & ſi eſſet aliquid à deo, quod non poſſet annihilari, iam non eſſet omnipotens. TERTIVM uero, quod ſequitur, eſt impoſsibile: nam omnia produxit deus in tempore, & per conſequens nihil diſtinctum ab eo poteſt eſſe æternum. QVARTVM autem eſt contra Beatum Auguſtinum in de fide ad Petrum, ubi dicit. Fide tenendum eſt, omnem naturam, quæ trinitas deus non eſt, ex nihilo creatam eſſe ab ipſa ſubſtãtia, & trinitate, quæ uerus deus eſt, & per cõſequens impoſsibile eſt dare aliquam realitatem, quæ non ſit creator, nec creatura: hæc etiam auctoritas Auguſtini probat

*tex. c. 2. & 8.*

*Cap. 5.*

*Cap. 5.*

*Confutatio opin. Scoti.*

*tex. c. 4.*



quatum uniuſcuiuſque potentiæ eſt uniuerſale ſumptum uniuerſaliter: ergo eſt ſimpliciter plura. Maior nota eſt de ſe. Minor probatur, quantũ ad ambas partes.

Nam quod obiectum cuiuslibet potentiæ, uel ſenſus ſit uniuerſale aliquod, apparet ſecundum Ariſtotilem. 2. poſteriorum, ubi ait. Senſus eſt uniuerſalium, ſentire particularium. Quòd autem illud uniuerſale debeat ſumi uniuerſaliter, ſi ſit ſubiectum adæquatum, probatur. Nam ſi uniuerſale non uniuerſaliter ſumptum eſſet obiectum ſenſus adæquatum; ſequeretur, quòd ſenſus, puta, uiſus, poſſet attingere illud uniuerſale, quod falſum eſt: ergo &c. HAEC autem opinio, quamuis ſit ſubtiliſsimi doctoris, non tamen eam intelligo; & ideo probo dupliciter, quòd obiectum non adæquat potentiam, nec ſubiectum ſcientiam per plures rationes, ut ſunt ſimpliciter plures. PRIMO ſic. Si ſubiectum adæquaret ſcientiam per plures rationes, ut plures; ſequeretur, quòd habitus ſpecificus non conſequeretur ſuam ſpecificationem à ſubiecto adęquato; conſequens eſt falſum: ergo. Antecedens eſt in quæſtione præcedenti reprobatum: & ipſimet aſſerunt. Conſequentia probatur: quia uel ſubiectum ſpecificat ſcientiam fundamentaliter ſumptum, aut formaliter: non primo modo: quia de uno, & eodem ſubiecto fundamentaliter ſumpto poſſunt conſiderare diuerſæ ſcientiæ ſub alia, & alia ratione; & per conſequens, ut ſic, nõ ſpecificat ipſas: relinquitur ergo, quòd formaliter ſumptũ ſubiectũ tale ſpecificet ſciẽtiã. Sed ſi ſic: ergo uel ſpeciacabit ſciẽtiã ſub una ratione formali ut una, uel ſub pluribus, ut ſunt diuerſę. Si primo mõ habetur propoſitum: quia per illã rationem adæquat habitũ, per q̃ ſpecificat ipſam. Si autem detur ſecundum, apparet cõſequentia falſa: quia à diuerſis, ut diuerſa ſunt, non poteſt ſummi unum, ut unum; immo magis eius oppoſitum: ergo relinquitur, quòd ab obiecto formaliter ſumpto non ſpecificatur habitus, quod falſum eſt: ergo &c. 2 Prætęrea arguitur contra illud, quòd dicitur, ſcilicet quòd uniuerſale, ſumptum uniuerſaliter eſt obiectum adæquatum cuiuſcunque potentiæ, ſic. Si uniuerſale uniuerſaliter ſumptum eſſet obiectum cuiuſcunque potentiæ, uel ſubiectum ſcientiæ; ſequeretur, quòd quælibet potentia, & quælibet ſcientia haberet plura, & diuerſa ſubiecta, & obiecta adæquata; conſequens eſt falſum: ergo. Probatur conſequentia, quia ſignum uniuerſale deſtributiuum diſtribuit prædicatũ pro quolibet contento ſub ſubiecto, ut patet intuenti. Et confirmatur, quia omnis, & quilibet ęquipollent. Si ergo omnis color eſt obiectum adæquatum uiſus, pari ratione nigredo, & qui libet alius color, & quodlibet corpus mobile eſſet ſubiectum adęquatum ſcientiæ naturalis: & ſic quilibet ſenſus, & habitus haberent plura obiecta adæquata, quòd falſum eſt.

RESPONDEO ad rationes primę opinionis. Ad primum, cum dicitur, quòd aut obiectum adæquat potentiam per plures rationes, ut plures, aut p̃ unã ut una. Dico, quòd per plures, ut una, hoc eſt, ut habet unitatẽ in obiecto adæquato, quacunque ſit illa. Ad probationem, cum dicitur, quòd nulla potentia ſe extendit ad aliquid, quòd eſt extra ſuum obiectum adæquatum, dico, quòd aliquid eſſe extra aliud põt intelligi dupliciter, uno modo, quòd ſit extra diffinitionẽ, ſeu quidditatiuam rationem illius, & extra ambitum eius, & iſto modo lapis eſt extra animal. Alio modo, poteſt eſſe aliquid extra aliud: quia eſt extra diffinitionem eius: eo, quod diffinitio eius non competit huic adæquatè, non autem extra ambitum, & hoc modo eſt homo extra animal. Quando ergo dicitur nulla potentia poteſt ferri in aliud, quod ſit extra ſuum obiectum adæquatũ: concedo ſi ſit extra primo modo, non autem ſi ſit extra ſecũdo modo: & hoc patet eſſe uerum in conſimili. Animal enim eſt ſubiectum adæquatum ſenſibilitatis: quia animal, in quantum animal, eſt ſenſibile: & ideo benedictum eſt, quòd illud, quod eſt extra ambitum animalis, non ſit ſenſibile: non tamen ſequitur, quòd quicquid ſit extra animal, quòd non ſit ſenſibile; immo totum oppoſitum: omne enim contentum ſub animali eſt ſenſibile. Similiter in propoſito, ſi color inquantum color eſt obiectum adęquatum uiſus, poterit uiſus cognoſcere albedinem, & nigredinem diſtinctè, & quicquid continetur ſub colore, cum nullum tale ſit extra ambitum eius. Similiter dico de quacunque alia potentia reſpectu contentorum ſub ſuo obiecto, & de quacunque ſcientia reſpectu contentorum ſub ſuo ſubiecto. Ad ſecundam rationem cum reuerentia nego Minorem nam, ut eſt probatum, non uidetur poſsibile, quòd uniuerſale ſumptum uniuerſaliter ſit ſubiectũ adæquatũ alicuius ſcientiæ, nec potentię. Et quando dicitur, quòd potentia poteſt ferri in ſuum obiectum adæquatum, & ſic uiſus poterit cognoſcere uniuerſale abſtractum à ſuis ſingularibus, Dico, quòd ſecundum Ariſtotilem. 2. poſteriorum, ſentire eſt particularium; quãuis ſenſus ſit uniuerſalium: & quia potentia primo fertur in obiectum per ſuum actum, licet obiectum uiſus ſit color, inquantum color, non tamen uidebit colorem abſtractum; ſed ſufficit ſibi uidere colorem: hunc uel illum: quia uidendo colorem particularem, eſt uerum dicere, quòd uidet colorem: & ideo uerum eſt dicere, quòd potentia fertur in obiectum ſuum adęquatum: quia, quando uiſus fertur in albedinem, fertur in colorem; ſed non fertur in ipſum, ut habet eſſe abſtractum: quia, ut ſic, habet eſſe in intellectu: nec eſt bona conſequentia. Potentia fertur in obiectum: ergo ſub eſſe abſtracto; ſufficit enim, quòd feratur hoc, uel illo modo; & hoc de Secundo principali.

*tex. c. 27.*

*Præmiſſæ opinionis cõfutatio.*

*Nota hic quòd homo non penitus eſt extra animal: quia unum includitur in alio: licet formaliter nõ ſit eiſdem una diffinitio. Nam albedo, & dulcedo reſpectu lactis ſunt unum ſubiecto, plura tamẽ ſecundum diffinitionem.*

*Conſimilem ſententiam habet Aegi. 2. de anima tex. c. 11. in dub.*

*tex. c. 27.*

## ARTICVLVS TERTIVS.

QVANTVM ad tertium pono duas concluſiones. Prima eſt, quòd anima non eſt ſubiectum in hoc lib. Secunda, quòd ſubiectum huius libri eſt corpus animatum, in quantum animatum. PRIMVM probo. Sic ſicut ſe habet ſcientia ad ſcientiam, ita ſubiectum ad ſubiectum: ſed doctrina tradita in hoc libro eſt pars ſubiectiua Philoſophiæ naturalis: ergo ſubiectum huius libri eſt pars ſubiectiua ſubiecti Philoſophiæ naturalis; ſed anima non poteſt eſſe ſubiectiua pars eius; cum ſubiectum Philoſophiæ naturalis, ut ad præſens ſupponitur, ſit corpus mobile: ergo &c. SECVNDVM probatur ſic. Illud eſt ſubiectum in hoc libro, cui conueniunt omnes, conditiones pertinentes ad ſubiectum ipſius; corpus animatum, in quantum animatum, eſt hmõdi, ergo. Maior patet. Minor probatur per dictas conditiones diſcurrendo: eſt enim corpus animatum terminus incomplexus: & omnia, quæ per ſe conſiderantur in iſta ſcientia, uel recipiunt prædicationem eius, uel habent attributionem ad ipſum, ut patet intuenti proceſſum. Item poſſunt omnia talia de eo prædicari denominatiuè; & primo, & principaliter conſideratur tantum in hac doctrina: quia de ipſa anima cõſiderat Philoſophus: ut informat corpus, ergo corpus animatum, ut ſic, erit ſubiectum in hoc libro.

AD rationes principales. Ad primam, cum dicitur in Minori quòd anima eſt, de qua primo, & principaliter, &c. Dico, quòd falſum eſt: immo corpus animatum, inquantum animatum eſt. Ad probationem dico, quòd non oportet ſemper librum intitulari à ſubiecto: immo aliquando intitulatur à cauſa efficiente, aliquãdo à ſubiecto, aliquãdo ab eo, quod eſt formale in ſubiecto, ſicut hic: quoniam iſte liber intitulatur de anima, quod eſt formale, ratione cuius corpus animatum eſt hic ſubiectum. AD RATIONEM in oppoſitum, non oportet reſpondere, in quantum arguit de anima: quia probat propoſitum meum; ſed quia eadem ratio fieri poſſet de corpore animato: idcirco

*corpus animatum nõ anima eſt hic ſubiectum.*

dico ad Maiorem, quòd ſubiectum formaliter ſumptum cum omnibus, quæ habent attributionem ad ipſum ſecundum illam rationem formalem dicitur habitum adæquare, & non aliquod corpus animatum cum omnibus, quæ habent attributionem ſufficienter adæquat omnia per ſe conſiderata in hoc libro: & ideo tale corpus eſt ſubiectum adæquatum, &c.

## QVAESTIO III.

### An uniuerſale ſit uerum ens reale, habens eſſe præter operationem intellectus? Vel ſit tantum ens rationis, habens eſſe tantum per operationem intellectus?

CONSEQVENTER quæritur: quia Philoſophus dicit in textu, quòd uniuerſale, quod eſt genus, aut nihil eſt, aut poſterius ſuis ſingularibus: ubi dicit Commentator, quòd intellectus eſt, qui facit uniuerſalitatem in rebus. Quæro iſtam quæſtionem. Vtrum uniuerſale ſit uerum ens reale, habens eſſe præter operationem intellectus? Vel ſit tantum ens rationis habens eſſe tantum per operationem intellectus? Et uidetur primo, quòd ſit uerum ens reale. Species ſpecialiſsima eſt uerum uniuerſale: ſed ſpecies ſpecialiſsima eſt uerum ens reale extra intellectum: ergo. Maior patet. Minor probatur. *Illud*, quod uerè, & propriè eſt diffinibile, habet uerum eſſe reale extra intellectum, ſeu præter operationem intellectus; ſpecies ſpecialiſsima eſt hmõdi: ergo, & cæt. Maior uidetur nota pro tanto: quia res diffinitur, & non conceptus; cum ſit poſterior rebus diffinibilibus. Minorem ponit expreſſe Boethius: quia ſola ſpecies diffinitur. Et apparet per Philoſophū, quia particulare non demonſtratur, ut dicitur 12. Met. ergo & non diffinitur: quia uniuerſale, quod eſt genus, aut nihil eſt; aut poſterius eſt: ergo ſola ſpecies diffinitur: quare &c. 2 Ad idem. Ens communiter acceptum habet uerum eſſe reale extra intellectum: ergo quodlibet uniuerſale eſt uerum ens reale. Conſequentia uidetur bona pro tanto: quia ſi repugnat alicui communi habere eſſe reale, multo fortius repugnaret enti, quod eſt cõmunius omni alio. Antecedens probatur, illud, quod primo occurrit intellectui habet uerum eſſe reale extra intellectum ens in communi eſt huiuſmodi, ergo. Maior eſt nota. Minor probatur, & eſt Auicennæ in primo Metaphyſicæ ſuæ. Cap. quinto. qui dicit, quòd eſſe, & ens prima impreſsione imprimuntur in anima, & ſunt notiſsima in conceptu, ergo.

*In 2. æditione in Porphy. cap. de ſpecie. c. 28.*

IN OPPOSITVM eſt Commentator primo de anima Commento. 8. qui dicit, quòd intellectus eſt, qui facit uniuerſalitatem in rebus. RESPONDEO in iſta quęſtione tria ſunt uidenda. Primo Vtrum unitas ſpecifica ſit unitas realis? Quia hoc tangit primū argumentum. 2 Vtrum ratio entis dicta in communi de deo, & creaturis, ſit una ratio realis? Quia hoc tangit ſecundū argumentum. 3 Videndum eſt hoc, quod quærit quæſtio principalis.

### ARTICVLVS PRIMVS.

*Opinio. Scoti. 1. Sent. d. 3. q. 1. in cor.*

QVANTVM ad primum dicunt aliqui, quòd ſpecies quæcunque habet eſſe uerum, reale extra animam, ſic, quòd unitas ſpecifica eſt uera unitas realis, habens eſſe in rerum natura præter operationem intellectus. Quod probant multipliciter ſic. 1 A quocunq; remouetur diuerſitas realis aliqua, in illo neceſſariò ponitur unitas realis oppoſita illi diuerſitati, ſed à Socrate, & Platone remouetur diuerſitas ſpecifica realis: ergo in eis ponitur unitas ſpecifica realis oppoſita huic diuerſitati. Maior nota pro tanto, quia non tollitur unum oppoſitorum, niſi per alterum. Minor de ſe patet, quia, Socrates, & Plato ſunt eiuſdē ſpeciei. 2. Sic. A quocunque remouetur aliqua diuerſitas realis maior diuerſitate propria, in illo neceſſario ponitur aliqua unitas realis alia ab unitate propria cuiuſlibet iſtorum; iſta patet per probationem maioris primę rationis: ſed à Sorte, & Platone remouetur diuerſitas ſpecifica realis, quæ maior eſt, quàm diuerſitas numeralis: ergo inter eos ponitur unitas realis alia ab unitate numerali: eſt autem hæc ſpecifica: ergo &c. 3 Ad idem ſic. Ponatur, quòd in ſpecie humana non ſit niſi Sortes: hoc ſuppoſito, unitas ſpecifica erit realis: tunc arguitur ſic. Per poſitionem Platonis cum Sorte non ponitur diuerſitas aliqua oppoſita unitati ſpecificæ: ergo per poſitionem Platonis non tollitur unitas ſpecifica, quæ erat in Sorte ſolo: ſed iſta erat realis, ut ſuppoſitum eſt: ergo unitas in Sorte, & Platone eſt realis: conſequentia clara eſt, nam ſi per poſitionem Sortis, & Platonis non ponitur aliqua diuerſitas oppoſita primæ unitati: manebit ergo illa unitas. Antecedens probatur. Per poſitionē Platonis cum Sorte non ponitur aliqua diuerſitas, niſi tantum numeralis: diuerſitas autem numeralis non opponitur unitati ſpecificæ: immo eſt cum ea. HAEC autem poſitio quamuis ſit magnorum doctorum, uidetur tamen impoſsibilis. Teneo ergo concluſionem oppoſitam, ſcilicet, quòd non ſit dare unitatem ſpecificam realem; immo neceſſariò eſt unitas rationis. Quod probatur ſic. Si unitas ſpecifica eſſet unitas realis, ſequeretur, quòd deus non poſſet unum hominem de nouo creare, conſequens eſt contra fidem: ergo. Conſequentia probatur ſic, Poſsibili poſito in eſſe &c. Sed ſtante hypotheſi, ſi deus crearet unum hominem; ſequeretur impoſsibile: quia talis homo de nouo creatus, non eſſet creatus; quòd autem ſequatur. Probatur ſic. Iſta productio non eſt creatio, quæ de neceſsitate præſupponit aliquam entitatem realem de eſſentia termini producti: cum creatio, ſecundum Auguſtinum, ſit productio totaliter de nihilo: ſed productio illius hominis de nouo producti eſt huiuſmodi: ergo ſua productio non eſt creatio, & per conſequens homo, qui ponitur creatus, non eſt creatus. Minor patet: nam per eos humanitas præexiſtens in alijs, eſt uerò realis; cūm unitas ſpecifica ſit unitas realis, & eſſet de eſſentia illius hominis producti, ut patet, quia iſte eſſentialiter eſſet homo. CONFIRMO iſtam rationem adhuc ſic. Productio illa, quæ pauciores entitates præſupponit de eſſentia termini producti, magis appropinquat ad creationem, quàm illa, quæ plures præſupponit; & per oppoſitum quæ plures pręſupponit, magis diſtat à ratione creationis, ſed illa productio, quæ pſupponit unam ſolam entitatem termini producti, non dicitur creatio; ergo productio, quæ præſupponit uerè, & realiter multas realitates in eſſe termini producti, minus erit creatio: & mirabile eſt. Generatio enim non eſt creatio ſolum, quia pręſupponit materiam primam. Quomodo ergo erit productio, quæ præſupponit multas realitates, quarum quælibet eſt perfectior materia prima, quæ tenet infimum gradum in genere entium? Quoniam ſecundum Auguſtinum eſt propè nihil.

*Confutatio opin. Scoti*

*Opin. propria.*

*12. confeſ. cap. 7. tom. 1.*

2 Si unitas ſpecifica eſſet unitas realis, ſequeretur, quòd affirmatio, & negatio eiuſdem ſubiecti, & eiuſdem prædicati cum omnibus conditionibus, quæ requiruntur ad contradictionem poſitis, non eſſent contradictio; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur ſic. Peto à tenentibus iſtā uiam, ſi deus poteſt anni-



bat impoſsibilitatem primi conſequentis: apparet ergo falſitas. CONSEQVENTIAS autem probare facile eſt: nam iſta ratio entis realis, quę non eſt entitas diuina, aliàs non prædicaretur eſſentialiter de creaturis prędicatione dicente, hoc eſt hoc, non eſt producta à deo: nam ſi eſſet producta à deo, eſſet propriè creatura; & per conſequens non communis deo, & creaturis: iſta etiam non poteſt annihilari per potentiam diuinam: nā cum eſſentialiter prædicetur de deo, & creaturis, ſi annihilaretur, annihilaretur aliquid de eſſentia diuina, uel dei, & per conſequens deus annihilando aliquam rationem annihilaret ſe ipſum: cum impoſsibile ſit rem remanere, annihilato ipſo, quod eſt de eſſentia ſua, hoc eſt impoſsibile: ergo impoſsibile eſt, quòd poſsit annihilare rationem prædictam. ISTA ratio etiam eſt æterna, aliàs deus ab æterno non haberet, quicquid eſt de eſſentia eius. Iterum ſibi adueniret aliquid ex tempore, quod eſt contra beatum Auguſtinum lib. 5. de trinitate, ubi probat intrinſecè nullum reale deo aduenire ex tempore. Vlterius iſta ratio nec eſſet creator, nec creatura: nam ſi eſſet creatura, non prædicaretur eſſentialiter de creatore, ſi creator non prædicaretur de creatura: apparent ergo conſequentiæ ſupradictæ.

*Cap. 16. tom. 3.*

ET confirmatur iſta ratio ſic. Nullum commune deo, & creaturis eſt neceſſariò deus, uel creatura: de trinitate omne reale eſt neceſſariò deus, uel creatura: ergo nullum reale eſt commune deo, & creaturis. Maior eſt nota de ſe. Minor eſt Auguſtini auctoritate allegata ſuperius & in de fide ad Petrū: uidetur ergo mihi impoſsibile, quòd ratio entis dicta de deo, & creaturis ſit una ratio realis. RESPONDEO ad rationes, propter ſolutionem primæ rationis, quando dicebatur. Illa ratio, in qua aliqua ſunt comparabilia ſecundum magis, & minus eſt una tantum. Aduertendum, quod iſta comparatio non eſt acipienda ſecundum aliquam rationem entis intrinſecam communem ſubſtantiæ, & accidenti per abſtractionem: quia ens, ut probatum eſt, non dicit unam talem rationem: ſed accipienda eſt iſta comparatio ſecundum rationem entis extrinſecam communem ſubſtantiæ, & accidenti per attributionem: ut ſit ſenſus, ſubſtantia eſt magis ens, quàm accidens. i. magis appropinquat primo enti, per cuius attributionem, & participationem omnia dicuntur entia, q̃ appropinquat ipſum accidens. Tunc ergo ad rationem. Maior conceditur, ſed cum dicitur in minori, quòd in ratione entis comparatur ſubſtantia, & accidens: dico quòd ſubſtantia, & accidens comparantur in ratione entis extrinſecè communi utrique per attributionem, non autem in ratione entis intrinſecè communi ſubſtantiæ, & accidenti per abſtractionem, de qua procedit ratio. Per idem patet, quid ſit dicendum ad confirmationem. Ad ſecundum patet, quid ſit dicendum per ſuperius dicta: dictū enim fuit ſuperius, quod ratio formalis alicuius habitus non dicitur ſecundum ſpeciē, nec ſecundum genus, ſed ſufficit, quod ſit una per attributionem, & analogiam: ratio ergo entis, ſi ſit ratio formalis Metaphyſicæ, erit una ſecundum analogiam, ſicut ratio ſanitatis eſt una ratio ſpecialis in Medicina, hanc unitatem bene concedo: ſed ipſi uolunt probare rõnē entis eſſe unam unitate uera, quod non ſequitur. AD alias probante rationem entis realē. RESPONDEO ad primam, cum dicitur, ratio incluſa quidditatiuè in ratione quidditatiua reali, eſt realis. Dico, ſi iſta ratio eſſet bona, pari ratione probaretur, quòd ratio entis eēt ens rationis. Arguitur ſic, ratio incluſa quidditatiuè in ratione quidditatiua rationis, eſt ens rationis: ratio entis eſt huiuſmodi: ergo &c. Maior, & Minor patent, ſicut ſuæ: oportet ergo ipſummet reſpondere ad rationem: & ideo ad rationem concedo Maiorem: ſed cum dicitur in minori, quod ratio entis includitur quidditatiuè in ratione quidditatiua reali cuiuſlibet: dico, quòd ipſi loquuntur de ratione entis in communi, aut de ratione entis in ſpecialiſſi intelligant propoſitionem primo modo, ſic Minor eſt falſa: nā ratio entis, ut deductū eſt, nec eſt una nec realis: ſi autem intelligant propoſitionem ſecundo modo, ſic concedo eis Maiorem: ratio enim huiuſmodi entis particularis bene eſt realis, ut ipſum particulare: ſed tunc nihil concludit ad propoſitum, ut patet. Et quando dicitur, quòd ens concipitur in intellectu cuiuslibet rei per Auicen. Dico, quòd uerum eſt, tamen non propter hoc habebit unam rationem realem: ſed ſufficit, quòd quęlibet res ſit uerè ens per ſuam propriam, & ſpecialem entitatem, quam bene concedo eſſe realem. Ad ſecundum, cum dicitur, primum motiuum intellectus &c. Conceſſa Maiori, dico ad minorem, quòd ratio entis in communi ſumpta, non eſt primum motiuum intellectus: quia iſta ratio non eſt una, nec realis, nec iſta fuit intentio Auicen. Sed dico, quòd aliquod determinatum ens alicuius prædicamēti poteſt eſſe primum motiuum intellectus: & primo occurrit intellectui, & tale bene uolo, quod ſit ens reale; idem tamen ens mouet intellectum primo ſub ratione, qua ens, quàm ſub ratione, qua tale ens: eo quod communia ſunt nobis primo nota, ut dicitur primo Phyſicorum: non tamē propter hoc ſequitur, quòd ratio entis in communi ſit una, ſed ſufficit, quod idem ſit unum ens per ſuam propriam, & determinatam rationem entis, ſeu entitatem: & hoc ſufficit ad hoc, quòd poſsit mouere intellectum ſub ratione entis, &c.

*tex. c. 2.*

### ARTICVLVS TERTIVS.

*Scot. 2. ſent. d. 3. q. 1.*

QVANTVM ad tertium dicunt iſti doctores, q̄ omne uniuerſale de mundo habet eſſe uerum reale extra animam, condiuiſum contra ens rationis. Diſtinguunt tamen duplex uniuerſale: habet enim uniuerſale eſſe unum in multis, & unum præter multa. Vt ergo uniuerſale habet eſſe unum præter multa, ſic habet eſſe in intellectu: & idem uniuerſale dicitur intentionale. Vt autem uniuerſale habet eſſe unū in multis, non eſt in intellectu: ſed habet eſſe extra intellectum, in ipſis particularibus: iſtud tamē uniuerſale dicitur reale, & eſt uerum ens reale, præter omnem operationem intellectus cuiuſcunque. Hoc autem ipſi probant multipliciter ſic. 1 Obiectum adæquatum ſcientię realis debet eſſe reale: ſed uniuerſale eſt obiectum adęquatum ſcientiæ realis, ergo. Maior nota: quoniam ſcientia realis non habet pro obiecto aliquod ens rationis, aliter eſſet de entibus rationis, & per conſequens non eſſet realis. Minor patet dupliciter, ſcilicet auctoritate: quia omnis ſcientia eſt de uniuerſali. 1. poſteriorum. Ratione ſic, quia uel ſubiectum ſcientiæ realis, & hoc dico ſubiectum de quo, non in quo, uel eſt uniuerſale, uel particulare: hoc patet 1. Periermenias, ſed particulare nõ pōt eſſe ſubiectū alicuius ſcientiæ, cum particularium non ſit ſcientia, nec diffinitio, ut dicitur 7. metaphyſicæ. 1 Præterea obiectum adęquatum potentię præcedentis omnem actum intellectus neceſſariò habet uerum eſſe reale extra intellectum, uniuerſale eſt huiuſmodi. Maior patet, quia obiectum adæquatum potentię non eſt poſterius potentia, & per cõſequens, ſi potentia præcedit omnem actum intellectus noſtri, cum noſtra cognitio incipiat à ſenſu, & obiectū adæquatum noſtri ſenſus non eſt particulare, ſed uniuerſale 2. poſteriorum, ubi dicitur, quòd quamuis ſentire ſit particularium, ſenſus tamen eſt uniuerſalium: ergo. 3 Ad idem, prædicamenta ſunt uera entia realia præter omnem operationem intellectus: conſequentia uidetur nota, quæ ſequitur, ſcilicet: ergo uniuerſale, eſt uerum ens reale. Tamen probatur, quoniam prædicamenta ſunt uniuerſalia, quia ſunt genera generaliſsima: antecedēs probatur ſic. Omne cõtentum ſub ente reali, ut ens reale, quod diuiditur contra ens rationis, eſt uerū ens reale: prædicamēta ſunt huiuſmodi: ergo. Maior eſt Ariſtotelis 6. metaphyſicæ, ubi ponit diuiſionem entis, in ens reale, & rationis: & poſtea diuidit ens reale in decem prædicamenta: ergo &c. 4 Si uniuerſale

*tex. c. 44.*

*cap. 5.*

*tex. c. 53.*

*tex. c. 27.*

*tex. c. 4.*

ſale non eſſet uerum ens reale; ſequeretur, quòd non magis conueniunt duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei ſecundum rem, quàm duo diuerſarum ſpecierum: conſequens eſt falſum: ergo. Probatur conſequentia, quia ſi tale nõ eſſet ens reale, duo indiuidua eiuſdẽ ſpeciei non conuenirent in aliquo reali, in quo non conuenirent duo indiuidua diuerſarum ſpecierum, & per conſequens ex parte rei non conuenirent. 5 Sic, diuerſitas in re aliqua neceſſario arguit realem entitatem, & unitatem cuiuslibet iſtorum: ſed omni intellectu circumſcripto, natura hominis eſt diuerſa à natura equi, aliter eſſent idem, cum idem, & diuerſum diuidant ens omne ſufficiẽter: ergo omni intellectu circunſcripto, natura hominis, & equi habebunt unitatem realem realiter diuerſam. Minor patet per iam dicta. Maior probatur, quia diuerſum eſſe præſuppoit eſſe, ad eſſe aũt neceſſario ſequitur unum; quia ens, & unum conuertuntur, & omne, quod eſt, ideo eſt: quia unum numero eſt, ſecundũ Boeth. in lib. de unitate, & uno. 6 Si uniuerſale non eſſet uerũ ens reale: ſequeretur, quòd ſuperiora non eſſent de eſſentia ſuorum inferiorum: nec prædicarentur eſſentialiter de ipſis, conſequens eſt falſum: ergo &c. Conſequentia probatur, quia ſi uniuerſale non eſt ens reale, tunc omnia ſuperiora ſunt entia rationis: entia autem rationis non ſunt de eſſentia particularium exiſtentium extra intellectum, nec prædicarentur de eis eſſentialiter: ergo &c. HAEC

*Confutatio opin. Scot. Opin. communis.* poſitio nõ uidetur mihi poſsibilis, cum quicquid remouetur ab extremo, à ſuppremo, & infimo; uideatur remoueri à medio: ſed ens reale remouetur ab ente in cõmuni, & a ſpecie ſpecialiſsima, ut habitũ eſt: ergo uidetur neceſſario remoueri a quolibet uniuerſali: cum omnia alia uniuerſalia teneant medium inter illa. EST tamen aduertendum, quòd de uniuerſali poſſumus loqui dupliciter: uel fundamentaliter, quantum ad ſuum eſſe fundamentale, quod habet in ipſis rebus: uel formaliter, quantum ad ſuum eſſe formale, quod habet in ſe. Si ergo loquimur de uniuerſali primo modo: ſic dico, quòd habet uerum eſſe reale: quoniam particularia, quæ reſpondent uniuerſali fundamentali, ſunt uera entia realia extra intellectum; nec tamen propter hoc uolo, quòd habeant aliquam unitatem realem extra animam aliam ab intentionibus particularium rerum, ut imaginatur alia opinio: ſed ipſæ naturæ, ſeu realitates particularium conſideratæ præter conditiones materiæ, correſpondent uniuerſali fundamentali, &. dicuntur uniuerſale fundamentaliter. Et iſta eſt in

*1. de anima in exp. tex. 8.* tentio doctoris noſtri Aegidii in ſcripto de anima ſuper illo uerbo. Vniuerſale, quòd eſt genus, aut nihil eſt aut poſterius eſt. Si autẽ loquamur de uniuerſali ſecundo modo, ſcilicet ſecundum ſuum eſſe formale, ꝙ habet in ſe, probo hoc impoſsibile eſſe reale extra intellectum, & quamuis omnes rationes de primo, & ſecundo articulo probant hoc idem directè: præter illas adduco nouiter quatuor. 1 Sic, ſi uniuerſale formaliter ſumptum eſſet uerum ens reale; uel eſſet in intellectu, uel extra intellectum: ſed non poteſt eſſe aliquod reale in intellectu: quia eſſe reale, quod eſt in intellectu eſt ſpecies, uel habitus, uel actus: de nullo iſtorum poteſt dici, quòd ſit uniuerſale reale: quia uniuerſale reale per eos prædicatur eſſentialiter de eis, quæ ſunt extra intellectum; nullum autem iſtorum prædicatur de ijs, ut patet: ergo non poteſt dari, niſi ſecundum, ſcilicet, quòd uniuerſale ſit uerum ens reale extra intellectum: quia uel eſſet extra intellectum ſubſiſtenter, uel inhærenter: non ſubſiſtenter: quia tunc rediret opinio Platonis, quam Philoſophus improbat à propoſito: nec inhærenter, quia, ut etiam probabo, rediret opinio Platonis: quia Plato non poſuit ideas abſtractas eſſe ſubiecto, ſed tamen ſecundũ eſſe propter duo, quæ dicebat de talibus ideis: dixit enim ideas prædicari eſſentialiter de particularibus, & eſſe quidditates particularium, ex quo ſecundum eum apparet, quòd idea non erat abſtracta ſubiecto a particularibus, quia illud, quod prędicatur eſſentialiter de aliquo, non eſſet diſtinctum, ſiue abſtractum ab eo, de quo prædicatur. Iterum, quidditas rei non abſtrahitur realiter ab eo, cuius eſt quidditas: ergo ſolum ponit tale uniuerſale eſſe abſtractũ, quantum ad eſſe; nõ autem ſubiecto: hoc autem directè ponit iſta opinio, ut patet intuenti: ergo redibit opinio Platonis. 2 Sic, omne ens reale extra animam eſt unum numero; uniuerſale non eſt unum numero; ergo. Minor patet de ſe. Maior patet per Boethium dicentem, omne, quod eſt, &c. Nec poteſt dici, quòd Boethius ibi loquitur de particularibus tantum: quia tunc peteret principium: eſſet enim ſenſus, ꝙ omne particulare eſt unũ numero, & hoc directè eſt petere principium: quia idem eſt particulare, & unum numero: ergo oportet, quòd Boethius accipiat propoſitionem uniuerſaliter, ut ſit ſenſus, quòd omne ens extra animam ſit unum numero: nam aliter peteret, & ſic patet maior. 3 Sic, ſi uniuerſale ſumptum formaliter eſſet aliquod reale, ſequeretur, quòd duo uniuerſalia eſſent duo entia realia; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia nota eſt: nam ſi uniuerſalia ſunt entia rationis, bene ſequitur ad multitudinem uniuerſalium multitudo entium rationis: pari ergo ratione, ſi uniuerſalia ſunt entia realia, ſequitur ad multitudinem uniuerſalium multitudo entium realium: falſitas conſequentis probatur. quia genus, & ſpecies uerè ſunt uniuerſalia, & tamẽ in eſſe reali poſitiuo nullus diceret, quòd eſſent duo entia realia: nam illa, quæ ita ſe habent, ꝙ unum prædicatur de altero eſſentialiter, non ponunt in numerum realiter: genus & ſpecies ſunt huiuſmodi: ergo. Hoc autem non poteſt prouenire ex alio, niſi quia in ſuo eſſe formali non important aliquod reale. 4 Si uniuerſale formaliter ſumptum eſſet aliquid reale; ſequeretur, ꝙ eſſet aliquod totum reale, conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia nota: quia ſecundum Ariſtotilem 1. phyſicorum, uniuerſale eſt quoddam totum: quia multa comprehendit. Si ergo eſſet uerum ens reale, eſſet quoddam totum reale: conſequentis falſitas ſic probatur. *Tex. c. 4.* Nullum reale habet totam eſſentiam in qualibet parte ſui: hæc patet inductiuè in omnibus: uniuerſale habet totam eſſentiam ſuam, & realitatem in qualibet parte ſui: nam prædicatur de qualibet ſui parte prædicatione dicente, hoc eſt hoc, & eſſentialiter: ergo &c. Hæc poſitio uidetur eſſe de intentione ſanctorum doctorum, & Philoſophi, & Commentatoris, quibus in hac materia uidetur eſſe credendum. Dicit enim Damaſcenus, de fide orth. libro. 1. cap. xi. ſic. Oportet autem ſcire, quòd aliud eſt in re conſiderare; & aliud ratione, & cogitatione: igitur in omnibus creaturis, hypoſtaſis non quidẽ re omnino conſideratur: ratio autem Petri a Paulo conſideratur, cum ſeparatur communitas: alia horum compilatio ratione, & cogitatione conſideratur: intelligimus enim intellectu: quoniam Petrus, & Paulus ſunt eiuſdem naturæ, & communem habent naturam: unuſquiſque enim illorum animal, rationale, mortale eſt: hæc enim communis natura ratione eſt conſiderabilis: hæc Damaſcenus.

† *Alius text. Damaſ. Operæ prætium autem eſt noſce, aliud eſſe re conſiderare, & aliud ratione, atque intelligentia: In omnibus ſanè creaturis diſtinctio ſuppoſitorum re ipſa conſideratur: re enim Petrus à Paulo diſtinctus concipitur. Communio autem, & naturæ affinitas ratione, & intelligentia conſideratur. Mente enim concipimus Petrum, & Paulum eiuſdem naturæ eſſe, & unius naturæ communionem habere. Et ſubdit. Hæc igitur communis natura ratione eſt conſideranda.*

Ad hoc idem facit Commentator. 1. de anima Commento. 8. dicens, quòd demonſtratur per hoc: quia Ariſtotiles non opinatur, quòd diffinitiones generum, & ſpecierum, non ſunt diffinitiones rerum uniuerſalium exiſtentium extra animam; ſed ſunt diffinitiones rerũ particularium extra intellectũ: ſed intellectus eſt, qui agit in eis uniuerſalitatem. Ad hoc facit, quòd dicit ipſemet. xii. metaphyſicæ commento 4. dicens uniuerſalia



uerſalia apud Ariſtotilem ſunt collectio ex particularibus ab intellectu, qui accipit inter ea ſimilitudinem, & facit ea unam intentionem. Apparet igitur ex dictis uniuerſalia eſſe entia rationis, & non ullo modo realia extra intellectum. RESPONDEO ergo ad rationes

*Solutio rationum Scoti.* oppoſitas. Ad primam, quando dicitur in minori, ꝙ uniuerſale eſt ſubiectum ſcientiæ realis: dico, quòd uniuerſale poteſt accipi dupliciter, ſcilicet fundamentaliter, uel formaliter: ſi accipiatur formaliter, minor eſt falſa: quia uniuerſale formaliter ſumptum eſt purũ ens rationis, ut ſuperius eſt adductum: ſi uero intelligant de uniuerſali fundamentaliter ſumpto: concedo, quòd tale uniuerſale eſt ſubiectum ſcientiæ realis, & tale bene eſt ens reale, ut dictum eſt: & iſto modo currunt probationes illius minoris. Ad ſecundum, cum dicitur in minori, quòd uniuerſale eſt obiectum adæquatum potẽtiæ præcedentis omnem actum intellectus: dico, ſicut ad primum, quòd uel intelligunt de uniuerſali formaliter ſumpto, uel fundamentaliter: ſi primo modo intelligitur: falſum eſt: quia tale uniuerſale ſit per actum intellectus, & ſolum habet eſſe in intellectu: ſi autem intelligatur ſecundo modo, conceditur minor, ſed tunc non facit ad propoſitum, ut dictum eſt, & de tali uniuerſali loquitur Ariſtotiles 1. poſteriorũ: ergo &c. Ad tertium, quando dicitur, quòd prædicamenta ſunt uere entia realia: ergo &c. Dico, quòd eo modo, quo prædicamenta ſunt entia realia, & uniuerſale eſt uerũ ens reale: prædicamenta autem, ſi formaliter ſumantur, non ſunt entia realia: quia ſunt quædam uniuerſalia: ſed fundamentaliter ſunt entia realia, & iſto modo continentur ſub ente reale: quod diuiditur in x. prædicamenta: & ſic bene conceditur, quòd fundamentaliter ſumptum ſit uerũ ens reale: ergo ratio non conuenit.

Ad quartum, quando dicitur, ſi uniuerſale non eſſet uerum ens reale, non magis conuenirent duo indiuidua &c. Conſequentia negatur. ET propter probationẽ dicunt aliqui doctores, quod duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quamuis habeant diuerſas formas, diuerſas eſſentias, non tamen per ſe differunt per ſuas formas: ſed ſolum per principia indiuiduantia: & ratio huius eſt, quia natura ſpecifica per ſe eſt una; accidit autem ſibi plurificari ratione ſuppoſitorum, immò multiplicatio naturæ ſpecificæ in diuerſis ſuppoſitis per ſe, non eſt per eſſentiam, nec per formam, ſed tantum per principia indiuiduantia: duo autem indiuidua diuerſarum ſpecierũ per ſe, differunt per formas, & eſſentias: quia naturæ ſpecificæ per ſe multiplicantur, & nullo modo poſſunt eſſe una. His ergo ſuppoſitis dicunt ad rationem, quòd quamuis uniuerſale non habeat eſſe reale: magis tamẽ differunt ex natura rei duo indiuidua diuerſarum ſpecierum; quia differũt per formas, & eſſentias, quàm duo unius ſpeciei, quæ ſolum differunt per principia indiuiduantia: & in tali ratione committitur fallacia conſequentis. Arguitur enim à pluribus cauſis ueritatis ad unam: nam, quòd uniuerſale ſit ens reale, uel rationis, non eſt cauſa aliqua, quare aliqua magis, uel minus conueniant, ut apparet in ſolutione: nam magis differunt, quæ differunt per eſſentias, quàm quę ſolum differunt per principia indiuiduantia: ergo &c. QVAMVIS ſolutio ſit apparens, & bona; uidetur mihi aliter poſſe dici. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd duplex eſt ſimilitudo, quædam extrinſeca, quædã intrinſeca. Similitudo extrinſeca dicitur ſimilitudo fundata ſuper aliquibus, quæ non ſunt de ratione quidditatiua rei: unde ſi Petrus aſsimilatur Conrado in albedine: talis ſimilitudo eſt extrinſeca: quia fundatur ſuper albedinem, quæ non eſt de intrinſeca ratione rei, ſcilicet Petri, & Conradi. Similitudo intrinſeca eſt ſimilitudo, quę fundatur in natura, & ſuper aliquo, quod eſt de intrinſeca ratione rei: aſsimilatur enim Petrus Conrado in natura: quia quilibet eorum animal, rationale, mortale eſt: & iſta ſimilitudo eſt intrinſeca, quæ fundatur in natura, quæ eſt de ratione intrinſeca rei, cuius eſt natura. Et quòd iſta debeat dici uere, & proprie ſimilitudo, apparet per Philoſophũ, & Cõmẽtatorẽ, & Themiſtium: dicit enim Commentator duodecimo metaphyſicæ, ut ſuperius dictum eſt, commento quarto, quod uniuerſalia apud Ariſtotelem ſunt collectio ex particularibus ab intellectu, qui accipit inter ea ſimilitudinẽ, & facit ea unam intentionem: quæro de qua ſimilitudine loquitur ibi Philoſophus, & Commentator? Certum eſt, ꝙ non de extrinſeca: quia à ſimilitudine extrinſeca nõ poteſt ſumi collectio, quæ ſit uniuerſale: quia tunc non minus unius ſpeciei eſſent Petrus albus, & lapis albus, quàm Petrus animal, & Cõradus niger, quòd falſum eſt: ergo de neceſsitate loquitur Philoſophus de intrinſeca ſimilitudine fundata in naturis particularium, & ſic habetur propoſitũ. Hoc idẽ patet per Themiſtium dicentẽ cõceptus generis eſſe ſine hypoſtaſi ſumatim collectos ex tenui ſimilitudine particularium: iſta autem ſimilitudo non poteſt eſſe extrinſeca, ut probatum eſt: ergo fuerunt iſti loquuti de ſimilitudine intrinſeca. Tunc dico ad propoſitum, quod ſicut ſimilitudo extrinſeca arguit quandam conuenientiam extrinſecam, ita etiam ſimilitudo intrinſeca arguit ſimilitudinẽ, uel conuenientiam intrinſecam: & per conſequens intrinſecè ex parte rei, magis conueniunt Petrus, & Conradus, quàm Petrus, & aſinus: & unus aſinus cum Petro: quàm aſinus, & lapis. HOC ſuppoſito, dico ad formam rationis, ſicut dicebatur in prima ſolutione, quòd quamuis uniuerſale non ſit ens reale, magis tamen conueniunt intrinſecè ex natura rei duo indiuidua eiuſdem ſpeciei, quàm duo diuerſarum ſpecierum propter ſimilitudinem intrinſecam, quàm habent perfectiorem inter ſe: & ideo in iſta ratione, ut dicebatur, committitur fallacia conſequentis. Ad quintum, quando dicitur in minori, quòd omni intellectu circunſcripto, natura hominis eſt diſtincta ab equo: dico ſi loquatur de natura hominis, & equi in communi, falſum eſt: quia, ut ſic, ſunt entia rationis: & non poſſunt diſtingui circunſcripta ratione. Si autem loquitur de natura hominis, & equi in ſpeciali: dico adhuc, quia uel loquitur de natura hominis, uel equi reperta in uno homine, uel in uno equo: uel hominis, & equi repertis in diuerſis hominibus, & diuerſis equis: ſi primo modo, ſic concedo, quòd talis natura habet ueram unitatem, & per conſequens diſtinctionem ab indiuiduo alterius ſpeciei, circunſcripta omni operatione intellectus: quia natura hominis in uno homine eſt tantum particularis. Aut intelligitur ſecũdo modo, & ſic dico, quòd tunc non eſt una quidditas diſtincta à quidditate equi: ſed plures quidditates hominum diuerſorum ſunt diſtinctæ à pluribus quidditatibus diuerſorum equorum: & ideo non ſequitur, quod quidditas hominis, ut ſimul eſt in diuerſis ſuppoſitis, ſit una in ſe: ſed una, ut eſt in quolibet ſuppoſito ſigillatim accepto, ut dictũ eſt prius. Ad ultimã dico, quòd ſuperiora prędicari eſſentialiter de inferioribus, poteſt intelligi dupliciter: uno modo, quòd ipſum ſuperius formaliter ſumptum prædicatur de inferiori formaliter ſumpto; ſicut uidetur ratio prætendere; & iſte intellectus falſus eſt: nam tunc ſequeretur, quòd ens reale, & ens rationis eſſent unũ eſſentialiter, quòd eſt impoſsibile. Alio modo poteſt intelligi ſuperius prædicari de inferiori: quia illud, quòd importatur nomine ſuperioris, & illud quòd importatur nomine inferioris ſunt unum eſſentialiter: & iſte intellectus uerus eſt: nam cum dicitur, homo eſt animal: illud, quod per illud ſuperius animal importatur; & per illud inferius homo faciunt unã rem particularem per eſſentiã: ſed ex hoc non arguitur, ꝙ uniuerſale formaliter ſumptum ſit uerum ens reale, & hoc de tertio principali. AD RATIONES principales. AD primam, cum dicitur in minori, quòd ſpecies ſpecialiſsima habet uerum eſſe reale extra intellectum, patet ex primo articulo, quod non eſt uerum. Ad probationem, cum dicitur, quòd ſpecies ſpecialiſsima uerè, & propriè eſt diffinibilis, patet quid eſt dicendum per auctoritatem quandam Commentatoris ſuperius adductam, ubi dicit Commentator, quod Ariſtotiles non

tiles non opinatur, quod diffinitiones generum; & ſpecierum ſint diffinitiones rerum uniuerſalium exiſtentium extra intellectum; ſed intellectus eſt, qui facit uniuerſalitatem in rebus: non ergo ſpecies eſt diffinibilis, niſi prout ſupponit, & ſtat in ipſis particularibus extra animam exiſtentibus, immo ſufficit, quòd talia habeant uerum eſſe reale: nec hoc uidetur alicui dubitabile: nã, cum dicitur, homo eſt animal rationale, mortale: non eſt dicendũ, quòd aliquis intelligat unum hominem communem, qui ſit animal rationale mortale: uniuerſale enim nec eſt generabile, nec corrumptibile, & per cõſequens nec mortale: ſed homines particulares ſunt rationales, & corruptibiles: ergo &c. A dſecundum, cum dicitur, quòd ens communiter ſumptum habet uerum eſſe reale: patet, quid dicendũ per particularem articulum, quòd ſcilicet non eſt uerum. Ad probationes, cum dicitur, quòd ens eſt illud, quòd primo occurrit intellectui: patet, quòd non eſt uerum per iam dicta in ſecundo articulo: nec auctoritas Auicennę facit ad propoſitum, ut patet in ſolutione ultimi argumenti iſtius ſecundi articuli, ubi exponitur, & declaratur hæc auctoritas ſecundum intentionem Auicennę: & ideo ratio iſta minus concludit, quàm prima: ergo.

*Quæſtionum ſuper primum librum de Anima finis.*

# QVAESTIONES SECVNDI LIBRI DE ANIMA.

## An Anima intellectiua ſit forma corporis humani?

QVAERITVR. Vtrum anima intellectiua ſit forma corporis humani? Et uidetur, q non: Si anima intellectiua eſſet forma ſubſtantialis corporis humani; ſequeretur, q materia prima poſſet exiſtere ſine forma, cõſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet per auctoritatem Auicennæ dicentis, materia eſt quoddam, quod non habet eſſe, nec exiſtere ſine forma: conſequentia probatur, quia ſeparata anima rationali à corpore Chriſti, uel fuit alia forma introducta, uel relinquit, materia ſine forma, uel requiritur, quòd ſimul cũ anima eſſet alia forma in cõpoſito. Primum non poteſt dici: quia tunc corpus Chriſti mortuum, & uiuum nõ fuiſſet idem numero, quòd eſt contra fidem. Secundum non, quia, ut probatur auctoritate Auicennæ, materia eſt quoddam &c. Tertium non poteſt dari, quia cum eſſe ſit a forma, & unius rei ſit unica forma. 6. Topicorum: relinquitur ergo ſecundum, quòd remanſit materia ſine forma: hoc autem eſt falſum ergo. 2 Ad idẽ, illud, quòd aduenit actu habenti formam, quæ in aduẽtu eius non corrumpitur, non eſt forma illius; uel erunt plures formæ ſubſtantiales in compoſito: anima intellectiua eſt hmõdi reſpectu corporis humani: ergo. Maior patet. Minor probatur, quo ad ambas partes. Quòd anima intellectiua adueniat actu habenti formam, patet: aduenit enim corpori animato anima ſenſitiua. Sed quòd talis forma non corrumpitur; probo, quia, quidquid corrumpitur a ſuo contrario corrumpitur, ſed anima intellectiua non contrariatur animæ ſenſitiuæ, tum quia eſt ſubſtãtia, & ſubſtãtiæ nihil eſt contrarium: tum quia eſt perficiens: & complens non contrariatur ei, quod complet, ſed forma ſequens eſt complens præcedentem: ergo. IN OPPOSITVM eſt philoſophus in litera. Et hoc idẽ confirmatur. Illud, per qd aliquid diſtinguitur eſſentialiter a quocunque alio non tali, eſt forma ſubſtantialis eius: nam actus eſt, qui ſeparat. i. actus ſubſtantialis: ſed animatum diſtinguitur eſſentialiter ab inanimato per animam intellectiuam a quocunque nõ tali, ut patet de ſe. RESPONDEO. In iſta quæſtione tria ſunt uidenda 1. Vtrum materia poſſit exiſtere ſine forma? Quòd tangit primum argumentum. 2 Vtrum in uno compoſito poſsint eſſe plures formæ ſubſtãtiales? Quòd tangit ſecundum argumentum. 3. Quod quærit quæſtio principalis.

*2. de anima. tex. c. 4. 5. & 7. 7. Met. tex. c. 49.*

### ARTICVLVS I.

QVANTVM ad primum dicunt aliqui doctores, q quamuis naturaliter materia non poſsit exiſtere ſine forma: ſicut nec accidens ſine ſubiecto; uirtute tamen diuina poteſt eſſe ſine forma, ita bene, ſicut accidens ſine ſubiecto. CVIVS gratia eſt aduertendum ſm eos, quòd quamuis materia de ſe non ſit ens in actu formali: quia hoc habet à forma, eſt tamẽ in actu entitatiuo uerum ens actualiter diſtinctum à quocunque, qd' nõ eſt materia: eſt. n. ſm eos duplex actus; actus formalis, qui eſt à forma: & actus entitatiuus, qui eſt ab entitate cuiuslibet habentis entitatem; & ſicut eſt impoſſibile, quòd aliquid habeat eſſe formale, & non habeat actum formalem, qui eſt forma: ita uidetur eis impoſſibile, quòd aliquid habeat eſſe aliquo modo, & non habeat actum entitatiuũ, qui eſt ab eſſe, ſeu ab entitate cuiuſcunque habentis entitatem. PROBANT ergo iſti doctores duas concluſiones. Prima eſt, quòd materia in natura ſua præciſe, non eſt potentia pura, ſicut aliqui imaginantur: ſed habet ueram entitatem, & ueram actualitatem entitatiuã diſtinctã actualiter à quocunque, quòd non eſt materia. Secunda concluſio eſt hæc, quòd deus poteſt ſine aliqua repugnantia facere actualiter materiam exiſtere ſine forma. PRIMAM cõcluſionẽ probant ſic: omnis effectus a deo creatus, eſt aliquid actu natura ſua: materia eſt huiuſmodi: ergo. Maior eſt nota pro tanto, quia effectus creatus a deo refertur realiter ad deum: & omne tale eſt aliquid in natura ſua actu: nam ſicut referri præſupponit eſſe: ita actu referri, actualiter eſſe. Minorem ponit beatus Auguſtinus xj. confeſsionum, ubi dicit: Nec dubitandum eſt illam informem materiam propè eſſe nihil, quando fuit facta a deo, ergo. 2. Sic, omne, quòd eſt in natura ſua uerum ens reale, prout ens reale diuiditur contra ens rationis, & contra nihil, dicit ueram actualitatem, & entitatem diſtinctam à quocunque non tali; materia eſt huiuſmodi, ergo. Minor patet. Certũ ẽ, qđ materia non eſt ſimpliciter nihil: aliter compoſitũ ex materia, & forma eſſet compoſitum ex nihilo, & forma: nec etiam ens rationis, quia tunc eſſet compoſitum ex ente rationis, & forma: ergo eſt uerum ens reale diſtinctum contra nihil, & ens rationis. Maior probatur per Philoſophum, qui dicit, quòd quanto res habet de entitate, tantum habet de actualitate; & per conſequens, quòd eſt uerum ens reale, dicit ueram actualitatem; quare, &c. 3 Sic, omne, quòd eſt bonum aliquod; eſt aliquid in natura ſua, materia eſt hmõdi: ergo. Maior patet, quia ens, & bonum conuertuntur. Minor eſt Auguſtini in de natura boni, qui dicit, quòd ſi bonum aliquid eſt forma: proculdubio bonũ aliquid erit capacitas formæ: capacitatẽ formę uocat materiã; ergo. 4 Si materia in natura ſua nõ diceret actu aliquã entitatẽ, ſequeretur, quòd compoſitũ ex materia, & forma eſſet totaliter ſimplex, & nullo modo compoſitum, conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis nota. Probatur conſequentia, omne illud, in quo non eſt niſi una eſſentia, eſt realiter ſimplex, & nullo modo compoſitum: ſed ſi materia non eſſet aliqua natura actu determinata in cõpoſito, non eſſet niſi una eſſentia. ſ. forma: ergo. SECVNDA concluſio probatur ſic. 1 Quandocunque aliqua adinuicem coniuncta, ſunt per propriam naturam ſeparata: & quodlibet illorum, quantum ad conſeruationem ſui dependet a deo, deus poteſt indifferenter facere unum ſine alio: materia, & forma ſunt huiuſmodi. Minor quo ad unam partem eſt nota per

*Henric. Gã. Quodl. 4. q. 16. Gre. Arim. 2. ſent. d. 12. q. 2. art. 3. Scot. 2. ſen. diſt. 12. q. 2. 7. Meta. q. 5.*



nota per primam concluſionem. ſ. quod materia, & forma ſunt per proprias naturas ſeparata: ſecunda pars ẽt nota eſt: nam materia, & forma, & omnia entia de mũdo dependerẽt à deo totaliter, quantum ad ſui conſeruationem: nam ſicut Deus eſt omnium cauſator; ita conſeruator. Maior probatur, nam non uidetur aliud neceſſariò requiri ad hoc, quòd una poſſit exiſtere ſine altera, niſi quod ſit diſtincta realiter ab alia, & quòd totaliter à ſolo deo dependeat, quantum ad ſui conſeruationem: iſtis duobus poſitis, nullam implicat contradictionem, unum fieri ſine alio, & eſſe; & per cõſequens poteſt fieri a Deo. 2 Ad idem, in eſſentialiter ordinatis ſecundum prius, & poſterius non repugnat intrinſecè, & formaliter prius eſſe ſine poſteriori, & per conſequens poterit a Deo fieri, & conſeruari ſine illo: materia, & forma ſunt eſſentialiter ordinata, & materia ordine naturæ eſt prior forma: ergo. Maior uidetur nota de ſe. Minor ſatis clara: nam illud, quod recipit aliud ordine naturæ, præcedit ipſum: materia recipit formam, & non econuerſo: licet. n. materia ſit ſimul creata cũ forma; forma tamen creata eſt in materia, & recipitur in ipſa, & non econuerſo: ergo. 3 Non minus dependet accidẽs a ſubſtantia, quàm materia à forma: hoc patet, quia magis diſtat quodcunque accidens à ſubſtantia, quàm una ſubſtantia ab alia; ſed non obſtante iſta dependentia, poteſt deus facere actualiter exiſtere accidens ſine ſubſtantia, ut patet in Sacramento altaris: ergo non obſtante dependentia materiæ à forma, poteſt Deus facere materiam ſine forma. 4 Ad idem, ſicut ſe habet intellectus ad formas intelligibiles; ita materia ad formas ſenſibiles ſecundum Commentatorem; ſed, poſito, quod intellectus nullam formam intelligibilem reciperet, ſicut nullam ſpeciem intelligibilẽ, quàmuis ſit pura potentia in genere intelligibilium adhuc hæc eẽt uera natura, eſt ens: ergo poſito, quod materia nullã reciperet formã, adhuc in natura ſua eſſet aliquod ens, & per conſequens deus poteſt eam facere ſine forma. QVAMVIS hæc poſitio ſit magnorum, & attribuat potentiæ diuinæ hoc totum: quia multa plura poteſt facere, quam intellectus noſter intelligere; tamen quia tota difficultas huius quæſtionis ſtat incognoſcendo, quid propriè importetur noĩe materiæ: idcirco nõ aſſerendo, ſed gratia diſputationis, pono duas concluſiones oppoſitas prædictis duabus. Prima eſt, quòd materia nulla de mundo dicit actualitatem, nec formalem, nec aliam; ſed tantum eſt potentia, pura in genere entium. Secunda eſt, quòd ſuppoſito, quòd materia ſit tantum pura potentia in genere entiũ, quòd deus non poteſt facere materiam ſine forma exiſtere.

*3. de Anima. c. 5.*

*Opinio communis Aegidii præſertim. 2. ſent. diſt. 12. q. 2. prin.*

PRIMAM concluſionem probo quadrupliciter &c. 1 Sic, aut actus, & potentia differunt realiter in materia, aut nõ: ſi non; ergo, idem ſm idem eſt in potentia, & in actu: quod eſt impoſſibile ut patet ix. metaphy. Si autem dicitur, quod differunt realiter: aut utrunque dicit rationem materię: aut actus tenet rationem materiæ, & potentia rationem formæ: aut potentia tenet rationem materiæ, & actus rationem formæ: patet ex diuiſione ſufficienti. Si dicatur, quod utrunque tenet rationem materiæ, cum materia, in quantum materia ſit in potentia: uerus actus, inquantum actus, erit in potentia, quod eſt oppoſitum in adiecto. Si actus tenet rationem materiæ, & potentia locum formæ: clarius ſequitur prædictũ inconueniens, uidelicet, quod actus, inquantũ actus eſt uerè in potentia. Si uerè detur tertium, & dicatur, quod potentia tenet locum materiæ, & actus locum formæ; ſequitur, quod materia inquantum materia, habebit formam; & ſimiliter uidetur oppoſitũ in adiecto: relinquitur ergo, quod materia eſt potẽtia pura, & quod nullum actum includit intrinſecè. 2 Si materia haberet aliquem actum de ſe, ſequeretur, quod ex materia, & forma non fieret unum per ſe; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: quoniam ex rebus exiſtentibus actu, licet unum ſit in potentia ad aliud, nõ poteſt fieri tertium, niſi per accidens: eo enim, quod hõ eſt in actu, & albedo, ex iſtis duobus nõ poteſt fieri unũ, niſi per accidens: ſi ergo materia eſt aliquid actu, & forma; ſic ſequitur rõ: ergo, &c. 3 Omne recipiens debet eſſe denudatum a natura recepti ſecundum Philoſophum: ſed materia eſt receptiua omniũ formarum, quæ ſunt quidam actus: ergo debet eſſe denudata omni actu, & per conſequens non dicit aliquem actum: per iſtam rationem probat Philoſophus, quod intellectus debet eſſe denudatus omni ſpecie ĩtelligibili, ſiue forma: ergo pari rõne debet eſſe denudata materia omni actu. NEC ualet, ſi dicatur, quod materia eſt denudata omni actu formali: quia debet recipere formas, quæ ſunt quidam actus formales, nam actus formalis, uel entitatiuus, uel diuiduntur ex oppoſito, uel ſunt diſperata; uel ſunt adinuicem, ſicut ſuperius & inferius ordinati. Nõ poteſt dari primum: quia tunc actus formalis non eſſet actus entitiuus, & per conſequens forma; cum ſit quidã actus formalis, non haberet actum entitatiuũ, nec eſſet ens. Secũdũ nõ põt dici; nã, ſi iſti actus eſſent diſperati haberẽt aliquod cõmune ſuper ſe; ſicut homo, & aſinus, hoc aũt eſt impoſſibile: quia cum actus entitatiuus cõuertatur cum ente per eos, nihil poſſet eſſe commune actui entitatiuo, & formali. Si uerò detur tertium, quod actus formalis eſt ſuperius ad actum entitatiuum, uel econuerſo. Primum non, quia tunc haberet actum formalẽ, cum habet entitatiuum, quod negant. Si autem detur ſm. ſ. quod actus entitatiuus ſit ſuperius ad actum formalem; oporteret, quod deus crearet aliquem aliũ actũ condiuiſum contra actum formalem contentũ ſub actu entitatiuo: eo enim ipſe, quòd aĩal eſt ſuperius ad hominem, oportet dare ſub animali quandam aliam ſpeciem condiuiſam contra hominem, nec poteſt dici unquàm aliquid ſuperius ad aliud, niſi contineat ſub ſe illud, & aliquid aliud: aliter illud eſſet ſuperius reſpectu ſui ipſius, quod eſt incõueniens: ergo dare uel nominare talẽ actum eſt totaliter impoſſibile, niſi uocaret eum actum poſſibilem: ita quòd, ſicut ens diuiditur in actũ, & potentiam: ſic actus entitatiuus, qui eſt æqualis ambitus cum ente, diuiditur in actum formalem, & potentialem, ſiue materialem: hoc autem directè eſt contradictionem implicare: nam ex quo actus, & potentia ex oppoſito diuiduntur; dicere actum potentialẽ eſſe eſt implicatio contradictionis: ergo impoſſibile eſt actum entitatiuum eſſe ſuperius ad formalem: nullo ergo modo poteſt dici, quòd materia eſt denudata ab omni actu ſimpliciter; & per conſequens manet ratio prima in uigore ſuo.

*tex. c. 8.*

*3. de Anima tex. c. 4.*

*Euaſio.*

4 Si materia de ſe haberet aliquem actum; ſequeretur, quòd eſſet in quidditate ſuppoſiti; conſequens eſt falſum, & cõtra Philoſophum: ſola. n. forma dicit quidditatem ſuppoſiti, & eſt de quidditata ipſius: conſequentia probatur, nam quidquid eſt de actualitate rei, eſt de quidditate ipſius, ut patet. 8. met. Si ergo materia de ſe diceret aliquem actum, eſſet de actualitate ſuppoſiti, & per conſequens de quidditate, quod eſt impoſſibile.

*Elicit. ex tex. c. 6.*

SECVNDAM concluſionẽ probo. 4. rationib. Prima eſt iſta, Deus non põt ſupplere uicem cauſæ formalis informantis: ergo nõ poteſt materiam ſine forma facere: antecedẽs notum eſt; quàmuis. n. deus poſſit ſupplere uicem cauſę extrinſecæ, ut efficientis, uel finalis non tamen poteſt ſupplere uicem cauſæ intrinſecæ, ut materialis, uel formalis: hoc. n. arguet in eo maximam imperfectionem. Conſequentia probatur: nam ex quo materia de ſe nullam habet actualitatem, ut probatum eſt in prima concluſione, non poteſt actu exiſtere, niſi habeat eſſe actuale per formam, quæ forma eſt actus rei: uel per aliquod, quod ſuppleat locum formę: cum ergo Deus non ſit forma informans, ſi non poteſt ſupplere locum cauſę formalis, uel talis formæ, non poterit materiam actu facere exiſtere ſine forma: nam ſi poſſet actu eam facere ſine forma, ponatur, quod faciat. Peto, iſta materia habet actu eſſe, ut ſupponitur hoc modo: ergo non habet eſſe à ſe, ut probatum eſt ſuperius: illud ergo eſſe actuale, uel eſt ipſe Deus, uel aliquid di-

ſtinctum ab eo;non ipſe deus,quia,ut dicitur in antecedente, deus non poteſt ſupplere uicem cauſæ formalis informantis:ſi dicatur tale eſſe diſtinctum à deo, habetur propoſitum: quia illud tale eſſe eſt forma,& ſic materia non eſt ſine forma,quare. 2 Effectus formalis non poteſt aliqua uirtute eſſe ſine cauſa formali ſua; non enim poteſt aliqua uirtute eſſe aliquod corpus album ſine albedine, & ſic de ſingulis; ſed effectus proprius formæ eſt dare eſſe actu: ergo impoſſibile eſt aliqua uirtute materia ſine forma eſſe actualiter. 3 Quia illud eſſe, quod haberet materia ſine forma, uel eſſet ſubſtantiale, uel accidentale:non poteſt dari accidentale,quia nullum eſſe accidentale poteſt dari niſi ꝑ formam accidentalem. Vnde non poteſt intelligi aliquid eſſe album ſine albedine,&c, ergo materia non habebit illud eſſe accidentale,niſi per formam accidentalem. Item illud eſſe non poteſt eſſe ſubſtantiale:quia eſſe ſubſtantiale non minus dependet à forma ſubſtantiali,quàm eſſe accidentale à forma accidentali: ſed eſſe accidentale neceſſariò præſupponit formam accidentalem,à qua eſt,& à qua denominatur:ergo,& formam ſubſtantialem præſupponit eſſe ſubſtantiale. 4

Omne ſuppoſitum eſt in aliqua ſpecie determinata, Siue educatur naturaliter, ſiue ſupernaturaliter,ſiue ſit in noua ſpecie,ſiue non: quia ſi non eſſet aliquod ſuppoſitum illius ſpeciei, ipſum poſſet facere nouam ſpeciem; ut ſi nunc crearetur nouus angelus; ſed impoſſibile eſt materiam eſſe in aliqua ſpecie determinatè ſine forma: ergo impoſſibile eſt eam exiſtere ſine forma; nam ſi exiſteret,neceſſariò eſſet ſuppoſitum: ſubſiſteret enim per ſe,& non in alio,nec actu,nec aptitudine; cum non ſit actus; & per conſequens eſſet ſuppoſitum. Maior patet. Minor probatur: quia omne, quod recipitur in ſpecie, reponitur per formam propriã; cum differentia conſtitutiua ſpeciei ſit à forma: impoſſibile eſt ergo materiam in aliqua ſpecie eſſe determinatè ſine forma; & per conſequens eſt impoſſibile eam actualiter eſſe ſine forma.

*Solutio rationum Aduerſariorũ.*

AD RATIONES oppoſitas. Ad primam dico, quod propriè loquendo de effectu, ad quem per ſe determinatur agentis operatio, materia non eſt effectus dei,nec forma: ſed totum compoſitum ex materia, & forma: ſicut enim non generatur per ſe nec materia, nec forma,ſed totum compoſitum; ſic etiam non creatur per ſe nec materia,nec forma;ſed compoſitum:ſed loquendo de effectu pro omni eo,quod productum eſt per ſe, uel per accidens cum alio, & in alio, ſic materia eſt effectus dei, & aliud ſcilicet,cũ quo producitur,& in quo producitur, non quidem actu;ſed potentia: eſt enim pura potentia, ut dictum eſt ſuperius, Ad formam ergo rationis, cum dicitur in Maiori, quod omnis effectus à deo creatus ẽ aliquid. Dico,quod uerum eſt de effectu primo modo dicto, non autem de effectu ſecũdo modo,qualis eſt materia:talis enim effectus,qui non per ſe productus eſt,ſed in alio,& cũ alio; ſufficit, quod habeat eſſe actualis exiſtentiæ in alio, & ab alio; & ſic materia habet eſſe in compoſito ab ipſa forma, & per formam. Ad ſecundũ,cum dicitur, omne ens reale condiuiſum contra nihil, & ens rationis,dicit uerã entitatem,&c. Dico, quod in rebus à deo productis propoſitio uera eſt,ſi intelligitur de ente per ſe producto,& ad quod per ſe operatio agentis terminatur: ſi autem intelligitur de quocunque ente producto, ſiue per ſe,ſiue per accidens, ueritatem non habet: ſufficit enim tali enti, quod ſicut producitur cum alio,& in alio,habeat eſſe cum alio, & in alio,eodem modo, quo dictum eſt in præcedẽti ſolutione. Et cum dicitur,quod quantum res habet de entitate, tantum habet de actualitat. Dico, quod uerum eſt,ſi bene intelligitur: omnis enim res exiſtens in rerũ natura habet aliquã actualitatem,uel per ſe,uel per aliud;ſi talis non poteſt produci per ſe; & ideo bene concedo, quod materia habet eſſe actuale in compoſito,non tamen de ſe, & à ſe; ſed à forma. Ad tertium,cum dicitur in maiori,quod omne bonũ &c.Dico,quod omne bonũ per ſe productum,& per ſe exiſtens eſt aliquid in natura ſua: bonum autem tantum in alio, & ſimul cum alio, ſicut eſt materia non oportet, ſed ſufficit tali bono habere diſtinctionem, & actualitatem ab alio, ut dictum eſt. Ad quartũ,cum dicitur,ſi materia in natura ſua non diceret &c. Nego conſequentiam: ad probationem, cum dicitur in Minori,ſi materia non eſt aliqua natura diſtincta in ſe.ſequeretur qđ in cõpoſito non eſſet,niſi unũ eẽ,uidelicet eſſe formæ. Dico, quod falſum eſt; licet enim materia ſit potentia pura, & totaliter indiſtincta; actuata tamen per formam uerè eſt diſtincta,& habet eſſe in actu. Et ideo materia eſſentiam,& entitatẽ aliam dicit ab eſſentia, & entitate formæ: eſſentia enim materiæ non eſt eſſentia formæ; nec econuerſo: quamuis ex his duabus reſultet quædã eſſentia cõpoſita.

*Quatuor reliquarum rationum ſolutio.*

AD PRIMAM primã rationem probantem ſecundam concluſionẽ,cum dicitur in maiori, Quandocunque aliqua ad inuicẽ coniuncta per propriam naturam diſtincta, &c. Dico, quod hæc Maior eſt inſufficiens; plura enim requiruntur ad hoc,quod unum poſſit eſſe actualiter ſine altero; duo enim correlatiua habent omnes illas conditiones, & tamen nulla uirtute poteſt fieri unum correlatiuum eſſe ſine altero.

*Solutio propria.*

IDEO uidetur mihi,quod ad hoc,quod una res poſſit eſſe ſine altera,& actu exiſtere, à qua diſtinguitur realiter,ad minus requiruntur tria. Primum eſt,quod ſit abſoluta, & non reſpectiua: & propter hoc unum correlatiuum non exiſtit ſine alio. Secundum eſt quod poſſit eſſe per ſe terminus alicuius productionis; nam quod non poteſt eſſe per ſe terminus alicuius productionis,nõ põt per ſe ſtare; & iſta eſt cõditio, quæ deeſt materiæ. Tertium eſt, quod nullo modo dependeat ab alio nec quantum ad eſſe,nec quantum ad conſeruari:& iſta conditio etiam deficit materiæ: dependet enim à forma,quantum ad eſſe actualis exiſtentiæ, cum de ſe ſit purum potentiale. Et ideo nullo modo poteſt actualiter fieri ſine forma. Ad ſecũdũ concedo,quòd materia ſit prior forma ordine naturæ: quia eſt receptiuum formæ: eſſe tamen actualis exiſtentiæ naturaliter poſterius eſt ipſa forma; ſicut effectus formalis ipſius: & ideo materia nullo modo poteſt habere actualitatẽ formæ,quæ eſt ipſum eſſe ſine forma:unde,quàmuis ſit ſubſtantia prior accidente ordine naturæ: quia eſſe album eſt effectus albedinis, & naturaliter poſterius albedine; non poteſt ſubſtantia habere eſſe album ſine albedine. Tunc ad formam rationis,cũ dicitur in Minori,quod nõ repugnat priori eſſe ſine poſteriori. Dico, quod falſum eſt,ſi ſit comparatio inter prius, & poſterius reſpectu alicuius tertij. Vnde ſi comparatur ſubſtantia ad albedinẽ reſpectu eſſe albi: quàmuis ſubſtantia ſit prior albedine;nunquàm poterit eſſe alba ſine albedine; & talis cõparatio ſit in propoſito: comparatur enim ad formam reſpectu eſſe actualis exiſtentiæ, quod eſt effectus formæ. Et ideo,quamuis materia ſit prior,non tamen poterit actualiter exiſtere ſine forma. Ad tertium, cũ dicitur, quod non minus dependet accidens à ſubſtantia &c.Dico,quod non eſt ſimile de accidente reſpectu ſubſtantiæ, & de materia reſpectu formæ, Et ratio huius eſt quoniam accidens quodcunque de ſe dicit aliquam actualitatem:eſt enim quodcunque accidens quædam forma, forma autem, & accidens idem: & ideo quodlibet accidẽs dicit aliquã actualitatẽ,quãuis imperfectam;materia autẽ de ſe nullũ actũ dicit;ſed ſolum eſt pura potẽtia:ideo dicit, Beatus Auguſtinus,quod materia eſt propriè nihil, quod non dicitur de accidente aliquo:& repugnat magis materiæ exiſtiſtere ſine forma, à qua habet eſſe,quàm accidenti ſine ſubſtantia,cum de ſe habeat aliquod eſſe actuale,quod non habet materia. Dico ergo ad maiorẽ, quod in aliquibus magis depẽdet materia à forma,quàm accidens à ſubſtantia; dependet .n.accidẽs à ſubſtãtia ſubiectiuè, & effectiuè eſt.n ſubſtãtia ſubiectũ accidẽtiũ,& cauſa efficiẽs eorũ; nullo iſtorũ modorũ dependet materia à forma;nec eſt.n. forma ſubiectum materiæ,nec cauſa effectiua ipſius;quantũ uero ad eſſe actualis exiſtentiæ magis dependet materia à forma, quàm



forma,quàm accidens,à ſubſtãtia:nam ſicut dictum eſt, materia eſt pura potentia, & quantum ad tale eſſe depẽdet totaliter à forma:accidens uero non eſt pura potentia; immo dicit aliquem actum de ſe: ideo quantum ad tale eſſe, non dependet totaliter à ſubſtantia:& ſic iſta propoſitio non eſt totaliter uera; immò, quod facit ad propoſitum eius,eſt totaliter falſum. Ad quartum,cũ dicitur,ſicut ſe habet intellectus ad ſpecies intelligibiles, &c.Dico,quod illa ratio magis concludit oppoſitum, quã propoſitũ. CVIVS gratia eſt aduertendũ quod iſtam rationem recitat doctor noſter Aegidius in 2. Sent. contra eos dicens, quod ſecus eſt loqui de potentia pura in aliquo genere determinata, ut puta,in genere intelligibilium: & de potentia pura ſimpliciter, & abſolutè in genere entium: nam pura potentia in genere determinato non excludit omnem actum, ſed ſolum actum in tali genere: ipſa autem potentia ſimpliciter de neceſſitate excludit omnem actum, quod patet; nam ſicut ſe habet potentia pura in aliquo genere ad actum illius generis; ita potentia pura ad actum ſimpliciter; ſed potentia pura, in aliquo genere excludit omnem actum illius generis: ergo potentia pura in genere entium excludit ſimpliciter omnem actum illius generis tam formalem, quàm quidditatiuum: & quia materia per eos eſt huiuſmodi, ergo. Concedo igitur eis. Maiorem,quia,ut patet, eſt contra eos:ſed,cũ dicitur in Minori,qđ poſito, quod intellectus nullã ſpeciẽ intelligibilem reciperet, &c. Dico, quod uerum eſt: eo, quod intellectus ſit in pura potentia in tali genere, quod non eſt potentia pura ſimpliciter:materia autem non ſolum eſt potentia pura ſimpliciter in genere, ſed ſimpliciter omnino. Immò concluſio non ſequitur ex præmiſſis; immò totum oppoſitum: nam ſicut intellectus denudatus omni forma intelligibili, quia eſt pura potentia in tali genere,nullo modo eſt actu intellectus; ita materia: quia eſt pura potentia ſimpliciter, ſi denudetur omni forma,nullo modo dicitur actu ens.

*Diſt. 12.q. 3. prin.q.1 corp.q.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

*Opinio Scoti,& ſequacium.*

QVANTVM ad ſecundum articulum dicunt aliqui doctores in compoſito ex materia,& forma de neceſſitate plures formas ſubſtantiales eſſe. Iſti autem ſunt diuiſi: nam quidam eorum dicunt ſolum in homine eſſe plures formas ſubſtantiales. Alij non ſolum dicunt in homine,ſed in quolibet animali. Alij dicunt hoc in quolibet compoſito abſolutè: omnes ergo iſti doctores concordant in hoc, quod in homine alia eſt forma ſubſtantialis,per quam eſt homo, & alia per quã eſt animal,& ſic de ſingulis: nam aliud competit ei eſſentialiter,& intrinſecè, inquantum eſt ſubſtantia:& aliud inquantum corpus; & aliud inquantũ animal, & aliud, inquantum homo. HANC autem concluſionem probant multipliciter. 1 Sic,quicquid competit homini per formam,per quam eſt homo,competit ſibi, inquantum eſt homo, ſed ſuppoſito, quod in compoſito non ſit niſi una forma ſubſtantialis, quicquid competit homini,competit ſibi per formam, per quam eſt homo, ſeu inquantum homo; concluſio eſt falſa: ergo aliqua præmiſſarum: non Maior: iſta enim de ſe eſt nota:nam ex oppoſito prædicati deſtruitur ſubiectum: nam illud,quod non competit homini,inquantum homo,non ſibi poteſt competere per formam,per quam eſt homo: igitur. Minor eſt falſa; ſed non eſt falſa, niſi ſtante ſuppoſito,quod in homine non eſſet,niſi una forma, & per illam eſt homo: quicquid ei competit, totum competit ſibi per iſtam formam: quia non habet aliam: relinquitur ergo neceſſariò idem ſuppoſitũ eſſe falſum,ſcilicet, quòd in compoſitò tantũ ſit una forma ſubſtãtialis ſunt, ergo plures formæ in cõpoſito. 2 Aduenĩete anima intellectiua corpori humano,uel cedit ei anima ſenſitiua, uel manet ſimul cũ ea. Primũ nõ poteſt dari: relinquitur ergo ſecundum,& tunc erunt plures formæ ſubſtantiales in compoſito,Probatur aſſumptũ;nã ſi anima ſenſitiua cedit ipſi animæ intellectiuæ, uel cedit antequàm introducatur intellectiua, uel poſt eius introductionẽ, uel in eodem inſtãti ſenſitiua cedit, in quo intellectiua introducitur: quia non eſt dare medium. Non poteſt dici:quòd ante: quia ſequeretur,quod materia poſſet exiſtere actu pro illo tunc ſine forma, quod eſt inconueniens. Si autem dicatur, quod poſt; habetur propoſitũ, quòd iam pro aliquo nunc ſunt duæ formæ in compoſito,& ſic plures; & eadem ratione ſemper poſſunt. Si autem detur tertium, quod in eodem inſtanti cedit ſenſitiua,&c: ſequitur magnum inconueniens,ſcilicet, quòd unum,& idem ſubiectum in uno, & eodem inſtãti eſſet, & non eſſet,ratione formæ cedentis:non eſſet, & eſſet,ratione formæ introducendæ. Et tunc uel in illo inſtanti anima ſenſitiua eſſet tota extra corpus,uel tota in corpore, uel partim in corpore, & partim extra corpus. Si detur primũ,habetur propoſitũ:nã in illo eodẽ inſtanti, cũ anima intellectiua ſit introducenda,ſimul erunt duæ formæ in eodem. Si detur ſecundum, ſequitur euidẽs contradictio: quia in illo non cedit ſenſitiua, in quo tota extra corpus eſt: quia,cum ceſſit de præterito, in eodem inſtanti cedet,& non cedet. Item,ſi aliquo inſtanti eſt extra corpus totaliter, neceſſariò ſeparata fuit in tempore à corpore in alio inſtanti: & cum inter duo inſtantia cadat tempus medium, in iſto inſtanti maneret materia actu ſine forma, quòd eſt inconueniens.Si autem detur tertium; ſequitur magnum inconueniens: nam tunc in illo inſtanti una forma eſſet condimidia, quod eſt totaliter irrationale: nullo ergo modo uidetur poſſibile, quod anima ſenſitiua cedat intellectiuæ,& per conſequens maneat cum illa,& ſic de primo ad ultimũ erũt plures formæ in compoſito. 3 Ad idem,ſi in homine non eſſet niſi una forma ſubſtantialis; ſequeretur, quòd non eſſet generatus; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur,nam non eſſet generatus ratione materiæ: quia materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis .4. Metaphyſicæ: nec ratione formæ, quia ſi in homine nõ eſſet,niſi una; hæc eẽt anima intellectiua; ſed anima intellectiua non generatur; ſed educitur ab extra per creationem: nihil ergo habet,per quod poſſit dici generatus; hoc autem eſt impoſſibile;ergo. 4 Sic. Impoſſibile eſt corruptibile, & incorruptibile in aliquo idemptificari:aliter contradictoria de eodem uerificarentur; ſed ſenſitiuum & intellectiuum ſeparãtur, ſicut corruptibile,& incorruptibile ſecundum Philoſophum. 2. de anima: ergo impoſſibile eſt ſenſitiuum,& intellectiuum idemptificari in aliquo: cum ergo recipiãtur in homine,erunt ibi formæ diſtinctæ,& plures ergo:

*Elicit.ex tex.Cõ. 12.*

*tex.c. 21.*

*Theologicæ confirmationes huiuſce aſſertionis.*

PRETER iſtas naturales rationes adducũtur theologicæ probantes in corpore Chriſti eſſe aliam formam ſubſtantialem præter animam intellectiuã. 1 Sic,ſi in Chriſto eſſet tantum una forma ſubſtantialis, ſequeretur,quod in altari non eſſet uerum corpus Chriſti, ſm formam à Chriſto nobis traditam; conſequens eſt hæreticum:ergo. Conſequentia probatur ſic,nã ſi in Chriſto eſſet tantũ una forma ſubſtantialis,neceſſariò quicquid eſſet in eo,uel eſt deitas, uel anima rationalis,uel materia ſola,uel aliquod accidẽs, hæc patet intuẽti; hoc ſuppoſito,probatur cõſequẽtia ſic. Conuerſio panis in corpus Chriſti,aut eſt conuerſio panis in diuinitatẽ,aut eſt conuerſio in animã rationalẽ,aut in materiã ſolã,aut in aliqđ accidẽs;patet ex ſuppoſito. 1 Nõ põt dici,qđ ſit conuerſio in deitatem,deitas.n.ab omni conuerſione, & uariatione eſt abſtracta. 2 Nec etiam poteſt dici, quod ſit cõuerſio in animã rationalem:nam omne illud, in quo ſit conuerſio, eſt ibi ui ſacramẽti:anima aũt rationalis,ut tenetur ab omnibus ſm fidem,non eſt ibi ui ſacramenti,ſed ſolũ ex naturali cõcomitantia:unde cõmuniter dicitur à doctoribus,quod,qui conſecraſſet in triduo,cõſecraſſet corpus ſine anima: talis ergo conuerſio nõ ſit in animã rationalẽ. 3 Nec põt fieri in aliqđ accidẽs:nam ſpeciali nomine hæc conuerſio benedicta uocatur trãſubſtãtiatio: quia ĩ ea trãſubſtãtiatã ſubſtãtia panis in ſubſtãtiã corporis Chriſti. 4 Vlterius non põt dici

quòd hæc cōuerſio fit in ſolā materiā propter tria uerba nobis à Chriſto tradita, Verborū Chriſti forma hæc eſt, Hoc eſt corpus meum, ſed ſola materia non poteſt dici hoc, nec corpus, nec meum: ergo impoſsibile eſt talem conuerſionem in ſolam materiam eſſe. Aſſumptum probatur ſic, 1 Illud, cui de natura ſua competit eſſe indiſtinctum, & diſtingui per aliud ammoto diſtinctiuo non poteſt dici hoc, cum hoc nominet diſtinctionem; materia ſola eſt huiuſmodi; nam de natura ſua non ſibi competit diſtinctio aliqua; ſed tota ſua diſtinctio eſt à

*7. met. tex. c. 49.*

forma; nā actus eſt, qui diſtinguit; ammota ergo forma nullū poterit dici hoc, 2 Vlterius non poterit dici corpus: nam ſi ſolam materia poſset dici corpus, uel eſſet corpus in quantitate uel in genere ſubſtātiæ, 1 Non poteſt dici corpus primo modo; quia eſſet accidēs, quòd eſt falſum, 2 Nec poteſt dici corpus de genere ſubſtantiæ; eſt enim duplex corpus de genere ſubſtantiæ, ſcilicet corpus, quod per ſe eſt in prędicamento, & corpus, quod eſt altera pars compoſiti: quia tale corpus ſecundū

*Tex. c. 7.*

Philoſophum. 2. de anima eſt corpus organizatum; eſt. n, anima actus corporis, &c. Sola autem materia non eſt corpus organizatum; hoc enim prouenit ab aliqua forma, &c. 3 Item, cum corpora inanimata ſint compoſita ex materia, & forma; ſi ſola materia diceretur corpus; corpora inanimata eſſent compoſita ex corpore, & forma, quod falſum eſt; nullo ergo modo poteſt dici corpus. 4 Item, poſito, quod ſola materia eſſet corpus non poteſt dici corpus meum; eſt enim materia, quantū eſt de ſe, una in omnibus, & de ſe nō habet, quod nec ſit huius, uel illius; ſed hoc habet à forma; ammota igitur forma, poſito, quòd eſſet corpus, non poſſet Chriſtus dicere, hoc eſt corpus meum, niſi ualde impropriè, quod nullo modo eſt immaginandum; nullo ergo modo in altari eſt corpus Chriſti ſecūdū formam à Chriſto nobis traditam, & ſic patet conſequentia. Ad euitandum tantum periculū neceſſarium eſt ponere in compoſito plures formas ſubſtantiales,

*Opinio communis & præcipuè Aegid. in opuſc. de Grad. Formarum per totum.*

HAEC autem poſitio, quamuis habeat apparentes rationes, non uidetur mihi neceſſaria, nec aliquo modo uera. Teneo, quod in omni compoſito eſt tantum una forma ſubſtantialis; hanc aūt concluſionem probo quadrupliciter. 1 Sic, ſi incompoſito eſſent plures formę ſubſtantiales; ſequeretur, ꝙ ſuperiora non prædicarentur eſſentialiter de inferioribus, conſequens eſt falſum; ergo. Conſequentia probatur, nam in omni prædicatione eſſentiali prædicatum, & ſubiectum dicunt unū eſſentialiter, uel prędicatio eſſet falſa: iſta enim prædicatio non eſt eſſentialis; ſed denominatiua, homo eſt albus, Quare? Quia homo, & albedo non ſunt idem per eſſentiam; ſed ſi in homine eſt alia forma, per quam eſt corpus; & alia, per quam eſt animal: & alia, per quam eſt homo; nunquàm prædicatum, & ſubiectum faciunt unum eſſentialiter; dicendo enim, homo eſt animal, forma, quę importatur per ly animal, & forma, quæ importatur per ly homo ſubiectū, non ſunt unum eſſentialiter; immò ſunt duæ formæ diſtinctæ, & per eſſentiam, quāuis ſint in eodē genere: talis ergo prædicatio non erit eſſentialis; ſed magis denominatiua; hoc autem eſt impoſsibile: ergo oportet eſſe in omni cōpoſito ſolam formā ſubſtantialem, 2 Si in compoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales; ſequeretur, quod generatio unius non eſſet corruptio alterius; conſequēs eſt falſum: ergo, Probatur conſequentia, quia adueniente anima intellectiua, uel cedit eius anima ſenſitiua, uel non; ſi dicatur, quod non; habeo propoſitū: erit. n, generatio hominis ratione formæ nouiter introducendæ, & nulla erit ibi corruptio: quia nulla forma ſubſtantialis ſeparatur; corruptio autem fit per ſeparationem formæ ſubſtantialis; ſicut generatio per introductionem formæ ſubſtantialis: ſi autem dicatur, quod adueniente anima intellectiua, cedit ei ſenſitiua; habeo propoſitum principale: nam peto ulterius, uel adueniente anima ſenſitiua cedit uegetatiua, uel non? Si non; erit generatio ſine corruptione. Si ſic; pari ratione petam de illa forma reſpectu formæ præcedentis: & quia non eſt abire in infinitū neceſſariò oportet concedere; uel, quod generatio ſit ſine corruptione; uel quod in compoſito ſit tantum una forma ſubſtātialis: hæc ratio in hac materia uidetur mihi demonſtratio, niſi uelint Philoſophum negare, & rationem expreſſe. 3 Si incompoſito eſſent plures formæ ſubſtantiales; ſequeretur, quod generatio hominis non eſſet generatio ſimpliciter, ſed tantū ſecundū quid; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur generatio, n, eſt progreſſus de non eſſe ſimpliciter, ad eſſe ſimpliciter ſm Philoſophum in Poſtprędicamētis, hoc ſuppoſito arguitur ſic. Compoſitum habens uerum eſſe ſubſtantiale antè introductionē formæ, quod manet ſimul cū illa forma, nō acquirit eſſe ſimpliciter per introductionem alterius formæ: & per conſequens acquiſitio talis formæ nō eſt ſimpliciter generatio, ut patet ex ſuppoſito, ſed homo hēt uerum eſſe ſubſtantiale antè introductionē animæ intellectiuæ, & manet ſimul cum illa, ſi ſint plures formæ ſubſtantiales in eodem; ergo homo per introductionē animæ intellectiuæ non acquirit eſſe ſimpliciter, & per conſequēs acquiſitio huius animæ nō eſt ſimpliciter generatio; generatio ergo hominis nō eſt ſimpliciter generatio, ſed tantū ſm quid. 4 Si in cōpoſito eſſent plures formæ; ſequeretur, quod unū, & idē indiuiduum eſſet in diuerſis ſpeciebus conſtitutis per diuerſas differentias formaliter, & intrinſecè; conſequens eſt falſum: ergo. Probatur conſequentia. Supponatur, quod ex uno lapide generetur uermis, hoc poteſt bene, naturaliter fieri. Tunc peto, uel forma lapidis cedet formæ uermis, uel non, ſed ſtabit cum ea? Si dicatur, quod cedet; pari ratione dicendū eſt de qualibet alia forma: & ſic in aduētu unius formę cedit alia: & per conſequēs incompoſito non eſſet niſi una forma. Si uerò dicatur, ꝙ non: tūc uermis generatus erit uere lapis, & uermis; quia uerè, & realiter habet formam, per quam eſt lapis, & formam, per quam eſt uermis: & ſic unum, & idē indiuiduū uere erit animatum, & inanimatum, & per conſequens in diuerſis ſpeciebus conſtitutis per oppoſitas differētias intrinſecè, & formaliter, quod eſt impoſsibile: ergo &c. Apparet igitur ex prædictis, incompoſito tantum eſſe unam formam ſubſtantialem,

*Solutio rationum Scoti, & ſequacium.*

RESPONDEO ad rationes alterius opinionis, Ad primā, cū dicitur, quicquid competit homini per formā, per quam eſt homo &c. Dico, quod iſta propoſitio, ſic abſolutè ſumpta, non eſt uſquequaque uera ſine aliqua modificatione. Cuius gratia aduertendū, quod in formis ſubſtantialibus talis ordo inuenitur realiter, quod forma ſuperior, & perfectior ſemper continet uirtute omnem perfectionem formæ inferioris, ſeu formarū inferiorū, ſi habet ſub ſe, & ſemper continet perfectionē ſui ipſius formaliter: anima igitur intellectiua continet uirtualiter perfectionem omniū formarū, tàm animæ ſenſitiuæ, quàm uegetatiuæ, quàm omniū aliarū, & inſuper continet perfectionē ſuā propriam formaliter: & ideo forma ſuperior poteſt, quicquid poſſunt formę inferiores, ſi eſſent præſentes, & adhuc plus; poterūt ergo competere compoſito per formam ſuperiorem ſolam, ut per animam intellectiuam, omnia, quæ ei competerent per omnes formas inferiores, ſeu imperfectiores, ſi ipſum actu informarent. Dico igitur ad gloſam, quod quicquid competit homini per formam, per quam eſt homo, ut iſta forma ſolum dicit perfectionem propriam, quam habet in ſe formaliter, totum hoc competit ſibi, in quantum homo; ſed quicquid competit homini per formam, ut illa forma ſupplet uicem alterius formæ, cuius perfectionem continet uirtualiter; non oportet, quod ſibi competat, in quantum homo; ſed ſibi competet in quantum animal, uel corpus; uel in quantum aliquid aliud: nam ſi illud competat ſibi, ut forma hominis ſupplet uicem animæ ſenſitiuæ; competit ſibi in quantum animal: ſi uero in quantum ſupplet uicem corporeitatis, cōpetit ſibi, ut corpus: & ſic de ſingulis; quare non concludit. Ad ſecūdū dico, quod adueniente anima intellectiua, cedit ſenſitiua: ſicut adueniente ſenſitiua, cedit uegetatiua. Propter probationem eſt aduertēdū, quod nō





oportet dare ultimum inſtans in corruptione, ſicut eſt dare primum in generatione: & quia ad introductionem nouæ formæ ſequitur generatio: oportet dare primum inſtans, in quo talis forma inducitur; ſed non oportet dare ultimum inſtans, in quo talis forma cedat, ſeu corrumpatur: ergo dicendum, quòd compoſitum per totum tempus præcedens habet eſſe per formam pręcedētem, & in inſtanti, in quo noua inducitur, incipit habere eſſe per formam ſequentem: & ideo ratio iſta procedit ex falſa immaginatione: immaginatur enim, quod oportet dare ultimum inſtans in corruptione, ſicut primum in generatione, quod non uidetur mihi uerum: unde ſi iſta ratio eſſet bona, pari ratione ꝓbaretur, quod ſimul, & ſemel in eadem parte aeris eſſet lux, & tenebra, & in medio oculo cæcitas, & uiſio, quod eſt impoſsibile. Aſſumptum patet cuilibet intelligenti: ratio ergo nō concludit. Ad tertium dico, quod procedit ex falſa immaginatione: immaginatur enim, quod in omni generatione debeat generari forma, uel materia, quod eſt falſum: nam ſecundum philoſophum forma non genera-

*7. meth. tex. c. 27.*

tur, nec materia per ſe, ſed compoſitum: & ideo quamuis homo ſit, non oportet, quod generetur materia, uel anima intellectiua, quæ eſt forma eius; ſed ſufficit, quod generans diſponat corpus humanum ad introductionem animæ intellectiuæ, cuius introductio dicitur hominis generatio. Ad quartum conceſſa Maiori, cum dicitur in Minori, quod intellectiuum, & ſenſitiuum ſeparātur, ſicut perpetuū, & corruptibile. Dico, quod intellectiuū, & ſenſitiuum, & uegetatiuum, ubi reperiuntur formaliter, ſeparantur ab intellectiuo, ſicut perpetuum à corruptibili: ſed ubi ſolum uirtualiter continentur, nō oportet: ſenſitiuum enim formaliter ſumptum neceſſariò eſt corruptibile; ſed uirtualiter ſumptum non repugnat eſſe ſibi perpetuum, uel incorruptibile: nam omnes creaturæ continentur in deo uirtualiter, & quamuis in ſe formaliter ſint corruptiles; in deo tamen incorruptibiliter continentur; & ita eſt in propoſito: bene ergo concedo, quod impoſsibile eſt unum, & idem formaliter eſſe ſenſitiuū, & intellectiuū: nā tale eſſet corruptibile, & incorruptibile; ſed unum, & idem bene poteſt eſſe formaliter intellectiuum, & uirtualiter ſenſitiuum, & uegetatiuum: ſic eſt in propoſito: ergo, &c. AD ALIAM de corpore Chriſti dicendum, quòd totalis difficultas iſtius proceſſus petit, quid nomine corporis importetur: hoc enim uiſo, facile erit uidere, quomodo in altari ſtat uerum corpus Chriſti ſecundum formam à Chriſto nobis traditam cum unitate formæ ſubſtantialis. De hoc autem ſunt diuerſi modi dicendi, quorum quilibet habet ſolennes doctores; & ideo prius eſt uidenddm ſecundū poſitiones ipſorum, quid ſignificet nomen corporis; & per conſequens, quid dicendum de principali quęſito,

*Huiuſmodi modus dicēdi eſt Aegi. in opuſc. de Grad. for. Par. 2. ca. 1. 2. 6. 7. Itē in quodlib. quodlib. 5. q. 14. itē in Theore. de corp. Chriſt. propoſ. 26. 28. 29. item in Theorem. de eſſe, & eſſent, Theorem. 16. item 2. ſen. d. 3. q. 1.*

RESPONDENT ergo aliqui doctores diſtinguentes de corpore, dicūt, quod tripliciter dicitur corpus. Vno modo, quod eſt in genere quātitatis, quod dicit trinā diuiſionem. Alio modo dicitur corpus, quod eſt in genere ſubſtātiæ directè, & eſt genus immediatè ſub ſubſtantia; huiuſmodi autem dicit materiam cum forma corporeitatis, quę in homine, ut dictum eſt, & bene, non eſt alia ab anima rationali: unde hoc modo ſumptum corpus prædicatur de homine eſſentialiter, ſicut ſuperius de inferiori. Tertio modo dicitur corpus, quod eſt altera pars compoſiti animę condiuiſum, & prædicatur de homine denominatiuè, ſicut pars de ſuo toto, ut cum dicitur, homo eſt ex corpore: & ſic eſt in genere ſuſtantiæ per reductionem, ſicut pars ſubſtātiæ, uel principium; & hoc modo corpus acceptum ponitur indiffinitione animę in ſecundo de anima; hoc autem tertio modo accipitur corpus, cum dicitur ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti; corpus autem ſic ſumptum non importat materiam, & formam, ſeu materiam ſolā: quia materia ſm ſe accepta, non meretur nomen corporis: ideo dicunt, quod huiuſmodi corpus dicit materiam, ut habet modum quātitatis, quem acquirit ex eo, quòd eſt quantitati coniuncta: nam hic modus eſt derelictus ex ipſa quātitate, non tñ ita, quod tale corpus dicat materiā, & quantitatem; ſed dicit ſolā materiā cum tali modo quātitatiuo, qui nullam rē addit ſupra materiam ipſam, licet ſit modus realis: quia ſummitur ex re; materia autē ſic accepta, ſic nominata, & modificata uocatur corpus, quod eſt altera pars compoſiti; & tamē dicitur ſola materia: quia ille modus, ut dictum eſt, nullā rem addit ſuper materiam. Et iterum, ut dicunt, materia cum iſto modo dicitur, quoddam totum: quia partes habet, licet non ſit partibilis, niſi per quantitatem; tamen aliæ ſunt partes materiæ à partibus quantitatiuis: undè, quia ſecundum eos ſubſtantia panis conuertitur in materiam, nec eſt ſub tali materia, quæ ſic ſumpta dicitur corpus, & dicitur totum: ideo fit conuerſio totius ſubſtantię in totum quoddam: ſm igitur iſtam poſitionē in ſolam materiā fit conuerſio ſubſtantiæ panis; non autem in formā, nec in deitatem, nec in aliquod accidens; & tamen poterit ſola materia ſic nominata, ſic modificata dici hoc, & dici corpus, quòd eſt altera pars compoſiti: & dici meum, ut patet intuēti: & ita ſecundū iſtam uiā ratio modicum concluderet.

*Confutatio opin. præmiſſæ.*

ISTE autem modus dicendi, quamuis ſit ſubtilis, uidetur tamen dubius, quantū ad aliqua, quæ ponit. 1 Quia dicit materiā cū iſto modo quantitatiuo eſſe ſolā materiā; hoc autem uidetur ualde mirabile. Nā iſte modus derelictus à quantitate, uel eſt aliquid, uel nihil: ſi nihil, non poteſt materia dici cum eo magis corpus, quàm ſine eo: ſi aliquid, uel reale, uel rationis: non rationis; tum quia talis conuerſio nō habet fieri in aliquod ens rationis: tum etiam; quia materia cum tali modo corpus nō diceretur, quod eſt altera pars compoſiti, ſicut ipſi uolunt: ſi ergo eſt aliquid reale, uel eſt idem realiter cum materia, uel non: ſi dicatur, quod non: ergo non eſt ſolum materia: quia ſimul cum ea eſt aliquid reale, quod nō eſt ipſa: ſi autem dicatur, quod ſic; ſicut ipſimet uidentur dicere, ſequūtur multa impoſsibilia. Primum eſt, quod materia erit effectus formalis quantitatis, ſiue modus derelictus à quantitate, quod omnino eſt impoſsibile. Conſequētia probatur per ſyllogiſmum expoſitoriū ſic. Hic modus eſt effectus quantitatis; hic modus eſt materia: ergo hæc materia eſt effectus quantitatis, ſiue modus derelictus à quantitate. Secundum eſt, quod idem erit prius, & poſterius ſeipſo naturaliter, circunſcripto omni opere intellectus, quod impoſsibile eſt. Conſequentia probatur: nam quicquid eſt prius priori, eſt prius poſteriori, ſed materia eſt prior quantitate; quantitas autem eſt prior iſto modo derelicto, qui eſt effectus quantitatis: ſi ergo materia, & iſte modus derelictus à quantitate ſunt idem; idem erit prius ſe ipſo naturaliter: unde poteſt ſic formari ratio. Hæc materia eſt prior hac quantitate naturaliter; quantitas hæc eſt prior hoc modo quantitatis à quātitate derelicto: ergo materia hæc eſt prior iſto modo derelicto, & hæc ſunt idem inter ſe: ergo idē eſt prius, & poſterius ſe ipſo. Tertium, quod idem ſimul eſſet, & non eſſet; quod implicat contradictionē: conſequentia patet, quia ammota iſta quantitate naturaliter per potentiam diuinam, iſte modus deſinet eſſe, cum ſit effectus formalis ipſius, & ab ea derelictus: materia autem poteſt remanere; & per conſequens unum, & idem ſimul erit, & non erit: unde poteſt ſic formari ratio. Illa non ſunt idem, quorum unum manet alio corrupto; modo poteſt materia remanere, ut declaratum eſt, ergo non ſunt idem materia, & ille modus: ergo materia cum iſto modo non poteſt dici ſola materia. ET confirmatur uel materia habens modum, uel habet aliquid, quod prius non habebat, uel non. Si ſic, ergo materia cum tali modo non ſolum eſt materia. Si non, ergo materia cum tali modo non poterit dici corpus magis, quam ſine ipſo, cuius oppoſitum ipſi uolunt, 2 Iſte modus dicendi uidetur dubius: quia dicit materiam cum tali modo quantitatiuo poſſe dici corpus, & poſſe dici totum quoddam; nam ſi materia cum tali modo non eſt, niſi ſola materia, & ipſa materia ſecundum ſe accepta

non poteſt dici, nec corpus, nec totum, ut concedunt: ergo nec cum tali modo. 3 Videtur dubius, quia ponit, quod ſubſtantia panis conuertatur in materiam extenſam: quia ſi corpus eſt quoddam totum, falſum ergo: dicit, cõuerſionem illam fieri in ſolam materiam: materia nanque extenſa non erit ſola materia, extenſio uero non eſt ſola materia. Aſſumptum probatur ſic, nulla realitas materiæ præcedit materiam, omnis realitas materiæ præcedit extenſionem materiæ, cum præcedat etiam quantitatem: ergo extenſio materiæ non eſt materia: ergo iſta nõ uidentur ſtare ſimili. ET IDEO eſt alius modus dicendi aliorum doctorum, qui dicunt, ꝙ diſtinctio aſsignata de corpore uera eſt, & quod corpus, in quod ſubſtantia panis conuertitur, eſt corpus, qđ eſt pars hominis animæ condiuiſum, & quod ponitur in diffinitione animæ, cum dicitur, anima eſt actus corporis, ſed ꝙ huiuſmodi corpus non dicit materiam ſolã cum quodã modo quantitatiuo, ut præcedẽs opinio ponebat: immò dicit materiam, & quantitatem, quod ſic ab eis probatur. Nomen corporis nanque, ut dicunt, primum impoſitum fuit ad deſignandum quantitatem dimenſiuam, ſcilicet triuam dimenſionem. Et quia quantitas eſt accidens commune omnibus ſubſtantijs corporalibus: inde eſt, quod forma omnium corporalium, in qua omnia corporalia conueniunt, uocata eſt corporeitas, eo modo, quo formæ ſubſtantiales nominantur nominibus accidentalibus, quæ ſunt notiora; unde corpus, quod dicit mihi materiam cum huiuſmodi forma cõmuni .ſ. corporeitatis, eſt corpus, quod eſt genus: materia autem cum quantitate dicitur corpus, quod eſt altera pars compoſiti, ſicut materia, ut eſt ſub albedine, dicitur alba: unde ſicut album ſignificat ſubiectum, & accidens, quod eſt albedo: ita corpus hoc modo ſignificat .ſ. materiam, & quantitatem: eſt enim quaſi nomen denominatiuum, licet habeat modum ſignificandi ſubſtantiuum; nomen autem denominatiuum ſignificat accidẽs, & ſubiectum: ut dicit Commentator 5. Metaphyſicæ, licet accidens principaliter, ſubiectum ex conſequenti: corpus igitur, in quod ſubſtantia panis conuertitur, non dicit formam ſubſtantialem: ſed dicit materiam, & quãtitatem, materia autem cum quantitate poteſt dici hoc, & corpus, quod eſt altera pars compoſiti, & meũ. ETSI dicatur contra eos, quod corpus in, quod ſubſtantia panis conuertitur dicit ſubſtantiam cum quantitate, quod conuerſio non fit in ſolam materiam: ſed in materiam, & quantitatem, quod non eſt uerum cum in hac glorioſa conuerſione nihil conuertatur in accidentia, ſed ſolũ in ſubſtantiã. RESPONDENT, dicentes, quod aliquæ locutiones ſunt ueræ per ſe, aliquæ per accidens; unde hæc propoſitio amictus ædificat, uera eſt, quamuis ſit per accidens: quando ergo dicitur, quod ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti ex ea parte, qua corpus dicit materiam cum quantitate, & non ſolum materiam, uera eſt per accidens: quia conuertitur ſic ſubſtantia panis in aliud, cui accidit eſſe quantum, & eſſe corpus: ſicut ergo hæc eſt uera locutio; ſubſtantia panis conuertitur in corpus animatum, & tamen in ipſam animam nihil conuertitur: ita hæc eſt uera, quod ſubſtantia panis conuertitur in materiam quantam, & tamen nihil conuertitur in quantitatem: Et quando in quantitatem nihil conuertitur, uerum eſt dicere, quod ſubſtantia panis conuertitur in corpus Chriſti, & ſecundum hoc facile eſt reſpondere ad rationes. ISTE tamen modus dicendi per ſe uidetur mihi dubius, quantum ad aliqua: Primo quia ponit, quod corpus, qđ eſt altera pars hominis, animæ condiuiſum dicere materiam, & quantitatem: hoc enim non uidetur eſſe uerum propter multa. 1 Quia ſequeretur, quod tale corpus non eſſet unũ per ſe, ſed per accidens, quod eſt omnino inconueniens: quia tunc homo non eſſet unũ per ſe; ſi eius partes eſſentiales non haberent unitatem niſi per accidens: conſequentia patet, quia ex ſubſtantia, & accidente nunquam fit unum per ſe. 2 Quia ſequeretur illud corpus nõ eſſe in prædicamento ſubſtantię per ſe, nec per reductionem, quod eſt falſum. Conſequentia patet, quia quantitas nullo mõ eſt in genere ſubſtantiæ. NEC ualet, ſi dicatur, quod hæc eſt uera per accidens, corpus .ſ. quod eſt altera pars compoſiti, eſt in genere ſubſtantiæ: quia eſt illud, cui accidit eſſe quantum: & corpus, ſcilicet materia eſt in genere ſubſtantiæ per ſe: quia pari ratione diceretur, quod hæc eſt uera per accidẽs, corpus, quod eſt altera pars hominis animæ condiuiſum, eſt in genere quantitatis: quia illud cui coniungitur materia ad hoc, quod habeat eſſe quantum, & eſſe corpus, eſt in genere quantitatis. ET confirmatur per eos: nam cum dicitur materia cũ quantitate eſt corpus; eſt prędicatio denominatiua: ſicut dicitur materia eſt alba, ut ipſi dicũt, nomen autem denominatiuum, ut dicunt principaliter ſignificat accidens, & conſequenter ſubiectum. Corpus ergo, quod eſt altera pars hominis animæ condiuiſum, principalius ſignificat accidens, quàm ſubſtantiã, & per conſequens principalius erit in genere accidẽtis, quàm ſubſtantia: quod eſt omnino inconueniens. 3 Sequitur quod ex anima, & corpore, quod eſt altera pars compoſiti conſtituatur homo eſſentialiter, ſicut ex duabus partibus eſſentialibus: ſi ergo corpus ſic ſumptum includeret quantitatem, quantitas pertineret ad eſſentiam hominis, quod oĩno eſt impoſsibile. SECVNDO iſte modus dicendi uidetur dubius: quia dicit corpus prædicari de materia cũ quantitate denominatiuè, qđ non uidetur, quia tunc non diceretur materia cum quantitate eſt corpus, ſed corporea ſicut corpus dicitur albũ, & non albedo. TERTIO uidetur dubius, quia dicit hanc propoſitionẽ eſſe non ueram per ſe, ſed per accidens, ſubſtãtia panis conuertitur in corpus Chriſti. Si hoc eſſet uerum, ſequeretur in altari non eſſe uerum corpus ex ui ſacramenti, in quo conuertitur ſubſtãtia panis. Si ergo cõuertitur in ſolam materiam, ut dicunt, quamuis dicatur per accidens conuerti in quantũ: uel in corpus ſola materia, & nõ corpus erit ibi ui ſacramenti. 2 Itẽ pari ratione poterit dici, quod ſubſtantia panis conuertitur in accidentia, & in animã rationalem, & deitatem per accidens: quia conuertitur in illud, cui illa ſunt cõiuncta, & ſi non ex ui ſacramenti ex naturali tamen concomitantia, quod tamen nullo modo eſt dicendum. 3 Itẽ etiam omnia uerba Chriſti, quibus utitur in glorioſo ſacramento, eſſent impropria: quia ſola materia eſt, in quam per eos fit conuerſio, quæ nec poteſt dici hoc, nec corpus, nec meum, & per conſequens talis locutio eſt impropria: hoc nõ uidet rationabile, quòd Chriſtus in tali materia, imò in nulla loquatur impropriè. ISTI ergo modi dicendi, ſalua ſemper reuerentia dicentium, uidentur improprij: ET ideo poſſet eſſe alius modus dicendi .ſ. quod corpus, quod eſt altera pars cõpoſiti, in quod ſubſtantia panis conuertitur, non dicit ſolam materiam, ut ponebat opinio prima: nec materiam cũ quãtitate, ut ponebat ſecunda, ſed dicit materiam cum quodam quantitatiuo modo derelicto in materia à quantitate, qui tamen non eſt idem realiter cũ materia, & materia cum iſto modo poteſt dici hoc, & corpus, & meũ, & per conſequens poteſt ſaluari forma uerborũ Chriſti. SED adhuc iſte modus dicendi uidetur dubius: quia aut huiuſmodi conuerſio fit in ſolam materiam, uel in materiam, & iſtum modum: non in ſolam materiã, propter rationes iam factas contra poſitionem præcedentem: nec in materiam & iſtum modum: nam, cum iſte modus non ſit idem cum materia, & ſit derelictus à quãtitate, erit accidens; & per conſequens conuerſio fieret in aliquod accidens, quod non eſt uerum. Si autem aliquis poſſet ſoluere iſtam rõnem, quæ eſt cõmunis huic modo dicendi, & immediate præterito: iſta uia uideretur probabilior aliis, & plures uitaret difficultates: uerum, quia hoc bene ſaluare uidetur ualde difficile: idcirco uidetur, ſalua reuerentia, aliter poſſe dici.

CVIVS gratia aduertendum eſt, quòd ſicut ſe habet accidentalis forma ad dare eſſe accidentale; ita ſe habet forma ſubſtantialis, ad dare eſſe ſubſtantiale; forma accidentalis dat eſſe accidẽtale ſubiecto, in quo eſt, dando ſibi effectum aliquem formalem, ſiue modum derelictum, quod pro eodem accipio: ergo à ſimili, forma ſubſtantialis dat eſſe ſubſtantiale materiæ, dando ſibi effectum aliquẽ formalem: ſiue modum derelictum ab ea: unde ſicut eſſe extenſum eſt effectus formalis quãtitatis, & modus derelictus ab ea; ita eſſe corporeum eſt effectus formæ corporeitatis, & modus derelictus ab ea: & eſſe animatum eſt effectus formæ ipſius animę, ſiue modus derelictus ab ea: materia ergo cum forma corporeitatis, & iſto modo derelicto dicitur corpus, quòd eſt in genere ſubſtãtiæ: nam, quia tale corpus prædicatur eſſentialiter de includentibus modum, & formam: neceſſario oportet, quòd dicat materiam, & formam: corpus uerò, quòd eſt altera pars compoſiti dicit ſolam materiam cum iſto modo derelicto à forma corporeitatis, uel ab aliqua alia ipſam uirtualiter cõtinente. Et dico ſpecialiter ipſam ab aliqua alia uirtualiter continente: quia forma continens alias uirtualiter, poteſt in proprios aliorum effectus, ſeu modos, eo, quòd contineat perfectiones ipſarum, ut declaratum eſt ſupra in ſolutione primi argumenti: materia ergo in homine cum iſto modo derelicto ab anima rationali, dicitur corpus, quòd eſt altera pars compoſiti, & poteſt dici hoc, & meum, & totum quoddam; & per conſequens poteſt ſaluari forma uerborum Chriſti. Conuerſio ergo non fit in ſolam materiam; ſed in materiã cum tali modo: nec tamen fit in aliquod accidens: quia iſte modus, cum ſit effectus formalis formæ ſubſtantialis, non eſt accedens. HIS ergo ſuppoſitis, facile eſt reſpondere ad rationes formatas de corpore Chriſti: quia procedit prima ex in ſufficienti diuiſione: quia conuerſio panis nõ fit in deitatem, nec in animam rationalem, nec in accidens, nec in ſolam materiam; ſed in materiã cum tali modo: quia, ut ſic, poteſt dici, hoc, & corpus, & meum: & ex hoc non ſequitur in altari non eſſe uerum corpus Chriſti ſecundum formam à Chriſto nobis traditam, ut dicebant, ergo non concludit ratio.

SED contra hunc modũ dicendi de corpore Chriſti oritur triplex dubitatio. Prima eſt uel modus iſte erit idem cum materia, uel idem cum forma, uel aliquod tertium differens ab utroque: non idem cum materia: quia tunc conuerſio fieret in ſolam materiam: Item quia poteſt ſeparari ab ipſa per ſeparationem formę ſubſtantialis, cum ponatur effectus ipſius formę. Nec poteſt dici, quòd ſit forma: quia tunc conuerſio fieret in animam rationalem, quæ ſolum ponitur forma in Chriſto Nec poteſt ulterius dici quoddam tertium differens ab utroque: quia omne, quòd eſt in genere ſubſtãtiæ, uel eſt materia, uel forma, uel compoſitum, quod non poteſt dici de tali modo. SECVNDA dubitatio eſt. Si in materia derelinquatur talis modus à forma, forma non adueniet materiæ immediatè, ſed mediãte illo modo, quòd eſt expreſſè contrã Philoſophum. 2 Huius: & etiam contra rationem: quia forma ſe ipſa immediate perficit materiam. TERTIA dubitatio eſt; quia, ut communiter ponitur à doctoribus: qui conſecraſſet in illo triduo, conſecraſſet corpus ſine anima: conſtat autem, quòd materia in illo triduo nõ habebat modum aliquem derelictum ab anima: quia non habebat animam: ergo materia per aliquid aliud, & non per talem modum dicitur corpus. RESPONDEO per ordinem ad iſta. Ad primum dico, quòd ille modus non eſt ſimpliciter idem cum materia, nec cum forma; ſed eſt modus materiæ ſtantis ſub forma. Et cum dicitur, tunc eſſet materia, uel forma, uel compoſitum: Nego, nam ad hoc, quòd ſit per reductionem in genere ſubſtãtiæ, ſufficit, quòd ſit modus iſtorum: quia modus eſt in eodem genere cum eo, cuius eſt modus. Et ſi aliquando inuenitur à Philoſopho, uel ab aliquo doctore, quòd omnis ſubſtãtia, uel eſt materia, uel forma, uel compoſitũ, intelligendum eſt cum incluſione modorum, & non cũ excluſione. Ad ſecundum dicendum, quòd iſte modus non mediat inter materiam, & formam; immò ſequitur ipſam formam: forma namque informando materiam, dat ſibi eſſe, & illud eſſe dicitur effectus ſubſtantialis formæ, ſiue modus derelictus ab ea: unde ſi albedo dat alicui eſſe album; eſſe album non mediat inter ſubiectum, & albedinẽ ſic, quòd albedo mediante iſto modo informat ſubiectum; immo eſſe album conſequitur albedinem: quia effectus uniuerſaliter eſt poſterior ſua cauſa, & non econuerſo. ET ſi dicatur quòd tunc anima non diceretur actus corporis: quia ſecundum iſtam uiam non uidetur informare corpus, ſed ſolam materiam. DICENDVM, quòd anima, ſiue forma dicitur actus corporis; non quia materia ſine forma ſubſtantiali ſit uere corpus; ſed quia forma informando materiam, dat ſibi eſſe corporeum, quòd eſt modus derelictus ab ea, cum quo propriè dicitur corpus, quòd eſt altera pars compoſiti, & in genere ſubſtantiæ per reductionem. Ad tertiũ dicendum, quòd materia in illo triduo habuit eſſe corporeum, & ſi non ab anima rationali, ab aliqua tamẽ forma ſubſtantiali, quæ nouiter fuit introducta, ſiue iſta fuerit forma corporeitatis, ſiue aliqua alia ipſam uirtualiter continente: & ideo, qui conſecraſſet in illo triduo, conſecraſſet corpus ſine anima. Quomodo tamẽ hoc ſtat, quòd corpus Chriſti mortuum, & uiuum fuerit idem numero apparet in ſoluendo rationes principales.

*Totam hãc confutationem diluit Doct. Aegi. in q. de eſſe & eſſentia q. 8.*

*Com. 14.*

*Obiectio cõtra ſe.*

*Confutatio ſecundi modi dicendi.*

*Euaſio.*

*Confutatio tertii modi dicendi.*

*Soluit huiuſmodi rationem Aegid. in q. de eſſe et eſſentia q. 8.*

*Opinio propria.*

*Solutio Argument. de corpore Chriſti.*

*Inſtantiæ contra ſe.*

*ſex. c. 7.*

*Solutio ad inſtantias.*

*Obiectio contra ſe.*

## ARTICVLVS TERTIVS.

QVANTVM ad tertium articulũ, quamuis apud modernos nulli ſit dubium, animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani: fuit tamẽ maximum dubium apud antiquos. Plato enim, & Commentator crediderunt animam intellectiuam non eſſe formam ſubſtantialem corporis humani: dicebat enim. Plato, quòd anima rationalis non erat unita corpori ſecundum, eſſe ſic, quòd eſſet actus corporis, & perfectio, ſed erat coniuncta ſibi ſecundũ operationem, ſicut Nauta naui: erat enim motor ipſius corporis, ſicut Nauta nauis. Commentator autem dicebat ipſum intellectum eſſe quandã ſubſtãtiam, & ſeparatã nullo modo corpori unitam ſecundũ eſſe, ſed copulabatur mihi, & aliis per phantaſmata, quæ ſunt in me, & in aliis: & ratione huius unionis homo uere, & proprie poterat intelligere: immaginabatur enim Commentator, quòd una, & eadẽ ſpecies numero eſſet in phantaſia mea, & in intellectu ſeparato. Et ideo per unam, & eandem ſpeciem in ipſo, & in nobis exiſtentem, copulatur, & unitur nobis intellectus ſeparatus: & per hoc, dum intellectus ille intelligit, homo, cui copulatur, & unitur, propriè, & uerè dicitur intelligere. Et quia in diuerſis diuerſa ſunt phantaſmata, conuenit unum hominem intelligere aliquid alio modo ab intelligẽte illud alterum. Quicquid ergo diuerſitatis eſt in intellectione noſtra, totum eſt ex parte noſtra, & ex parte diuerſitatis ſpecierum exiſtentium in diuerſis phantaſiis noſtris: quicquid autem eſt ex parte intellectus eſt unum tantum: intellectus enim, quantum eſt de ſe, ſemper ſe habet uniformiter: & ideo corruptis hominibus, remanet ſolum unus intellectus numero. Patet ergo ex prędictis, quãtum ſpectet ad propoſitum noſtrum, animam intellectiuam non eſſe formam noſtram .ſ. ſubſtantialem corporis noſtri ſecundũ intentionem Platonis & Commentatoris. HAEC aũt poſitio, quamuis ſit falſa, & erronea, poteſt probari aliquibus rationibus. Arguitur ergo ex dictis, Commẽtatoris ſic. 1 Sicut ſe habet intellectus, qui eſt quædam pars animę intellectiuæ ad partem corporis humani; ita ſe habet tota anima intellectiua ad totum corpus humanum; ſed intellectus non eſt actus, nec perfectio alicuius partis corporis humani: ergo nec tota anima totius corporis humani. Maior ponitur à Philoſopho, quia ſicut ſe habet pars ad partem &c. Et per hoc probat animam ſenſitiuam eſſe formam corporis. Minor patet per omnes. 2 Ad idem forma ſubſtantialis corporis naturalis poteſt induci uirtute agentis naturalis

*Sine anima comiſ.*

*Probatio opin. Com.*

*2. de Anima tex. c. 9.*

turalis: aliter natura deficeret in neceſſarijs, ſed anima intellectiua non poteſt induci uirtute alicuius agentis naturalis, cum non educatur de potentia materiæ, ſed ſit in nobis ab extrà, & de nihilo creata, creare autẽ repugnat omni agenti naturali: ergo anima intellectiua non eſt forma corporis humani, cum corpus humanum ſit naturale, & phyſicum. 3 Si anima intellectiua, &c. Sequeretur, quod nunquàm poſſet à corpore ſeparari, conſequens eſt falſum: conſequentia probatur ſic. Quicquid competit alicui ſecundum ſe, ſemper cõpetit ei, ſed formæ ſecundum ſe ſemper competit uniri materiæ: ergo ſemper quamdiu eſt. 4 Ad idem, illa forma, qua ablata, remanet idem corpus numero, quod prius, non eſt forma informans, & dans eſſe: ſed dempta anima intellectiua ab homine, remanet idem corpus numero: ergò. Maior patet per Philoſophũ, qui dicit, ꝙ ſi dolabra eẽt corpꝰ naturale, ablata forma dolabræ à dolabra nõ remaneret dolabra, niſi equiuocè. Minor ꝓbatur: quia eadẽ accidẽtia remanẽt in corpore uiuo, & mortuo, ſicut idem color, eædẽ cicatrices, eadẽ ordinatio membrorum, ut patet ad ſenſum: ergo corpus mortuum, & uiuum eſt idem numero. Conſequentia patet: quia impoſſibile eſt unum, & idem accidens numero eſſe in diſtinctis ſubiectis naturaliter: non enim fertur de ſubiecto in aliud.

*Opinio catholica, & uera.* HAEC poſitio non ſolum eſt contra fidem, ſed contra rationem phyſicam: idcirco probo animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialem corporis humani. 1 Sic, principium cuiuslibet operationis naturalis oportet eſſe formam aliquam operantis; ſed intelligere, & uelle ſunt operationes hominis naturales: ergo oportet ponere in homine aliquam formam, quæ ſit earum principium, ſed nulla forma eſſe poteſt principium iſtarum operationum, niſi anima intellectiua: ergo, &c. Minor nota eſt de ſe. Maior probatur: quoniam ſecundum Commentatorem *2. de Anima Cõ. 24.* in litera; formæ eſt agere, alterius uerò potentiæ pati.

*2. de Generatione tex. c. 53.* ITEM, unumquodque agit per illud, per quod eſt in actu; ſed omne ens eſt in actu per formã: ergo omnis operatio à forma: huic enim rationi innititur Ariſtoteles, qui dicit eam demonſtratiuam. Arguit enim ſic. Illud, quo primo, & principaliter uiuimus, ſumus, mouemur, & intelligimus, eſt forma ſubſtantialis, ſed anima eſt huiuſmodi: ergo. Et aliam rationem concludit uirtute iſtius propoſitionis. ſ. quod principium cuiuslibet operationis naturalis oportet eſſe aliquam formam operantis, & tantum iſtam uocat rationem, ſeu diſtinctionem, medium, ſiue principium demonſtrationis ad concludendum propriam diffinitionem animæ. ſ. Anima eſt actus corporis phyſici, &c. Igitur eſt forma ſubſtantialis corporis humani. 2 Illa forma eſt forma ſubſtantialis corporis humani, qua remota non remanet corpus humanum, niſi æquiuocè. ſ. idem numero, ſed remota anima intellectiua, non remanet corpus *Elicit. ex tex. c. 21. Sed formaliter Com. de act. in 6. prin.* humanum, niſi æquiuocè, ergo. Maior patet per exemplum de dolabra ut dictum eſt. Minor patet per Philoſophũ. 5. Metaph. ubi dicit, quod unumquodque ens habet ſuam propriam operationem, in quam, cum poteſt, dicitur idem: & cum non põt, nõ dicitur idem, niſi æquiuoce: ſicut oculus, cum non poteſt uidere, non dicitur oculus, niſi æquiuocè, cum autem poteſt uidere, dicitur oculus; ſed remota anima intellectiua ab homine, non poteſt homo amplius in operationẽ ſuam: ergo non eſt idem, quod prius, niſi æquiuoce; & ideo dicitur homo mortuus, non eſt homo, niſi æquiuocè, apparet ergo iſta *Elicit. ex tex. c. 43.* minor, & tota ratio. 3 Ad idem. Secundum Philoſophum 7. Metaph. differentia conſtitutiua ſpeciei ſumitur à forma ſubſtantiali quia enim differentia eſt de eſſentia conſtituti, non poteſt ſumi niſi à materia, uel à forma ſubſtantiali: iſta enim ſunt intrinſeca cuilibet rei compoſitæ ex materia, & forma; omnia autem alia ſunt accidentia: ſed differentia non poteſt ſumi à materia: relinquitur ergo neceſſariò, quod à forma ſubſtantiali. Hoc igitur ſuppoſito, arguitur ſic. Differentia conſtitutiua hominis in eſſe ſpecifico ſumitur à forma ſubſtantiali ipſius; ſed differentia hominis conſtitutiua in eſſe ſpecifico, ſumitur ab anima rationali: ergo anima rationalis eſt forma ſubſtantialis hominis. Maior huiuſmodi rationis patet ex ſuppoſito. Minor eſt de ſe nota: nam, cum rationale ſit differentia conſtitutiua hominis in eſſe ſpecifico, non poteſt, ſumi niſi ab anima rationali, ergo. 4 Si anima intellectiua &c. Sequeretur, quod homo nullo modo poſſet intelligere, conſequens eſt falſum per omnes: ergo. Conſequentia probatur ſic. Operatio, quæ non tranſit in materiam exteriorem, non poteſt communicari à ſe diſtincto ſuppoſito. Intelligere eſt huiuſmodi ſecundum Philoſophum 9. Metaphyſicæ: quia eſt actus immanens, & non tranſiens *tex. c. 16.* in exteriorem materiam: ergo intelligere non poteſt communicari alicui diſtincto ſuppoſito ab intellectu, ſiue ab anima intellectiua; ſi ergo anima intellectiua non eſt forma hominis; ſed intelligentia ſeparata: intelligere nullo modo poterit communicari alicui diſtincto ſuppoſito ab intellectu. Minor huius rationis nota eſt ex terminis: nam ex ex oppoſito prædicati deſtruitur ſubiectum: illud enim, quod communicatur à ſe diſtincto ſuppoſito, de neceſsitate tranſit in exteriorem materiam: quare, &c. Apparet igitur ex dictis, animam intellectiuam eſſe formam ſubſtantialẽ hominis.

NVNC reſtat reſpondere ad rationes in oppoſitũ. Cuius gratia aduertendum eſt, quod formæ non dicuntur materiales ratione materiæ ex qua, ſed ſolum ratione materiæ in qua: nulla enim forma habet materiam ex qua: uel materiam partem ſui, quod ſic probatur. Si forma componetur ex materia, & forma, peto, uel forma illa, ex qua componitur iſta forma, eſt adhuc compoſita ex materia, & forma, uel non? Si dicatur, quod non; pari ratione ſtandum, erit in prima. Si autem dicatur, quod ſic: adhuc petam ulterius, ex quo componatur ſecunda forma, & ſic in infinitum: ergo eſt ſtandũ in prima, ſcilicet quod nulla forma componitur ex materia, & forma, nec habet materiam partem ſui: nulla igitur forma dicitur materialis ratione materiæ ex qua, ſed bene ratione materiæ in qua: nam eo ipſo, quod aliquę formæ ſunt perfectiones materiæ, & informant materiam, aliæ uero non; dicuntur aliquæ materiales, aliquę uerò immateriales. Item, formæ materiales, quæ dicuntur perfectiones materię, diſtinguuntur: quia aliquæ educuntur de potentia materiæ ſecundum eſſentiam, & diſpoſitionẽ; & iſtæ dicuntur omnino materiales. Aliquę uero ſolum educuntur de potentia materiæ, ſecundum diſpoſitionem, & non ſecundum eſſentiam, & huiuſmodi ſunt animæ intellectiuæ ſolum, & tales dicuntur habere mediũ inter formas: ſunt enim partim immateriales: quia non educuntur de potentia materiæ ſm eſſentiã; ſed educuntur ab extra per eſſentiam: quia ſunt eductæ per creationem. Et ſicut animæ intellectiuę tenent medium inter formas omnino materiales, & omnino immateriales; ita ſuo modo uirtutes animæ intellectiuæ tenent medium inter uirtutes formarum omnino materialiũ, & formarum omnino immaterialium: nam uirtutes formarum ſimpliciter materialium omnes ſunt materiales, & organicæ, & requirunt propter neceſsitatem organum in corpore: uirtutes autem totaliter formarum ſeparatarum tenent alterum extremum: nulla enim talis uirtus eſt materialis, nec organica, & per conſequens non requirunt organum in corpore: uirtutes uero quæ ſequuntur animam intellectiuam, tenent medium modum: quoniam aliquæ ſunt materiales, & requirunt organum in corpore: aliquæ uero ſunt immateriales, & non requirunt organum in corpore. Et ratio eſt, quoniã omnes formæ eſſentiales, quæ ſecundum eſſentiam educuntur de potentia materiæ, non poſſunt habere aliquã uirtutem, quæ non ſit educta de potentia materiæ: & ideo nullius uirtutis poterit talis forma eſſe ſubiectum proprium, ſed neceſſariò ſubiectum talis uirtutis eſt corpus: anima autem noſtra intellectiua, cum ſecundũ eſſentiam non educatur de potentia materiæ, & omnis eſſentia habeat aliquam uirtutem ſibi proportiona-





tam, quæ quidem non eſt educta de potentia materiæ, & illius uirtutis non erit ſubiectum aliquod organum corporale; ſed ipſa forma, quæ non eſt de potentia materiæ educta. *Solutio rationum pro Auerroe, et Platone.* HIS uiſis, dico ad rationem in oppoſitum. Ad primum, cum dicitur, ſicut ſe habet intellectus ad partem corporis, ita tota anima intellectiua ad totum corpus. Dico, quod non eſt uerum: ut ratio huius eſt, quoniam anima intellectiua informat totũ corpus: intellectus autem non requirit organum corporale, ut declaratum eſt. Et quando probatur illa propoſitio, uel probatio ſecundum Philoſophum. 2. de anima, ſicut ſe habet pars ad partem &c. Dico, quod Philoſophus bene arguit in materia ſibi data, ſiue in materia, in qua arguit: arguit enim ſic. Sicut ſe habet pars ſenſitiua ad partem corporis, ita tota anima ſenſitiua ad totũ corpus; & hoc idem uerum eſt: nam ſicut anima ſenſitiua eſt actus, & perfectio corporis, ſic quælibet eius pars eſt actus, ſiue perfectio alicuius partis corporis; cũ quælibet uirtus eius ſit organica. Ad ſecundum cum dicitur, quod forma ſubſtantialis corporis naturalis poteſt educi uirtute agentis naturalis. Dico, quod propoſitio illa habet ueritatem de formis, quæ educuntur de potentia materię ſecundum eſſentiam, & etiam quantum ad diſpoſitionem: non autem habet ueritatem de forma, quæ ſolum educitur de potentia materię, quantum ad diſpoſitionem, & non ſecundum eſſentiam; ſed ſufficit ad hoc, quòd talis ſit forma ſubſtantialis corporis, quòd agens naturale ſufficienter diſponat corpus ad introductionem huius formæ, cum ipſa ſolum educatur de potentia materiæ ſecundum diſpoſitionem. Et quia anima intellectiua educitur de potentia materia ſecundum diſpoſitionem, ut dictum eſt: ideo, &c. Ad tertiũ dico, quod quamuis alijs formis repugnet per naturam à materia ſua ſeparari, quæ ſunt eductæ de potentia materiæ ſecundum eſſentiam, & diſpoſitionem, hoc tamen non repugnat animæ humanæ, quæ ſolum educitur de potentia materiæ ſecũdum diſpoſitionem. Ad probationem, cũ dicitur, quod illud, quod competit alicui ſecũdum ſe, &c. Dico, quod competere alicui aliquid ſecundum ſe, ſiue per ſe, poteſt intelligi dupliciter, quãtũ ad præſens ſpectat: uel illud competit ſibi in primo modo per ſe, uel in ſecundo. Si primo modo uera eſt propoſitio: quia quæ ſic competunt, ſunt de intrinſeca ratione rei, & per conſequens nunquàm poſſunt ab eo ſeparari. Si uero competant in ſecundo modo; dico, quod talia poſſunt ſeparari actu à ſe, quamuis non aptitudine. Riſibile enim eſſe, competit homini in ſecundo modo dicendi per ſe; ſeparatur tamen ab eo actu, ſed non aptitudine: ſemper eſt enim aptus natus ad ridendum. Et tunc ad Minorem, cum dicitur, quod formæ competit per ſe uniri, dico, quod non competit ſibi in primo modo: quia hoc non eſt de intrinſeca ratione ipſius; ſed cõpetit ſibi in ſecundo modo; & ideo ſufficit ſibi, quod ſemper ſit apta nata ſibi uniri in ſecundo modo, ſed non requiritur, quod ſemper ſit ei unita actualiter; & ſic eſt in propoſito; quia ſemper apta nata eſt, & appetit reuniri corpori. Ad quartum, cum dicitur in Minori quod ablata anima intellectiua, remanet idem corpus, quod prius. Dico, quod non eſt uerum: ideo, ut patuit, non remanet idem corpus, niſi æquiuocè. Ad probationem, cum dicitur, quod eadem accidentia remanent in corpore uiuo, & mortuo. Dico, quod non eſt uerum, ſed remanent ſibi ſimilia. Et cum dicitur, quod hoc ſenſus iudicat, Dico, quod non ſpectat ad ſenſum iudicare de identitate, & quidditate accidentium; immò hoc ſolum pertinet ad intellectum: ſed ad ſenſum pertinet iudicare, uel ſufficit ſenſui ſolum habere, quod iſta accidentia ſunt ſimilia; per intellectum autem poſſumus ſcire, & iudicare, illa non eſſe eadem, ut patet intelligenti.

AD RATIONES principales. Ad primam, cum dicitur. Si anima intellectiua eſſet forma, &c. Sequereretur materiam exiſtere ſine forma. Nego conſequentiam. Ad probationem dico, quod ſeparata anima intellectiua à corpore Chriſti, fuit alia forma nouiter introducta, à qua habuit eſſe corporeum de genere ſubſtantiæ. Et cum dicitur ulterius, quod tunc corpus Chriſti uiuum, & mortuum non eſſet idem numero. Dico, quod corpus Chriſti uiuum, & mortuum fuit unum numero numeroſitate ſuppoſiti diuini: fuit .n. in Chriſto natura humana aſſumpta ad unitatem ſuppoſiti diuini, quod uerè fuit unum, & idem in Chriſto mortuo, & uiuo: quamuis ergo corpus Chriſti non fuerit idem numero numeroſitate, quę ſequitur unitatem formæ, fuit tamen idem numero numeroſitate, quæ ſequitur unitatem diuini ſuppoſiti, quòd non poteſt dici de aliquo alio homine, & nullũ aliud corpus à corpore Chriſti poteſt dici idem numero, mortuo, & uiuo, ut patet ex prædictis. Et iſtam unitatem, ſiue identitatem, & non aliam tenet fides in corpore Chriſti uiuo, & mortuo, quod non tenet in aliquo alio corpore. Ad ſecundum, cum dicitur in minori, quod anima intellectiua aduenit corpori habenti formam, concedo. Et cum dicitur ulterius, quod illa forma nõ corrumpitur; nego. Immò adueniente anima rationali, corrumpitur ſenſitiua: & & adueniente ſenſitiua corrumpitur uegetatiua. Ad probationem, cum dicitur, quod omne, quod corrumpitur à ſuo contrario corrumpitur. Dico, quod uerum eſt de his, quæ corrumpũtur per ſe; forma autem præcedẽs aduentum alterius formę, ſolum corrumpitur per accidens: nam, quia quælibet forma acquirit, & requirit diuerſas diſpoſitiones in materia: nam actus actiuorũ &c. *2. de Anima tex. Cõ. 24.* Hinc eſt, quod corruptis diſpoſitionib. neceſſariò requiſitis ad formam præcedentem, in aduentu formæ ſequentis: quia requirit alias diſpoſitiones, in quibus non poſſunt præcendentes ſtare, corrumpitur per accidens ipſa præcedens forma, & non per ſe, ut patuit.

## QVAESTIO II.

### An anima intellectiua extendatur extenſione corporis?

QVAERITVR. Vtrum anima intellectiua coniuncta corpori extendatur extenſione corporis? Et uidetur primo, quod ſic. Receptiuum immediatum quãtitatis, habet eſſe neceſſariò extenſum per quantitatẽ: anima intellectiua eſt huiuſmodi, ergo. Maior patet, nam non eſt intelligibile, quod forma inhęrens perficiat ſuum ſuſceptiuum, & non det ſibi proprium effectum formalem: ſed omne extenſum eſt effectus proprius formalis quantitatis: ergo, ſi anima humana eſt immediatum receptiuum quantitatis, oportet, quòd ipſa ſit extenſa per quãtitatem. Minor probatur ſic. Quandocunque aliqua tria ſunt ſic ordinata, quòd tertium non recipitur in primo niſi mediante ſecundo, immediatum receptiuum tertii dicitur eſſe ſecundum: ſicut color non recipitur in corpore, niſi mediante ſuperficie, immediatum coloris receptiuum eſt ſuperficies: ſed nulla forma accidentalis recipitur in materia, niſi mediante forma ſubſtantiali: tum, quia eſſe ſimpliciter præcedit eſſe ſecundum quid: tum etiam, quia materia cum forma eſt cauſa omnium accidentium exiſtentium in ea 1. phyſicorum; & per conſequens *tex. c. 80.* materia mediante forma, eſt cauſa ſuſceptiua talium accidentium, cum forma ſubſtantialis ſit immediatum receptiuum quantitatis, & aliorum accidentiũ.

2 Illud, quod competit animæ uegetatiuę, & ſenſitiuæ, non poterit repugnare intellectiuæ, ſed extendi extenſione corpis competit animæ uegetatiuæ, & ſenſitiuæ: ergo. Maior patet, quia uegetatiuum continetur in ſenſitiuo, & uegetatiuum, & ſenſitiuum in intellectiuo 2. de anima: *tex. c. 31.* & per conſequens, quod competit uni, non rupugnat alteri. Minor etiam patet eodem 2. de anima, ubi dicit Ariſtoteles, quod plantæ, & quædam animalia deciſa uiuunt. *tex. c. 20.* IN OPPOSITVM arguitur

tūr illa forma, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, non extenditur extenſione corporis; anima intellectiua eſt] huiuſmodi, ergo. Minorem ponit beatus Auguſtinus 6. de trinitate dicens, quod in uno corpore toto eſt tota anima, & tota in qualibet parte eius. RESPONDEO in iſta quæſtione tria ſunt uidenda. Primum eſt, quæ eſt ratio ſuſceptiua, ſeu receptiua quantitatis. Et hoc tangit primum argumentum. Secundum eſt. Vtrum aliquæ formæ ſubſtantiales extendantur extenſione corporis. Et hoc tangit ſecundum argumentum. Tertium eſt. Vtrum anima intellectiua ſit extenſa? Et hoc quærit tertium argumentum in oppoſitum.

*Cap. 6. tom. 3.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum, eſt aduertendum, quod ſicut ex parte agentis eſt conſiderare illud, quod agit, & rationem agendi, ſic ex parte patientis, & recipientis eſt conſiderare illud, quod recipit, & rationē recipiendi & hoc innuit Commentator ſuper 2. de anima dicens, quòd formę eſt agere, alterius uero potentiæ eſt pati. Et certum eſt, quod loquitur de principio agendi, & patiendi: ſed articulus iſte poſſet quærere, quid ſit receptiuum quantitatis, & quæ ſit eius ratio recipiendi, ſeu receptiua quantitatis: ſecundum tamen eius intellectum ſecundum magis uertitur in dubium. Et ideo, quantum ad iſtum ſecundum intellectum deducetur articulus iſte. Ad quod dicunt aliqui doctores, quod ratio recipiendi quantitatem in quocunque compoſito non eſt ſola materia, nec forma, ſed totum compoſitum ex materia, & forma ratione utriuſque partis. AD cuius intellectum diſtinctionem ponunt de ratione receptiua, dicentes, quod quædam eſt ratio receptiua totalis, quædam uero partialis. Ratio receptiua totalis dicitur illa, quę in ſuo gradu non recepit aliam cauſam, uerbi gratia, in gradu immediatè recipiendi colorem quantitas eſt totalis cauſa: quia nō requirit aliquid aliud, quod ſit cum ipſa ratio recipiendi colorem, quamuis ſupponat ſubiectum. Ratio uero partialis dicitur illa, quæ in ſuo gradu exigit aliud, ut concauſam; ſicut anima eſt ratio partialis, uel cauſa recipiendi paſsiones aliquas: quia exigit materiā, ut cōcauſam materialē partis hominis, q̄ ſimiliter eſt ratio partialis, uel cauſa recipiendi eas: quia totum compoſitū ratione utriuſque partis eſt immediatum receptiuum iſtarum paſsionum. Tunc ergo ad propoſitum applicando dicunt, quod materia non eſt totalis cauſa recipiendi quantitatem; nec ſola forma; & per conſequens oportet, quod huiuſmodi cauſa totalis ſit ipſum compoſitū.

*Elicit. ex Com. 24. Sed forma liter 2. de Gen. tex. c. 53.*

PONVNT ergo iſti doctores duas concluſiones, ex quibus ſequitur tertium. Primum eſt, quod materia non eſt totalis cauſa, ſiue ratio recipiendi quantitatem. Secundum eſt, quod ſola forma ſubſtantialis non eſt totalis cauſa receptiua quantitatis. PRIMA concluſio probatur ſic. Diuerſitas actuum genere remoto differentium, requirit diuerſitatem propriorum ſuſceptiuorum, ſed forma ſubſtantialis, & accidentalis ſunt actus genere remoto differentes: ergo relinquitur earum eſſe diuerſa ſuſceptiua; ſed proprium, & immediatum receptiuum formæ ſubſtantialis eſt ſola materia: ergo materia non eſt proprium, & immediatum receptiuum quantitatis. ETSI dicatur ad iſtam rationem, quod receptiuum iſtorum actuum poteſt eſſe aliud, & aliud; quia totum compoſitum recipit quantitatem, & ſola materia formam ſubſtantialem recipit, ſed ratio recipiendi utrunque poteſt eſſe eadem, ſcilicet materia: nec ratio probat oppoſitum. 1 Arguo contra hoc: quia ſicut ex parte agentis diuerſitas actuum procedētium ab agente, magis arguit diuerſitatem principiorum, quæ ſunt rationes agendi, quàm diuerſitatem ipſorum agentium, quod patet: quia idem agens per diuerſa principia producit diuerſos effectus: & tamen, ſi in diuerſis agentibus eſſet eadem ratio agendi, ut in patre & filio, eadem uirtus generatiua, idē eſſet actus, non obſtante diuerſitate agentium: ita à ſimili ex parte recipientis diuerſitas receptorum magis debet arguere diuerſitatem rationum recipiendi, quam diuerſitatem receptiuorum: & ideo ſi ſola materia eſt ratio recipiendi formam ſubſtantialem; impoſsibile eſt, quod ſit ſola ratio recipiendi quantitatem. 2 Sicut ſe habet ens in potentia ſimpliciter ad recipiendum formam ſubſtantialem, quæ eſt actus ſimpliciter: ita ſe habet ens in potentia ſecundum quid, quod per illud, per quod eſt in potentia ſecundum quid, habet rationem recipiendi formam accidentalem, quæ eſt actus ſecundū quid: ſed illud, per quod eſt ens in potentia ſecundū quid, non eſt ſola materia, quæ eſt potentia pura ſimpliciter, ſed materia ſimul cum forma ſubſtantiali: ergo materia ſola non eſt receptiua quantitatis, nec alicuius alterius formæ accidentalis. 3 Ad idem. Illud, cuius actualis entitas dependet ex actuali entitate receptiui ſubiectiuè, uel effectiuè, & non econuerſo, requirit per ſe in ſubiecto receptiuo, ut recipit perfectiorem entitatem actualem, quàm ſit ſua entitas actualis: ſed quantitas, & omne accidens ſunt huiuſmodi: ergo: quia dicitur 7. Metaphyſicæ accidentia non ſunt entia, &c. Ergo quantitas requirit in ſuo receptiuo perfectiorem entitatem actualē, quàm ſit ſua entitas actualis, ſed ſola materia non poteſt habere perfectiorem entitatem actualem, cum ſit pura potentia. 4 Sicut ſe habet ens per accidens ad ens ſecundum ſe; ita unio per accidens ad unionem per ſe, ſed omne ens per accidens præſupponit ens per ſe: ergo omnis unio per accidens præſupponit unionem per ſe: cum ergo unio quantitatis cum materia ſit unio per accidens, & unio materiæ cum forma ſit unio per ſe, oportet, quod quantitas præſupponat formam ſubſtantialem in materia, & per conſequens ſola materia non ſit ratio recipiendi quantitatem. SECVNDA concluſio non uidetur eis ita difficilis, probatur tamen una ratione tali. Quandocunque aliquid eſt totalis cauſa recipiendi aliquem actum in ſubiecto, poteſt ipſum per ſe recipere, ſi ſeparatur à ſubiecto, & exiſtat per ſe, uerbi gratia, quia quantitas eſt totalis cauſa recipiendi colorē: idcirco ſi quantitas ſeparatur à ſubiecto, eſt receptiua coloris; immo ſeparatur cum colore, ut patet in Sacramento altaris: ſi ergo forma ſubſtantialis eſſet totalis cauſa &c. Quando anima humana ſeparatur à corpore, remaneret cū quantitate, & colore, & aliis accidentibus, quod nullus diceret: ergo anima non eſt totalis cauſa receptiua quantitatis, & per cōſequens, nec aliqua forma ſubſtantialis: ſequitur ergo, quod totum compoſitum ſit illud.

*Obiectio cō tra rationē.*

*tex. c. 2.*

HAEC poſitio non uidetur uera, immò oſtendo, quod compoſitum ex materia, & forma non eſt totalis ratio receptiua quantitatis, quod probo quinque mediis: Primo ſic. Actus eiuſdem rationis requirit neceſſariò in ſuo receptiuo rationem receptiuam eiuſdē rationis, ſed eſſentia hominis compoſita ex materia, & forma, & eſſentia cœli compoſita ex materia, & forma, non ſunt eiuſdem rationis: ergo ratio totalis receptiua quantitatis, quę eſt eiuſdem rationis in homine, & cęlo, non poteſt eſſe eſſentia eorum compoſita ex materia, & forma. Minor patet de ſe, corporale enim, & incorporale non ſunt eiuſdem rationis. Maior patet, nā licet illud, quod recipit actus eiuſdē rationis, poſsit eſſe aliud, & aliud, ut patet de homine, & equo recipientibus albedinem, ratio tamen recipiendi eiuſdem rationis eſt in utroque. ſ. ſuperficies. Quod probatur, quia impoſsibile eſt diuerſa, ut diuerſa ſunt, eſſe rationem recipiēdi aliqua eiuſdem rationis, ut ſunt eiuſdem rationis. 2 Arguo ſic. Sicut ſe habet diuerſitas actuum ad diuerſitatem rationum receptiuarum, ita ſe habet unitas ad unitatem rationis receptiui. Hoc patet, nam ſi unitas non arguit unitatem: nec diuerſitas arguet diuerſitatem: ſed diuerſitas actuum per eos arguit diuerſitatem rationum receptiuarum: ergo unitas actuum arguit unitatem rationum receptiuarum: ſed quātitas eſt

*Opinio communis & præcipuè Aegidii in opuſc. de grad. for. par. 2. cap. 12. & 13.*



una, ſeu unius rationis in omnibus habentibus eam: ergo requirit rationem receptiuam eiuſdem rationis in omnibus: ſubſtantia autem compoſita non eſt eiuſdem rationis in omnibus habentibus quantitatem, ut dictū eſt ergo. 3. Ad idem. Ratio totalis receptiua quantitatis, habet neceſſariò eſſe extenſum per quantitatem; ſed tota eſſentia hominis compoſita ex materia, & forma non habet eſſe extenſum per quantitatem: ergo tota ratio receptiua non eſt totum compoſitum. Maior huius patet per eos: eo .n. quòd quantitas eſt totalis ratio recipiendi colorem, habet eſſe coloratum: pari ergo ratione ratio receptiua totalis quantitatis habet eſſe extenſum. Minor patet, ſi tota eſſentia hominis cōpoſita ex materia, & forma eſſet extenſa; anima intellectiua eſſet extenſa, cum ſit forma ſubſtantialis corporis, quòd eſt falſum. 4. Si ſubſtātia compoſita ex materia, & forma eſſet totalis ratio &c. ſequeret̄, quòd unum, & idem compoſitum ex materia, & forma eſſet principium quòd, & quò reſpectu unius, & eiuſdem, quod falſum eſt. Falſitas cōſequentis patet per Beatum Auguſtinum. 7. de Trinitate, ubi probat, quòd relatio non refertur: quia eſſet proceſſus in infinitum in relationibus. Illud autem argumentum nihil concluderet: ſi unum, & idē eſſet, uel poſſet eſſe principiū quòd, & quò reſpectu eiuſdem. Conſequentia nota eſt de ſe: nam ipſi nullam differentiam ponunt aſsignari inter principium quòd, & quò: cum totum compoſitum ſit ratio receptiua quantitatis, & recipiens ipſam: ergo &c.

*Cap. 7. tom. 3.*

5 Sic, ex dictis tenentium primam uiam. Diuerſitas ex genere differentium remoto, requirit diuerſitatem ipſorum receptorum propriorum; ſed riſibilitas, & quantitas ſunt genere remoto differentes: ergo requirunt aliqua diuerſa, & propria receptiua: ſed proprium, & immediatum receptiuum riſibilitatis, eſt natura hominis tota compoſita ex materia, & forma: ergo tota natura hominis compoſita ex materia, & forma non erit principium immediatum receptiuum quantitatis. Tota ratio eorum eſt uſque ad illud, quod dicitur, quòd proprium, & immediatum riſibilitatis receptiuum ſit tota natura hominis compoſita ex materia & forma. Hoc autem probo per rationem, per quam ipſi probant, quòd ſola forma non eſt receptiua quātitatis, nec poteſt eſſe.

Arguitur ſic. Quandocunque eſt ratio totalis recipiendi aliquem actum in ſubiecto, poteſt ipſum per ſe recipere, ſi ſeparatur à ſubiecto, & per ſe exiſtat; ſed anima intellectiua ſeparata à corpore non dat, nec recipit riſibilitatem: nō enim eſt apta nata ridere, uel flere, niſi metaphoricè: ergo anima intellectiua non eſt totalis ratio receptiua riſibilitatis, & multo minus materia ſola per eandem rationem: ſeparata enim anima à materia non poteſt ridere, nec riſibilitatem recipit: relinquitur ergo, quod totalis ratio receptiua ipſius ſit tota natura hominis compoſita ex materia, & forma. NVNC RESPONDEO ad rationes alterius opinionis.

Ad primam, cum dicitur, diuerſitas actuum genere remoto differentium &c. Dico, quod falſum eſt; ſi tales actus cauſentur à diuerſis agentibus, uel ab eodem ſecū dum diuerſas rationes agendi. CVIVS gratia aduertendum eſt, quod ſicut ex parte agentis idem agens per eandem rationem agendi poteſt cauſare diuerſos effectus in diuerſis ſubiectis, ut Sol per eundem calorem condempſat lutum, & liquefacit cerā; immò, quòd plus eſt, in eodem paſſo poteſt cauſare diuerſos effectus ſecundum diuerſas rationes recipiendi: Sol enim per eādem lucem illuminat aerem, & calefacit eum; ſic tamē, quòd in aere eſt alia ratio receptiua lucis, alia caloris.

Ita à ſimili ſe habet ex parte paſsi: unum enim, & idem per eandem rationem patiendi poteſt recipere diuerſos effectus, uel actus differētes genere ſolum, quòd cauſentur à diuerſis agentibus, uel ab eodem per diuerſas rationes agendi: non enim maior repugnantia eſt, unum paſſum per unam rationem recipiendi recipere diuerſos effectus, uel actus; quam unum, & idem agens per eandem rationem, agendi cauſare diuerſos effectus, uel actus. Diuerſitas ergo actuum receptorum non arguit neceſſariò diuerſitatem in ratione receptiua, niſi tales actus cauſarentur ab eodem agente per eandem rationem agendi, uel à diuerſis agentibus per eandem rationem: ſi uerò tales actus cauſarētur ab eodem, uel à diuerſis agentibus per diuerſas rationes agendi, non oportet, quod ſit diuerſitas in ratione receptiua, ut dictum eſt. Sic eſt in propoſito, nam agens naturale per aliam rationem formalem introducit formam ſubſtantialem, & per aliā quātitatē. Ad ſm cū dicitur, ſicut ſe habet ens in potentia ſimpliciter ad recipiendum actum ſubſtantialem. Dico, quòd ſi ly ſicut ſit nota proportionis, propoſitio uera eſt: nam ſicut ens in potentia ſimpliciter poteſt recipere actum ſimpliciter; ita ens in potentia ſecundum quid poteſt recipere actum ſecundū quid. Si autem ly ſicut ſit nota ſimilitudinis naturalis, ſic propoſitio eſt falſa: nam ſecundum materiā illud ens, quod eſt in potentia ſimpliciter eſt, eſt & ſecundum quid; ſed non econuerſò: unde cum materia prima excludit omne accidens, ita eſt in potentia ſimpliciter, quod eſt in potentia ſecundum quid: nam illud, quòd excludit actū ſecundum quid, poteſt ipſum recipere ſecundū quid, & eſſe in potentia ſecundum quid: materia autem ſic accepta eſt hmōdi ergo, &c. Ideo non eſt totalis ſimilitudo inter ens in potentia ſimpliciter, & ens in potentia ſecūdū quid: quia quòd de ſe eſt in potentia ſimpliciter poteſt recipere actum ſecundū quid. Non autem quod eſt in potentia ſecundum quid, poteſt recipere actum ſimpliciter, ſiue eſſe in potentia ſimpliciter; homo enim eſt in potentia ſecundū quid, non tamen in potentia ſimpliciter; & ideo non recipit actum ſimpliciter: nec apparet aliquod inconueniens, quod potentia maior, cuiuſmodi eſt potentia ſimpliciter, recipiat actum minorem, cuiuſmodi eſt actus ſecundum quid: præcipuè, cum materia ſit in potentia utrunque reſpectu illorum actuum genere differentium. Et cum dicitur ulterius, quòd illud, per quod aliquid eſt in potentia ſecundum quid, non eſt ſola materia: quia de ſe eſt potentia pura. Dico, quod ſola materia non ſolum eſt in potentia ſecundum quid, ſed ſimul cum hoc eſt in potentia ſimpliciter: & ideo poteſt recipere tàm actum ſecūdum quid, quàm actum ſimpliciter, ut dictum eſt: nam quamuis potentia ſecundum quid, quæ eſt minor de ſe, non includat in ſe potentiam ſimpliciter, quæ eſt maior; quia minus non includit maius: potentia tamen ſimpliciter includit potentiā ſecundum quid: quia maius includit minus. Ad tertiū, cum dicitur, illud, cuius actualis entitas, &c. Dico, quod actus non dependet ſubiectiuè à ratione recipiendi; ſed à ſubiecto receptiuo, ſiue recipiēte: ſicut effectus alicuius agentis non dependet effectiuè à ratione agendi; ſed ab agente: & ideo licet materia ſit ratio receptiua quantitatis: compoſitum tamen eſt illud, quod recipit quantitatem. Et ideo ſufficit, quòd totum compoſitum dicat perfectiorem entitatem actualē, quàm ipſa quantitas. Et hoc bene concedo; ipſi tamen deficiunt, quia nihil diſtinguūt inter principium quòd, & principium quò. Ad quartum, cum dicitur, quòd unio per accidens præſupponit unionem per ſe. Dico, quòd ratio non probat, quòd ratio receptiua quantitatis non ſit materia: ſed ſtante unione materiæ, & formæ ſubſtantialis, poteſt ſuperuenire quantitas ipſi compoſito per ipſam materiam, tanquàm per rationem receptiuam: ſicut uidemus, quod ſtāte unione materiæ cum forma, poteſt ipſum compoſitum agere per formam, tanquàm per rationem agendi: arguit tamen iſta ratio, ſi aliquid concludit contrà poſitionem Commentatoris. ſ. quod quantitas non præcedit formam ſubſtantialem in materia. De hoc autem nihil, quoad præſens.

Ad quintum, quod probat, quòd ſola forma ſubſtantialis non ſit totalis cauſa, &c. Non oportet me reſpondere: quia hoc bene concedo, & credo hoc totaliter eſſe uerum, ut ſtatim apparebit. ISTE Tamen modus dicendi non uidetur mihi ſtare propter prædicta. EST AVTEM alius modus dicendi aliorum doctorum, quòd

*Secundus quorundam dicendi modus.*

quòd ſola forma eſt ratio recipiendi quantitatem:& tamen anima intellectiua non extenditur : quia ei repugnat extendi; unde non oportet ſecundum eos, quod ſubiectum quantitatis ſit extenſum modaliter; ſed ſufficit, quòd habeat quãtitatem ſine modo extenſionis in ſe,& à quãtitate derelicto : quia ille modus derelinquitur ſubiecto quantitatis, quando ſubiectum eſt extenſibile:anima autem humana non eſt extenſibilis. Probant ergo iſti duas concluſiones. Prima eſt,quòd ſola forma eſt receptiua quantitatis. Secunda eſt, quòd non obſtante hoc,anima tamen humana non extenditur per quantitatem. PRIMA concluſio probatur ſic. Eſſentialius dependet omnis actus ſecundum quid ab actu ſimpliciter,quàm unus actus ſecundum quid ab alio actu ſecundum quid, ſed unus actus ſecundum quid, ſcilicet quantitas eſt per ſe ratio receptiua quorundam aliorum actuum ſecundum quid, puta coloris,&c.ergo actus ſimpliciter,qui eſt forma ſubſtantialis,eſt per ſe ratio receptiua omnium actuum ſecundũ quid,quamuis quodam ordine : quia unum præſupponit aliud. SECVNDA concluſio probatur ſic. Non eſt maior repugnantia, quòd quantitas informet animam,& tamen anima non extendatur, quàm quod anima informet ſubiectum quantum,& tamen ipſa non extendatur : ſed ſecundum non eſt impoſſibile; immò neceſſarium : aliter non poteſt ſaluari, quòd anima nõ eſſet extenſa:ergo nec primũ incõueniens. 2. Anima cum materia facit unum ſecundum eſſe,non autem cum quantitate : & ideo eſt maior unitas animæ cum materia, quàm animæ cum quantitate : ſi ergo poſſibile eſt, quòd anima informet quantũ, & tamen non extendatur cum eo:poſſibile erit,quod anima informetur à quantitate,& tamen non extendatur per eam.

*Confutatio præmiſsi modi dicendi.*

SED NEC iſte modus uidetur ſufficiens:& ideo arguo contra iſtas prędictas ęoncluſiones duas per ordinem:quamuis rationes ductæ contra primam opinionem pro parte maiori concludant contra primam concluſionem huius opinionis ſecundæ:& ſpecialiter tertia ratio; reduco tamen cõtra eos rationem, quam faciebant illi de prima opinione. 1 Si anima intellectiua eſſet ratio receptiua quãtitatis,ſequeretur, ſcilicet,quòd anima intellectiua ſeparata à corpore,ſepararetur cum quantitate,quòd eſt falſum. Et confirmo iſtam conſequentiam:quia magis uidetur,quòd ratio receptiua,quę minus dependet à ſubiecto,& poteſt naturaliter per ſe exiſtere, poſſit per ſe recipere actum, cuius eſt ratio receptiua, quàm illa ratio recipiendi,quæ magis dependet à ſubiecto,& nullo modo poteſt per ſe naturaliter exiſtere, ſed anima humana:quia poteſt naturaliter à corpore ſeparari:nam ſeparatur ab aliis,ſicut perpetuũ à corruptibili;minus dependet à corpore, quàm quantitas à ſubiecto, quæ naturaliter non poteſt per ſe eſſe ſine eo: ergo ſi quantitas à ſubiecto recipit actum eius,erat ratio receptiua in ſubiecto,ſcilicet coloris, ut patet in Sacramento altaris: ergo multo fortius anima ſeparata reciperet, & retineret quantitatem,ſi ipſa in compoſito eſſet ratio receptiua quantitatis; hoc autem falſum. 2 Cuicunque repugnat extendi formaliter, ei repugnat recipere quantitatem formaliter, & immediatè;& per cõſequens eſſe rationem receptiuam quantitatis; ſed animæ humanæ per eos repugnat extendi formaliter : ergo. Maior nota,nam cuicunque repugnat effectus formalis,qui de neceſsitate ſequitur cauſam formalem, eidẽ repugnat neceſſariò recipere immediatè talem formam: ſed eſſe extenſum de neceſsitate ſequitur quantitatẽ : ergo &c. Videtur ergo,quod ſecunda concluſio deſtruit primam & econuerſo : & ideo iſta poſitio nullo modo eſt poſſibilis.

*2. de Anima. tex.c. 21.*

RESPONDEO ad motiua eorum. Ad primum,quando dicitur,quod eſſentialius depẽdet omnis actus ſecundum quid ab actu ſimpliciter,quàm unus actus ſecundum quid ab alio ſecũdum quid. Dico,quod licet omnis actus ſecũdum quid eſſentialius dependeat ſimpliciter,& abſolutè ab actu ſimpliciter, quàm unus actus ſecundum quid ab alio ſecundum quid; poterit tamen unus actus ſecundum quid ab alio actu ſecundũ quid dependere;& tamen iſto modo non oportet, quod actus ſecundum quid dependeat ab actu ſimpliciter. Etiam poſito,quòd quantum non depẽdeat à forma ſubſtantiali,ſicut a ratione receptiua, dependet tamen ab ea ſimul cum materia,ſicut à ſubiecto totali recipiente: & hæc dependentia eſt maior,quàm prima,quia quodlibet accidens eſſentialius dependet à ſubſtantia, quàm ab alio accidente : cum igitur color dependet ab accidente, ſicut à ratione receptiua : a ſubſtantia autem ſicut à ſubiecto : contingit autem dicere, quòd eſſentialius dependet accidens à ſubiecto, quod recipit ipſum, quàm à ratione receptiua. AD ALIAS rationes probantes ſecũdam concluſionem. Dico ad primam,cum dicitur, quod ſicut anima humana recipitur in quantitatiuo; & tamen non extenditur; ita poterit in eo recipi quantitas abſque eo, quod extendatur : Non eſt ſimile, nam licet anima recipiatur in materia quanta;tamen quantitas non eſt ratio recipiendi ipſam formam ſubſtantialem:& ideo non ſequitur,ſi illa, quæ coniunguntur in tertio aliquo, quorum unum non eſt ratio receptiua alterius,non ſe afficiunt,quod illa quorum unum eſt ratio receptiua alterius, non ſe afficiant. Primum eſt impoſſibile. Secundum omnino inconueniens. Ad ſecundũ,cum dicitur,quod anima cum materia facit unum per ſe,& tamen non extenditur. Dico quod materia,ut facit per ſe unum cum anima, non includit quantitatem: aliter quantitas eſſet de intrinſeca ratione ſubſtantiæ:& ideo maior unio eſſet animę cum quantitate,ſi anima eſſet ratio recipiendi quantitatem, quàm ſit animæ cum quanto:eo, quod quantum, ut ſic, non eſt receptiuum animæ per ſe; ſed ſola materia:nam materia,ut per ſe facit unum cum anima, non includit quantitatem.

*Tertius dicendi modus probabilior.*

ISTE MODVS dicendi non uidetur mihi poſſibilis. Et ideo adhuc eſt alius modus dicẽdi,qui uidetur mihi probabilior,ſcilicet,quod ſola materia eſt receptiua quantitatis. 1 Et hoc patet per locum à ſufficienti diuiſione:nam ex quo probatum eſt contra primam opinionem, quod compoſitum ex materia, & forma non poteſt eſſe totalis ratio receptiua quantitatis. Et oſtenſum eſt contra ſecundam opinionem,nec quod ſola forma: ſequitur neceſſariò,quod ſola materia ſit totalis ratio receptiua quantitatis.

2 Hoc idem patet ex diſtinctione,quæ conſueuit dari de accidentibus.ſ.quod quædam accidentia ſequuntur compoſitum ratione formæ,ut qualitas; quędam ratione materiæ,ut quantitas:hæc autem diſtinctio non haberet ueritatem niſi ratio receptiua quantitatis in compoſito eſſet ipſa materia. 3 Hoc idem patet,quia actus eiuſdem rationis requirunt in ſuis receptiuis rationem receptiuam eiuſdem rationis, ut dicebatur contra primam opinionem : ſed quantitas eſt eiuſdẽ rationis in omnibus habentibus eam,& nihil eſt eiuſdẽ rationis in omnibus quantitatibus, niſi materia : ergo materia,& nihil aliud eſt ratio receptiua quantitatis.

4 Sicut ſe habet compoſitum ex materia, & forma ad agere per formam,ita ſe habet ad pati,ſeu recipere per materiam : ſed reſpectu cuiuſcunque actionis compoſitæ forma eſt ratio agendi : ergo reſpectu cuiuſcunque paſsionis, ſeu receptionis materia eſt ratio patiendi,uel recipiendi,& per conſequens materia eſt ratio receptiua quantitatis. Maior patet per Commentatorem ſecundo de anima: nam ſicut omne agẽs agit per illud,per quod eſt in actu:ita omne patiens,ſeu recipiẽs patitur per illud,per quod eſt in potẽtia;ſed compoſitũ ex materia, & forma eſt in actu per formam, & in potentia per materiam:ergo ſicut ſe habet compoſitum ad agere per formam,ita ſe habet ad pati, ſeu recipere per materiam. Minor patet per Philoſophum ſecundo de anima:nam per iſtam probationem probat animam eſſe actum corporis,quia eſt ratio,& principium agendi: dicit enim omnem operationem facimus per formam. Sed Vtrum quantitas ſecundum eſſe indeterminatum præcedat in materia formam ſubſtantialem, ut uult Commentator in

*Com.24.*

*tex.c.25.*



*Cap.1.*

mentator in libro de ſubſtantia orbis. Vel forma ſubſtantialis natura pręcedat quantitatem in materia, & hoc non obſtante, quòd materia ſit ratio receptiua quãtitatis,ut quidam ſolennes doctores dicunt, non eſt ad propoſitum; ſed ad præſens ſufficit,quòd ratio receptiua quantitatis ſit materia. OCCVRRVNT tamen duo dubbia contra dicta. Primum eſt. Quæritur. Vtrum ſola materia erit ſubiectum, quod recipit quantitatem,uel totum compoſitum ex materia, & forma? Si detur primũ:ſequitur,quòd unum,& idẽ reſpectu eiuſdẽ erit principiũ quo,& principiũ quod, quod eſt impoſſibile,ut probatũ eſt contra primã opinionem. Si detur ſecundũ; ſequitur quòd anima intellectiua eſt extẽſa,& quanta:nam probatum fuit contra ſecundam opinionem,omne,quod recipit quantitatem,eſt formaliter extenſum:ſed ſi totum compoſitum eſt illud, quod recipit quantitatẽ formaliter; oportet, quòd anima recipiat quantitatem:nam,da oppoſitum; ſequeretur, quòd totũ compoſitum non recipiat, ſed ſolum materia.

*tex.c.2. & 12.*
*tex.c.24.*
*tex.c.1.*

SECVNDVM dubium eſt,quia ſecundum Philoſophum tertio huius,intelligere eſt quoddam pati, & tamen ſecundum eum in.2.& tertio huius,ratio,ſiue principium,quo intelligimus,nõ eſt materia; immò ipſa anima intellectiua:ergo falſum eſt quod nunc dicebatur in quarta ratione,ſcilicet,quòd materia eſt ratio receptiua reſpectu cuiuslibet paſsionis. AD PRIMVM dico,quòd aliqua competunt cõpoſito ratione utriuſque partis:aliqua uerò ratione unius partis tantum : ſentire enim, uidere,& audire,& ſic de ſimilibus actibus potentiarum organicarum,competunt ipſi compoſito ratione utriuſque partis:quia non poſſunt ſeparari cum aliquibus partium:& quæ ſic competuntur compoſito, cõpetunt partibus eius, ſaltem per accidens. Informari enim competit compoſito, tantum ratione alterius partis.ſ.ratione materiæ: eo enim ipſo, quòd forma per ſe informat materiam,dicitur informare compoſitum:hoc tamen non competit compoſito ratione utriuſque partis:aliter anima,ſiue forma informaret ſe ipſã, quod eſt impoſſibile:& quæ hoc modo competunt compoſito dĩcuntur uerè;& propriè competere compoſito;ſic tamen, quòd nullo modo competunt alteri parti. Informari .n. ſic competit compoſito, quod ſolum competit materiæ & nullo modo formæ: nam idem informaret ſe ipſum, quod eſt omnino impoſſibile:ſic eſt in propoſito:cõpoſito,enim competit recipere quantitatem, & eſſe quantũ, & extenſum,non ratione utriuſque:ſed ratione materiæ tantum; & ideo ſic competere poterit eſſe quantum, & extenſum compoſito ratione materiæ quod nullo modo,nec per ſe,nec per accidens competit formæ,ſcilicet animæ intellectiuę.

*Obiectio.*

NEC VALET ſi dicatur, quòd idem diceretur de omni forma ſubſtãtiali, & per conſequens,quòd nulla forma ſubſtantialis erit extenſa; hoc non ſequitur:bene namque uolo,quòd nulla forma habeat eſſe extenſum,inquantum eſſe extenſum, & quantum competit compoſito tantum ratione alterius partis : quia ſi ſic, hoc competeret omni formæ coniunctę materiæ,cum quicquid competat alicui,inquantum tale;competat omni tali:ſed eſt alia cauſa præter iſtam, ratione cuius competit aliis formis eſſe quantum, quæ nullo modo competit animę intellectiuę,nec reperitur in ea:ſunt enim alię formæ quantæ:non quia compoſitũ eſt quãtum ratione alterius partis,ſed quia educũtur de potentia materiæ quantæ,& extenſæ;ut apparebit in.2. articulo. Hoc autem ſcilicet educi de potentia materiæ non competit animæ intellectiuæ:& ideo,quamuis aliæ formæ ſint extenſæ;ipſa tamen nullo modo extenditur. AD SECVNDVM dico, quòd intelligere dupliciter poteſt ad intellectum comparari: reperitur.n.in eo ſubiectiuè,& cauſatur ab eo effectiuè,cũ ſit actio immanens;& omnis talis actio manet in agente, ſecundum Philoſophũ 9.Metaphyſicæ. Poteſt igitur intellectio comparari ad intellectũ, ut recipitur in eo ſubiectiuè, & ut cauſatur ab eo effectiuè;& ideo ſi intellectio comparatur ad intellectũ,ut in eo recipitur ſubiectiuè,ſic intellectus dicitur eſſe in potẽtia, reſpectu intellectionis:

*tex.c.16.*

nã omne recipiẽs,ut recipiens, eſt in potẽtia ad recipiendum:aliter non poſſet aliquid recipere. Si uero cõparetur ad eũ,ſm quod ab ipſo cauſatur effectiuè: ſic intellectus eſt in actu reſpectu intellectionis;quia omne agens agit,ut eſt actu. Hoc ſuppoſito, dico ad rationẽ,cũ dicebatur,ꝙ intelligere eſt quoddã pati, concedo, quòd prout intelligere recipitur in intellectu ſubiectiuè,eſt quoddam pati: non quæcunq; paſsio,ſed ſalus,& receptio,ut patebit poſtea,deo dãte,& ideo ut ſic, intellectus reſpectu intellctionis ſolũ ſe habet paſsiuè,& non actiuè:propter quòd dicit Cõmentator, quòd ſicut materia prima eſt in potẽtia ad formas ſenſibiles:ſic,intellectus ad formas intelligibiles. Et uocat intellectũ puram potẽtiam in genere intellegibiliũ. Et cum dicebatur in arguendo, quòd materia eſt ratio receptiua reſpectu cuiuſcũq; paſſionis,intelligendũ eſt ſanè,ſcilicet,quòd omne recipiẽs uel patiens hẽt materiã,per quã,tanquã per rationẽ receptiuam recipit,uel patitur:patitur.n.aliquid:quia habet aliquid loco materiæ: & ideo in angelis ſecũdũ doctorẽ noſtrum,eſt aliquid loco materiæ, & illud eſt ratio recipiẽdi in ipſis:ſicut illud,quòd eſt in ipſis loco formæ,eſt ratio agẽdi : ratio igitur recipiẽdi intellectionẽ in nobis eſt illud, quòd tenet locum materiæ in ipſo intellectu : & ideo nõ ſequitur,ꝙ materia,uel materiale nõ ſit rõ receptiua reſpectu cuiuslibet paſsionis. Et hæc de primo.

*com.5.*

*2.ſent.d.1. q.1. itẽ in quodl. quodlib.1.q.6.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

QVANTVM ad ſecundum articulũ.ſ. Vtrum omnes formę ſubſtantiales alię ab anima intellectiua, ſint extenſæ,& quantæ? Eſt multiplex modus dicẽdi. Ad clariorẽ intellectũ eorũ,quę dicẽtur,eſt aduertẽdũ,ꝙ ut ad præſens ſpectat, totũ dr̃ tripliciter ſm triplex genus partiũ:eſt.n.quoddã totũ eſſẽtiale cõpoſitũ ex partibus eſſentialibus,ſicut ſũt materia,& forma,uel genus,& differẽtia. Et aliud totũ potẽtiale,ſeu uirtuale,cõpoſitũ ex partib. ſeu diuerſis potẽtiis, ſeu uirtutib. Eſt aliud totũ quãtitatiuũ cõpoſitũ ex diuerſis partib. quãtitatiuis. Prima totalitas totaliter nõ cõpetit aĩæ cõiunctæ:quia nec eſt cõpoſita ex materia,& forma:nec ex genere,&differẽtia:quia nõ eſt ſpecies,ſed pars ſpeciei. Secũda totalitas q̃uis cõpetat aĩæ, nõ facit ad ꝓpoſitũ : nã manifeſtũ eſt ꝙ aĩa ſm om̃es ſuas potentias nõ eſt in qualibet ꝑte corporis. Et ideo de tali totalitate non ꝓcedit quæſtio pręſens. Tertia totalitas ex partib. quãtitatiuis continuis habet locũ in ꝓpoſito:nã quædã formæ ſunt, quæ habent talẽ totalitatẽ ꝑ accidẽs, ut habet albedo,q̃ uere habet partes iuxtà partes quãtitatis:& ideo albedo tota ñ põt eſſe in qualibet parte quãtitatis:& ad iſtũ intellectũ reducitur præſens quæſtio. QVANTVM ad ꝑſentẽ articulũ.ſ. Vtrum aliæ formæ ab aĩa ĩtellectiua ſint iſto modo extenſę, aut quęlibet earum ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis? Ad quod dicunt aliq doctores, ꝙ nulla forma ſubſtãtialis extẽditur extẽſione materiæ nec eſt quanta per ſe,nec per accidẽs. Hæc cõcluſio probatur dupliciter. 1 Sic,ſi aliqua forma ſubſtãtialis eẽt extẽſa,uel extẽderetur rõne ſui, uel ratione ſubiecti, in quo recipitur:nõ rõne ſui,quia forma de ſe eſt indiuiſibilis. Itẽ,quia extendi rõne ſui eſt ꝓpriũ quantitati,nec rõne ſubiecti,in quo recipitur:quia immediatũ ſubiectũ formæ ſubſtantialis eſt materia prima,quæ de ſe nec eſt quãta,nec diuiſibilis: ergo nulla forma ſubſtantialis eſt quãta,nec extẽſa. 2 Sic,nulla forma, cuius eſſe eſt in qualibet parte corporis eſt quanta,uel extẽſa ꝑ ſe,uel ꝑ accidẽs;ſed cuiuslibet formę ſubſtãtialis eſſe eſt in qualibet parte corpis, cuius eſt forma:ergo nulla forma ſubſtãtialis ẽ quãta,uel extẽſa ꝑ ſe,nec ꝑ accidens. Maior,ẽ nota per ſe. Minor probatur,quia niſi eſſe cuiuslibet formæ ſubſtãtialis eẽt in qualibet parte corporis,quælibet ps ignis nõ eſſet ignis,& quęlibet pars aq̃ nõ eſſet aqua, ꝙ falſum eſt:ergo.

*Confutatio præmiſſæ opinionis.*

HAEC autem poſitio non poteſt ſtare:& ideo arguo cõtra eã dupliciter. 1 Sic illa forma,quæ diuiditur diuiſione corporis eſt extenſa, ſaltem per accidẽs;ſed formę corporũ inanimatorũ, & etiã animatorum diuidũtur diuiſione corporis : ergo ſaltem

C tales ſunt

tales ſunt extenſæ per accidens. Maior eſt nota de ſe, quia diuiſio non poteſt competere, niſi quantitati: Minor probatur de formis corporum inanimatorum; quia talia corpora diuiduntur in partes eiuſdem rationis, quòd non poſſet eſſe, niſi formæ iſtorum diuiderentur. De formis animatorum patet per Philoſophum dicentem, quod plantæ, & aliqua animalia deciſa uiuunt, tanquàm habentia animam, unam quidem actu, plures autem potentia.

*2. de Anima tex. c. 20.*

2 Sic, ſi illud, quod minus uidetur ineſſe, ineſt; & illud, quod magis: ſed minus uidetur, quòd anima ſenſitiua, & uegetatiua ſint extenſæ, quàm formæ inanimatorum; & tamen ſunt, ut probabitur ſtatim contra ſecundam opinionem.

*Solutio rationum confutatæ opi.*

RESPONDEO ergo ad rationes alterius opinionis. Et primo reduco eas contra eos: nam ſi prima ratio aliquid cõcluderet; probaretur, quòd materia nullo modo eſſet quanta. Sic. Si materia eſſet quanta, ſiue extenſa, uel extenderetur ratione ſui, uel ratione ſubiecti, in quo recipitur; non ratione ſui; quia de ſe per eos materia nec eſt quanta, nec extenſa: nec ratione ſubiecti: non enim recipitur in aliquo ſubiectiuè; ſed alia recipiuntur in ipſa: nullo ergo modo materia eſt extenſa, quod falſum eſt. ET ideo dico, quòd iſta ratio procedit ex inſufficienti diuiſione: non enim extenditur forma per aliquam iſtarum cauſarum, ſed quia eſt ſubiectum quantitatis, uel pars quãtitatis, uel quia educitur de potentia materiam, ut poſtea patebit. REDVCO etiam ſecundam contra eos: nam ſi illa ratio aliquid cõcluderet, probaretur, quòd nulla forma accidentalis eſſet extenſa. Et accipio maiorem ſuam, & addo minorẽ ſed cuiuslibet formæ accidentalis eſſe eſt in qualibet parte corporis, cuius eſt forma: ergo. Minor probatur ſicut & ſua; nam ſi eſſentia cuiuslibet formæ accidentalis, ut albedinis non eſſet in qualibet parte albi; quælibet pars albi non eſſet alba, quòd falſum eſt: & ideo dico, quòd iſta ratio, ſicut prima procedit ex inſufficienti diuiſione; nam poſito, quòd in qualibet parte ignis nõ eſſet forma ignis tota, totalitate quãtitatis, de qua nũc loquimur; adhuc quælibet pars ignis eſſet ignis, & quælibet pars aquæ eſſet aqua, & in qualibet parte corporis eſſet pars formæ; ſicut in qualibet parti albi eſt pars albedinis; & ſi contingeret ignem diuidi in duas partes: forma etiam diuideretur in duas partes, ſicut albedo; iſta igitur poſitio non uidetur ſufficiens.

*Secunda opinio.*

ET IDEO eſt alius modus dicendi aliorum doctorum, ſ. quòd inter formas ſubſtãtiales ſolæ formæ inanimatorum ſunt extenſæ, & quantæ per accidens; nulla autem forma animatorum nec per ſe, nec per accidens extenſa, nec quanta, quod probatur quadrupliciter. 1 Sic, Quando receptum ſuperat naturam recipientis; recipiens nõ trahit ad ſe receptum, ſed potius econuerſo, receptum, trahit ad ſe recipiens; ſed quælibet anima eſt forma ſubſtantialis, & ſuper egrediens conditiones materiæ, & ſuperans eam; ergo anima non trahetur & conditionem materiæ; & ideo licet anima recipiatur in materia quãta: non oportet, quòd ſit quanta, ſiue extenſa. Minor nota eſt de ſe. Maior uidetur nota pro tanto: quia imperfectius non poteſt ad naturam ſuam trahere perfectius. 2 Omnis forma quanta per ſe, uel per accidens æqualiter reſpicit, & denominat totum, & partes: ſicut patet de aqua, & de igne, & de conſimilibus; ſed nulla anima denominat æqualiter totum, & partes; quia non quælibet pars animalis eſt animal, ſicut quælibet pars ignis eſt ignis: ergo nulla anima eſt quanta, ſiue extenſa, ſiue per ſe, ſiue per accidens. 3 Ad idem. Nulla forma quanta per accidens requirit diuerſitatem in partibus; ſed anima quæcunque requirit diuerſitatem in partibus in ſuo perfectibili; ergo. Minor eſt de ſe nota. Maior patet: quia conditio quanti, ſiue extenſi eſt habere partes eiuſdem rationis, & per conſequens nullum tale requirit diuerſitatem in partibus.

4 Sic, omnis forma quanta per ſe, uel per accidens habet eaſdem operationes in toto, uel in partibus; nulla anima habet eaſdem operationes in toto, uel in omnibus partibus: ergo. Minor patet, quia quælibet anima habet diuerſas operationes in diuerſis partibus ſui perfectibilis. Maior eſt nota; & non poteſt dari inſtantia extra propoſitum. Per iſtas eaſdem rationes probant iſti doctores, quòd formæ ſubſtantiales corporum inanimatorum ſunt quantæ, & extenſæ per accidens.

*Epilogus rationum roborantium ſecundam opinionem.*

1 Quia non ſuperant conditiones materiæ; ſunt enim totaliter materiales. 2 Quia æqualiter denominant totum, & partes. 3 Quia non requirunt diuerſitatem in partibus perfectibilis.

4 Quia habent eaſdem operationes in toto, uel in omnibus partibus, ut patet in igne, in auro, in oſsibus. Et poſſunt formari quatuor rationes prædictis oppoſitæ.

*Confirmatio auctoritatibus.*

HAEC opinio confirmatur per Beatum Auguſtinum libro de immortalitate Animæ. Quod etiam probatur experimento: dicit enim quòd ſi uermis pungeretur in una parte, retrahet ſe totum, quod non eſſet niſi anima tota ſentiret, & tota eſſet in illa parte; & per conſequens in qualibet parte: & propter hoc uidetur, quòd non extendatur cum corpore. Item hoc uidetur de intentione ſua in libro de quantitate animæ, ubi dicit, quòd ſpecies in oculo non extenditur: quia ſi extẽderetur, quanto corpus eſſet maius, tanto faceret ibi maiorem ſpeciem: & ſecundum hoc eſſe poſſet aliquod corpus ita magnum, cuius ſpecies nullo modo poſſet recipi in oculo, quod patet eſſe falſum. Si aliqua ſpecies in ſenſu non extendetur, multo minus debet extendi ſenſus. Et ſi ſenſus non extenditur, nec anima ſenſitiua extenditur; & per conſequens nec aliqua alia anima: quia nulla cauſa apparet in anima ſenſitiua, quare non debeat extendi magis, quàm quæcunque alia anima.

*Cap. 8. tom. 1.*

*Cap. 14. tom. 1.*

*Confutatio ſecũdæ opi.*

ISTA AVTEM opinio quamuis ſit magnorum doctorum, non uidetur uera; & ideo arguo contra eam quatuor rationib. 1 Sic, ſi anima ſenſitiua, & uegetatiua non extenderentur per ſe, nec per accidens; ſequeretur, quòd plantæ, & animalia bruta eſſent immago dei; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet per Magiſtrum ſentiarum diſtinctione tertia in ſuo primo lib. ubi probat, quòd imago dei, quærenda eſt in eo quod excellentius eſt in homine: conſequentia probatur per Beatũ. Auguſtinum in ſermone de imagine, ubi dicit hominem eſſe ad imaginem dei: quia anima humana eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: quemadmodum Deus eſt totus in toto mundo, & totus in qualibet parte mundi: ſi ergo anima ſenſitiua, & uegetatiua non ſunt extenſæ; ſed quælibet earum eſſet tota in toto, & tota in qualibet parte, ſequeretur, quod plantæ etiã eſſent ad imaginem dei, quod eſt abſurdum. 2 Illæ formæ, quæ diuidũtur diuiſione corporis, extendũtur extenſione ipſius, & diuiſio ſolum competit quanto; & extenſo, ſed anima uegetatiua, & ſenſitiua animalium imperfectorum diuiduntur ad diuiſionem corporum: ergo. Minor patet per Philoſophum. 2. huius dicentem, quòd plantæ, & animalia quædam deciſa uiuũt, tanquàm exiſtente in his anima actu quidem una, potentia uerò plures. CONFIRMATVR, nam anima, quæ eſt in qualibet parte deciſi, uel eſt ibi per diuiſionem, uel per nouam generationem: non poteſt dici, quòd ſit ibi per nouam generationem: quia ibi non apparet aliquod generans; diuidens enim non eſt generans: nam ad diuiſionem per ſe ſequitur corruptio, & nõ generatio. Item omnem generationem præcedit aliqua alteratio, ſed in tali diuiſione non præcedit alteratio, quæ conſueuit præcedere talẽ generationẽ animatorũ, & in qualibet parte animalis deciſi nõ põt eſſe aĩa ꝑ generationẽ: relinquitur ergo, ꝙ ſit ibi per ſui diuiſionẽ.

*tex. c. 20.*

3 Sic, omnis res particulariter, & ſimpliciter particularis, & corporalis ẽ capax ſuæ particularitatis, q̃ per ſe, & ſimpliciter ineſt in conditione corporeitatis, ſed omnis forma generabilium, & corruptibilium, excepta forma rationali, ẽ particulariter, & ſimpliciter corporalis: quia nulla ipſarũ eſt, nec põt eẽ ꝑ naturã niſi in corpore, cuius ſunt ꝑ ſe partes: ergo oĩs forma ſubſtãtialis eſt q̃ta: uel extẽſa, ſaltẽ ꝑ accñs præter aĩam rõnalẽ, de qua, utrum extendatur? patebit ſtatim in ſequenti articulo.

4 Ad



4 Ad idem oẽs formæ eductæ ſm̃ eſſentiã de potentia materiæ extenduntur, & ſunt quantæ, ſaltem per accñs: ſed omnes formæ naturales, excepta anima rõnali, ſunt huiuſmodi: ergo. Minor nota eſt de ſe. Maior probatur, quia oĩs forma, quæ recipitur tota in tota materia, & pars in parte materiæ eſt quanta, & extenſa per accñs; ſed omnis forma educta de potẽtia materiæ eſt huiuſmodi: quia omnis forma, quæ educitur de potẽtia materiæ, educit̃ neceſſariò tota de tota materia, & pars de parte materiæ, & ꝑ cõſequens oĩs talis forma recipit̃ tota in tota materia, & pars in parte materiæ. Et iſta uidetur mihi melior rõ, quæ poſsit fieri ad iſtam concluſionem: accipit. n. pro medio cãm extenſionis: nã educi de potentia materiæ eſt extenſionis cã, & eſt de intẽtione doctoris noſtri Fratris Aegidii, per quam probat ꝙ omnes formæ ſubſtantiales aliæ ab aĩa rõnali ſunt quantæ, & extenſæ per accñs: quia educuntur de potentia materiæ; aĩa rationalis minimè: quia non educitur de potentia materiæ.

*1. ſent. diſt. 8. q. 3.*

*Impugnatio quorundã.*

IMPVGNATVR tamen iſta ratio à quibuſdam, & uidetur eis ſibi imponere duplicem defectum. 1 Vñr dicere: ꝙ iſta ratio in ſe non conuenit. 2 Dicunt, quod petit, quod debet probare.

PRIMVM ſic probant; Sicut forma educitur de potentia materiæ, paſsiuè loquendo; ita educitur de potentia agentis, actiuè loquendo, & fortè uerius: ſed non dicimus, ꝙ de alia, & alia parte agentis educatur alia, & alia pars formæ; ſed de toto agente, ſiue generante tota forma: ergo non debemus dicere, ꝙ tota forma educatur de tota materia, & pars de parte materiæ: ur̃ ergo eis, ꝙ præfata ratio non concludat. SECVNDVM uerò probatur ſic. Quia rõ Fratris Aegidii probat, ꝙ forma ſit extenſa per accñs: quia de alia, & alia parte materiæ educitur alia, & alia pars formæ: & ita ſupponitur formam habere partem, & partem: ſed formam habere partem, & partem eſt ipſam eſſe extenſam: ſupponit igitur iſta rõ formam eſſe extẽſam: ſed hoc eſt, qđ quæritur: ergo petit, qđ debet probare.

*Reſponſio ad impugnationes Aduerſariorũ.*

HIS TAMEN non obſtantibus; dico, ꝙ rõ illa eſt optima: ſi bene intelligat̃. Et ideo rñdeo ad impugnationes prædictas. AD primam, cum dicitur, ꝙ ſicut forma educitur de potẽtia materiæ, paſsiuè loquendo, &c. Dico, quod ly ſicut; ſi ſit nota æqualis neceſsitatis, uera eſt propoſitio: quia ſi forma debet reduci de potentia ad actum, æquè neceſſariũ eſt, ꝙ educatur de potentia agentis actiuè; ſicut, ꝙ educatur de potentia materiæ paſsiuè: unum. n. non ſufficit ſine altero. Si autem intelligatur ly ſicut nota abſolutè; & omnimodæ ſimilitudinis, propoſitio eſt falſa: nam quod non eodem modo præexiſtit in utrolibet, non educitur eodem modo ab utroque: ſic. n. forma præexiſtit in potentia actiua agentis, quòd ſuum fieri, & ſuum eſſe ſunt ſeparata à tali potentia, ſed in potentia paſsiua materiæ ſic præxiſtit ſuum fieri, & eſſe, ꝙ conſequitur ad fieri, quòd ſunt coniuncta cum ipſa potentia. Et ideo nõ ſequitur, ꝙ diuiſibilitas formæ non accipitur ſm̃ diuiſibilitatem potentiæ actiuæ, à qua, ut dictum eſt, eſt ſeparata quantum ad eſſe, & quantum ad fieri, quòd non debeat ſumi ſecundum diuiſibilitatem potentiæ paſsiuæ, cui neceſſariò eſt coniuncta ſecundum eſſe, & fieri: & ideo ratio non concludit: mutat enim modum neceſſitatis in modum ſimilitudinis, ut apparet ex dictis.

AD ſecundum, cum dicitur, quòd ratio petit principium, ſiue ſupponit, quod debet probare. Nego, & cum probatur: quia uidebatur illa ratio ſupponere formam habere partem, & partem; & per conſequens ſupponit formam eſſe extenſam. Dico, quòd ſi illa bene intelligatur, non ſupponit formam habere partem, & partem per ſe; & per conſequens non ſupponit eſſe formam extenſam: ſupponit tamen iſta ratio, tanquàm communiter conceſſum, quod materia, de cuius potentia educitur forma, neceſſariò ſit diuiſibilis, & extenſa: ita, quòd ſi eſſet indiuiſibilis omnino, nulla forma poſſet de ea educi. Hoc autem ſuppoſito, probat Frater Aegidius doctor noſter, quod forma habet partem, & partem, & per conſequens eſt diuiſibilis, & extenſa: quia quod educitur de diuiſibili, & extenſo, inquantum diuiſibile eſt, accidit eſſe modo indiuiſibili, ſed quod educitur de extenſo modo diuiſibili, educitur totum de toto, & pars de parte; & per conſequens eſt diuiſibile, & extenſum. Aliud ergo eſt, quod ſupponitur in ratione doctoris noſtri, & aliud, quod probatur, ut patet ex dictis. Et ideo ratio non petit principium, ut ei imponebant aduerſarii: remanet ergo in uigore ſuo.

*Solutio rationum alterius opinionis.*

RESTAT nunc reſpondere ad rationes alterius opinionis. Et primo reduco rationes contra eos: nam ſi prima ratio aliquid concluderet, ſequerentur tria magna inconuenientia.

PRIMVM eſſet, quòd materia non eſſet diuiſibilis, nec extenſa. Secundum eſſet, quòd nulla forma ſubſtantialis eſſet extenſa, quòd eſt falſum, & contra eos. Tertium, quòd quantitas recepta in ſubiecto compoſito ex materia, & forma, eſſet indiuiſibilis ſimul, & non extenſa; hæc omnia ſunt inconuenientia: ergo. QVOD autem hæc ſequerentur apparet per formam rationis ſuæ, & arguitur ſic. Quando receptum ſuperat naturam recipientis, recipiens non trahit receptum ad naturam ſuam: ſed potius econuerſo; ſed anima ſuperat materiam, & conditiones materiæ: ergo anima trahit materiam ad naturam ſuam, & non econuerſo; ſed natura ipſius animæ eſt, quòd ſit indiuiſibilis, & inextenſa per eos: ergo materia, quæ trahetur ad naturam, & conditionem animæ erit indiuiſibilis, & inextenſa. Tota ratio eſt eorum, patet igitur primum inconueniens. SECVNDVM etiam per eandem rationem euidenter ſequitur. Accipiatur eadem Maior, & inferatur Minor, ſed quælibet forma ſubſtantialis ſuperat naturam, & conditionem materiæ: ergo nulla forma trahetur ad conditionem materiæ, & per conſequens, quàmuis recipiatur in materia quanta; non erit extenſa, ſiue quanta. Tota ratio eſt ſua præter minorem, quæ eſt uera euidenter. Certum eſt enim, quòd quælibet forma ſubſtantialis eſt perfectior ipſa materia, & ſuperat eius naturam, cum materia ſit pura potentia: & forma ſubſtantialis quæcunque ſit actus. 2. huius: actus autem ſemper ſuperat naturam potentiæ: quare, &c.

*1. phyſ. tex. c. 82.*

*tex. c. 7. & 25.*

TERTIVM inconueniens manifeſtè apparet: nam ſi receptum, quod ſuperat naturam recipientis, trahit ipſum ad naturam recepti; & recipiens, quod ſuperat naturam recepti, trahit ad ſe naturam recepti: cum compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali ſuperet naturam quantitatis; ſequitur, quòd compoſitum trahat quantitatem ad ſui conditionem: & ſic, cum tale compoſitum quantum eſt de natura ſua, non ſit extenſum, trahit quantitatem ad ſui conditionem, & recipit eam tali modo, quòd non erit extenſa: quare, &c. Iſta igitur ratio nihil concludit, ut patet ex dictis. RESPONDEO igitur ad rationem; & dico, quòd ratio imaginatur, quòd forma ſubſtantialis non habeat eſſe quantum, & extenſum ſibi: quia recipitur in extenſo, & quanto: hoc autem eſt falſum: nam forma quæcunque ſubſtantialis non habet eſſe quantum, niſi, quia educitur de potentia materiæ, & extenſæ, ut declaratum eſt in quarta ratione contra prædictam opinionem: rõ igitur iſta accipit nõ cauſam pro cauſa. SECVNDA ẽt ratio poteſt ſimiliter reduci contra eos: nam conſtat, ꝙ forma imaginis non æqualiter denominat totum, & partes, & tamen eſt quanta per accidens, ſicut ipſi concedunt. Dico ergo ad rationem, quòd forma quantumcunque ſit extenſa, ſi ex ſui perfectione competunt ſibi diuerſæ operationes, quas non poteſt elicere per unum organum, nec per unam potentiam organo affixam: oportet propter diuerſitatem potentiarum, & organorum, quòd diuerſimodè denominet partes, & totum. Formæ autem inanimatorum, quæ propter imperfectionem ſuam non habent has diuerſas operationes, non indigent his diuerſis inſtrumentis, nec diuerſis potentiis: & ideo eodem modo denominãt totum, & partes. Maior

ergo propoſitio nō eſt ſimpliciter uera:cū dicitur, quòd omnis forma æqualiter reſpicit,& denominat totum,& partes. Inductio autem per quam probatur,inſufficiens eſt. TERTIA ratio poteſt ēt reduci cōtra eos; quia nihil prohibet illud, quod eſt quātum per accidēs, requirere diuerſitatem in partibus; ſicut patet euidēter de forma imaginis; & ideo dico ad rationem per interemptionem maioris propter cām ſupradictam in ſolutione ſtatim præterita. Et cum probatur,quia conditio quāti eſt habere partes eiuſdē rationis. Dico, quod anima non requirit diuerſitatem partium, inquantum eſt quanta,ſiuè extenſa;ſed inquātum perfecta in comparatione ad formas inanimatorum; & ideo aliqua forma extenſa requirit diuerſitatem in partibus; aliqua uerò non. ET eodem modo eſt dicendum ad tertiū. Iſta.n.ſtant ſimul; uidelicet, quod aliqua forma ſit extenſa,& tamen in diuerſis partibus ſuſceptibilis, diuerſas habeat operationes per diuerſas potentias ratione ſuæ perfectionis. AD confirmationem etiam Beati Auguſtini dico, quod Auguſtinus in libris ſuperius allegatis loquitur inquirendo,& non aſſerendo,ſicut patet intuenti dicta ſua in libris prædictis:& ideo,&c.

RESPONDEO ad rationes, uel probationes. Experimentum enim de uerme non conuincit; quia, licet anima uermis non ſentiat tota, ſed aliqua pars; ſtringitur tamen propter colligationem membrorum ad inuicem. Ad probationem ſecundam dico,quòd ſpecies recepta in oculo eſt quanta, & extēſa; & ideo,ita poſſet eſſe magnū corpus, quod eius ſpecies tota non poſſet recipi in oculo, niſi uiſus eſſet ita acutus, quod uideret rem in quacunque diſtātia:nam ſicut ſpecies augmentatur ad augumentum obiecti;ita diminuitur ad diſtantiam eius: quia cum res uiſa uideatur ſub angulo;ſicut res magis diſtat,quæ uidetur ab oculo; ita angulus,ſub quo uidetur,eſt ſtrictior.

*Tertia opinio.*

HAEC autem opinio,quamuis plus accedat ad ueritatem, quā prima;non tamen uidetur ſufficiēs. Ideo adhuc eſt alius modus dicēdi.ſ.ꝙ animæ animalium perfectorum,quæ diuiſa non uiuunt nec per ſe, nec per accidens ſunt quāta:omnia autem animata, & inanimata, quæ ſecundum ſui diuiſionem uiuunt, habent formam ſubſtantialem quantam per accidens. Aſſumptum probatur quantum ad ambas partes. PRIMA pars aſſumpti ſic probatur. Illæ formæ,quæ non diuiduntur diuiſione corporis,non extenduntur extēſione corporis; ſed animæ ſenſitiuæ animalium perfectorum,quæ diuiſa,non uiuunt, non diuiduntur diuiſione corporis:ergo nec extenduntur extenſione corporis. Maior patet:quia omne quātū per ſe,uel per accidens eſt natum diuidi in partes: cum diuiſio per ſe competat quanti Minor nota eſt de ſe.

SECVNDA pars aſſumpti ſupradicti ſic probatur. Omne, quod diuiditur in partes eiuſdem rationis,eſt quantum per ſe, uel per accidens:quia ſic diuidi ſolum competit quantitati,uel quanto; ſed omnes formæ ſubſtantiales corporum inanimatorum, & ēt animatorum, quæ deciſa uiuunt,ſunt huiuſmodi; ut patet per Philoſophum in litera; quare,&c.

*2. de Anima tex. c. 20.*

*Confutatio tertiæ opinio.*

HAEC autem poſitio,quàmuis magis accedat ad ueritatē, quā aliqua aliarum;non tamen eſt uera,quātum ad illud, ꝙ ponit,quòd animę animalium perfectorum, quæ deciſa non uiuunt,nec per ſe, nec per accidens ſunt quātæ. Et quàmuis contra iſtam poſitionem directè concludant omnes rationes factæ ſuperius adductæ contra ſecundā opinionem immediatè recitatam, excepta ſecunda ratione. Arguo tamen contra eam una ratione tali.

*Impugnatio opinionis præmiſſæ.*

Poſita cauſa extenſionis ſufficienti in quibuſcūque formis;de neceſsitate ſequitur extenſio eiuſdem; ſed quęcunque ponatur cauſa extenſionis in aliis formis ſubſtātialibus, ita perfectè reperitur ī anima ſenſitiua animalium perfectorum,quæ deciſa non uiuunt; ſicut in illis: ergo, &c. Maior nota eſt de ſe. Minor probatur:nam ſi dicatur,quod illæ formæ extenduntur; quia ſimul cum materia ſunt ſubiecta quantitatis;pari ratione diceremus de iſtis.Si uerò dicatur,quod iō extenduntur: quia recipiuntur in materia extenſa;eodē mō,& iſtę recipiuntur in materia extenſa.Si uerò dicatur,quòd ideo extenduntur:quia educūtur de potentia materiæ:quia iſta uidetur eſſe præcipuè ratio; habent etiam hoc dicere de dictis animabus:quia etiam ipſæ educuntur de potentiæ materiæ. Nulla ergo cauſa remanet in aliis formis ſubſtantialibus,propter quam extendantur, quę non reperiantur in aliis animabus citra animam intellectiuam. Dico ergo quantum ad iſtum articulum,quod oēs formæ ſubſtātiales corporum inanimatorum, & quælibet alia anima ab anima intellectiua, extenduntur cum corpore;& ſunt quantæ per accidens.

## ARTICVLVS TERTIVS.

QVAERITVR. Vtrum anima intellectiua coniūcta corpori extendatur extenſione corporis? Et quàmuis ueritas iſtius articuli ſatis poſſet haberi ex præcedentibus,ſecundum quòdeam intelligo: quia tamen quidam contradicunt concluſioni doctoris noſtri, quam credo eſſe ueram. Idcirco ponam: eorum opinionem cum motiuis ſuis. 2 Ponam concluſionem, quam credo eſſe ueram cum rationibus, quibus moueor. Et in tertio reſpondebo motiuis contrariæ opinionis. DICVNT ergo quidam, quod anima intellectiua eſt omnino extenſa per accidens, quemadmodum quæcunque alia forma informans materiam.

*Opinio quorundam.*

HAEC autem opinio probatur ſic. Omne ſubiectum de neceſsitate afficitur ſuo accidente ipſum informante; ſed compoſitum ex materia, & forma eſt per ſe ſubiectum quātitatis: ergo totum compoſitum afficitur per quantitatem. Affici autem per quantitatē,eſt extendi per eam. Ergo eſſentia hominis cōpoſita ex materia, & forma eſt extenſa, quod nō poſſet eſſe,niſi anima quæ eſt integralis pars eſſentiæ ipſius,eſſet extenſa. Maior eſt nota: quia eius oppoſita eſt impoſsibilis:impoſsibile uidetur, quod aliquod ſubiectum per ſe informetur aliquo accidente; & non afficiatur eo. Minor probatur dupliciter. 1 Quia quantitas eſt propria paſsio corporis de genere ſubſtātię: ſed corpus de genere ſubſtantiæ dicit compoſitum ex materia,& forma: ergo cū propria paſsio ſubiectiuè recipiatur in proprio ſubiecto; ſequitur quòd compoſitum ex materia, & forma ſit per ſe ſubiectum quantitatis. 2 Probatur hæc Minor quia oē accidens requirit ſubiectum in actu:cum.n.accidens ſit actus ſm quid,requirit potentiam ſm quid: ſed quantitas eſt accñs, ſola materia non eſt ſubiectum in actu:ergo ſubiectum quantitatis non pōt eſſe ſola materia.Vel igitur ſola forma erit,uel erit totum compoſitū, quicquid detur habetur ꝓpoſitū. SECVNDO. Sic, quicquid recipitur in aliquo recipitur per modū rei recipientis,& non per modū rei receptę. 3. huius; ſed anima intellectiua recipitur in materia quanta, & extenſa; cum ſit actus corporis,non cuiuſcunque; ſed phyſici organici:corpus autem phyſicum,& organicū eſt quantū, & extenſum:ergo anima intellectiua erit quanta,& extenſa.

*tex.c.4.*

3 Si anima humana non eſſet quanta, & extēſa;ſequeretur, ꝙ hō per ſe non eſſet quantus;conſequēs eſt falſum:ergo. Falſitas conſequentis probatur: nam quicquid cōpetit per ſe ſuperiori, cōpetit per ſe oībus contentis ſub eo,patet;ſed corpori de genere ſubſtantiæ cōpetit per ſe eſſe quantū ergo eſſe quātū competit per ſe oī contento ſub corpore;ſed hō per ſe continetur ſub corpore:ergo,&c. Cōſequentia patet,quia quicquid cōpetit hoī per ſe;ſibi cōpetit per formā,per quam eſt hō. Quòd.n.non cōpetit hoī per formā,per quam eſt hō,nō conuenit ſibi per ſe;ſed ſi anima humana non eſſet quāta, ſiue extenſa; non poſſet ipſi homini per ipſam eſſe quantum competere:ergo non eſſet per ſe quantus.

4 In quocunque eſt ſubiectū, in eo ſunt proprietates illius ſubiecti: quia ſubiectum non ſeparatur à proprietate, nec econuerſo ſed omnes potentiæ animæ ſunt in eſſentia animę; ſicut proprietates ipſius:aliter anima non operaretur per eas: ſi ergo anima eſſet in qualibet



in qualibet parte corporis ſequitur,quod omnes potentię eſſent in qualibet parte corporis, & ſic uiſus eſſet in pede, & auditus in manu, quod eſt falſum. 5 Illud,quod ſecundum ſe totum eſt in aliquo,ſm nihil ſui reperitur extra: ſed extra quamlibet partem corporis reperitur aliquid animæ: cum in quacunque appareat operatio uitæ:ergo anima non eſt tota in qualibet parte corporis. 6 Si aīa eſſet tota in toto,& tota in qualibet parte;ſequeretur,quod unum, & idem ſimul moueretur,& quieſceret oppoſita quiete illi motui;cōſequēs eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet, quia impoſsibile eſt duo oppoſita ſimul eſſe in eodem. Conſequentia probatur, nam ſi anima eſſet tota ſimul in manu, & in pede moueretur per accidens ad motū manus, & quieſceret per accidens, pede quieſcente, hoc autem impoſsibile eſt. 7 Ponatur, quòd aliquis naſcatur ſine manu, & ei poſtea addatur per miraculum, & fiat manus animata. Peto qualiter anima præexiſtens animabit nouam manum? Quia certum eſt, quòd non infundetur noua anima illi manu: quia iam non eſſet pars illius animalis; ſed potius eſſet per ſe animal. Aut ergo anima præexiſtens mouebatur localiter ad animandum nouam manum, aut per extenſionem ſuam attinget ipſam:non per motum localem:quia talis motus non competit animæ. Item, quod mouetur localiter dimittit alium locum;& ſic oportet,quod anima tendens ad manum uiuificandam, dimitteret alias partes,quas ante uiuificabat, quod eſt inconueniens: ergo relinquitur, quòd per extenſionem incipiat uiuificare ipſam manum, quod non poſſet eſſe niſi anima extenderetur: ergo. 8 Ablato eo, in quo eſt tota anima neceſſariò,aufertur anima;ſed ablata una parte corporis,non aufertur anima, ut patet de ſe:ergo non erit tota in qualibet parte; & per conſequens nec in aliqua aliarum. 9 Sic; ſi anima eſſet tota in qualibet parte corporis; ſequeretur, ꝙ ſimul, & ſemel eſſet in infinitis partibus;& per conſequens in infinitis locis;conſequens eſt falſum:quia repugnat finito eſſe in partibus,ſiue locis infinitis. Conſequentia patet: quia partes corporis continui ſunt infinitæ ſm Philoſophum. 1. phyſicorum.

*tex.c.17.*

10 Sic, ſi anima eſſet in qualibet parte corporis humani;ſequeretur,quod quęlibet pars hominis eſſet hō; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet:quia, cum hō ſit homo per intellectiuam animam,neceſſariò, ubi eſt tota anima intellectina, illud erit hō, quod eſt impoſsibile.

*Confutatio præmiſſæ opin.*

*Opinio propria.*

ISTA opinio non uidetur mihi uera: ideo teneo concluſionem oppoſitam.ſ. quod anima intellectiua nullo modo ſit extēſa, quod probo aliquibus rōnibus,& auctoritatibus. PRIMO ſic. Si anima intellectiua eſſet quāta uel extenſa; ſequeretur, quod eſſet educta de potentia materiæ; conſequens eſt falſum;immò erroneum:ergo.Conſequentia patet:nam tota cā extenſionis eſt educi de potentia materiæ quantæ,& extenſæ,ut declaratū fuit in ſecūndo articulo huius quæſtionis. SECVNDO. Omne extenſum eſt unum actu,& multa in potentia:hoc.n.intelligimus nomine extenſi:ſicut patet per Philoſophum.2. huius dicentem,quod animalia quædā deciſa uiuunt,tanquam exiſtēte in eis aīa actu una,potentia uero plures. Vnde & cœlum eſt multum in potentia, quātum eſt ex natura quantitatis.Etiam anima equi, & cuiuslibet aialis perfecti eſt multa in potentia, quātum eſt de ſe,quāuis repugnet diuidi ad diuiſionē corporis propter perfectā diſpoſitionem, quā requirit in corpore, ut dictū eſt ſuperius:ſi aūt anima humana ſic eſt uera,quòd nullo mō plures:ergo nec plures in potentia: aliter ſibi de natura ſua non repugnaret diuidi,& per conſequens nec corrūpi,quod eſt falſum.

*tex.c.20.*

TERTIO. Nullum purū ſpirituale pōt eſſe quantum, ſiue extenſum;anima intellectiua eſt purè ſpiritualis: ergo.Minor patet per Beatū Auguſtinum ſuper illo uerbo. Fecit Deus hominem de limo terræ, & ſpirauit in faciem eius ſpiraculum uitæ. Vbi dicit ſpirauit.ſ.ſpiritū, hoc eſt, animā. Et dominus in Euangelio ait. Spiritus quidē promptus eſt,caro aūt infirma. Gloſa ſpiritus.i.anima. Et Apoſtolus inquit. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritū, & econuerſo.

*Gen.2.*

*Math.26.*

*Gal.5.*

Maior probatur ſic. Quandocunque aliquod ſubiectum cōdiuiditur alteri ſubiecto ex oppoſito;quantum paſsio adęquata uni ſubiecto repugnat alteri, tantum econuerſo: ſed ſpirituale,& corporale condiuiduntur ex oppoſito: diuiditur.n.ſubſtantia in corporeum & in incorporeū, hoc eſt,in ſpiritualem,& in corporalem: ſed eſſe extenſum,ſiue corporeum eſt paſsio adæquata ſubſtantiæ corporeæ: incorporeitas.n.eſt paſsio adæquata ſubſtantiæ ſpiritualis:ergo quantum repugnat ſubſtantiæ corporali incorporeitas, tantum repugnat ſubſtantiæ ſpirituali eſſe corporeū ſiue extenſum: ſed incorporeitas,ſiue incorporeū totaliter repugnat enti corporali ergo eſſe corporeum,& extēſum totaliter repugnabit enti ſpirituali cuiuſmodi eſt anima intellectiua. QVARTO. Nullum ſupra ſe conuerſiuum poteſt eſſe extenſum;ſed anima rōnalis conuertitur ſupra ſe ipſam: ergo. Maior ponit Proclus propoſitiōne.xv. Vbi dicit,quod omne ſupra ſe conuerſiuum eſt ſimplex,& impartibile. Minor ēt patet per eundem propoſitione eadem. Intelligit enim animam ſe ipſam,& uult ſe ipſam. QVINTO. Si anima intellectiua eſſet extenſa;ſequeretur,quod intellectus non eſſet immixtus,& immaterialis,cōſequēs eſt falſum,& contra Philoſophum 3. huius:ergo. Conſequentia patet,quia anima nō dicitur immaterialis:quia non componitur ex materia: ſic.n omnis forma eſſet immaterialis. Nec ēt dicitur immaterialis, quia non eſt in materia:quia hoc eſt falſum. Dicitur ergo immaterialis: quia non afficitur accidentibus, quæ ſequuntur compoſita ratione materiæ, & per conſequens non extenditur extenſione materiæ. Secundo,quia quantitas eſt materialius, & corporalius accidens omnibus aliis accidentibus;& per conſequens,quòd afficitur quantitate,magis eſt corporeum,& corporale,& materiale,quàm quod afficitur aliis accidentibus:ſed ſi anima afficeretur albedine,eſſet alba:totaliter eēt materialis,& corporalis;ergo multo fortius hoc haberet,ſi afficeretur quātitate,& eſſet extenſa. SEXTO; Si anima intellectiua eſſet extenſa cum corpore; ſequeretur, quod intellectus noſter coarctaretur ad cognoſcendum ſola particularia; conſequens eſt falſum:ergo. Falſitas conſequentis patet:quia ſi intellectus,ſic eſſet arctatus, intellectus nō eſſet intellectus; immò magis ſenſus,nā per hoc præcipuè cognoſcitur differentia inter intellectum,& ſenſum. Conſequentia patet,quia illud,quod eſt extenſum,nullo modo abſtrahit ab hic, & nunc; & per conſequēs quicquid recipit,particulariter recipit:ergo.

*tex.c.6.*

HAEC CONCLVSIO cōfirmatur per Beatum Auguſtinum lib. de ſpiritu,& anima,ubi dicit ſic. Nunc deus ubique eſt totus in toto orbe,& in omni creatura ſua: ſic aīa ubiq; eſt tota in toto corpore ſuo, & in omni parte ſua tāquā in quodā mundo. Item Anſelmus dicit, quod anima eſt in qualibet parte tota: uult.n.quod anima, & quilibet ſpiritus creatus ſit circunſcriptus, inquantum nō poteſt eſſe ubique;ſicut deus incircumſcriptus, inquantū totus pōt eſſe in toto uno corpore, & in qualibet parte totus. Item idem dicit Beatus Auguſtinus in quodam ſermone de imagine;ſicut dictum fuit in præcedenti auctoritate.

*Confirmatio auctoritatibus Sanctorum.*

*Proſol. ca. 13.*

*cap.6. Tom.3.*

RESTAT reſpōdere ad rationes alterius opinionis. Ad primum cum dicitur,quod omne ſubiectum afficitur ſuo accidēte,&c. Dico,quod ſubiectū informari aliquo accidente pōt intelligi dupliciter. Vnō mō,ꝙ informetur rōne utriuſque partis. Alio mō,ꝙ informetur tantūmodo rōne alterius partis;ſicut ſuperius fuit oſtēſum. Si primo mō informetur;uera eſt propō:eo mō,quo aſſumitur. Si aūt ſecundo mō, non oportet,ꝙ illud,quod cōpetit toti,uerè dicatur de parte, niſi illa ratione,quā competit ipſi toti. Vnde ſi animal ſit album; non ſequitur,quod anima ſit alba:quia albedo non competit animali rōne utriuſque partis & iō cum compoſitum ſit ſubiectum quantitatis, & informetur ea ſolum ratione alterius partis, ut dictū fuit ſuperius, nō oportet,quod anima extendatur, & ſit quanta; ſed ſolū materia.

*Solutio rationum præcedentis opinionis.*

*Articulus 2. huius. q.*

teria, PROBATIONES autẽ minoris non ſunt contra me; concedo enim, quòd quãtitas ſit propria paſſio corporis de genere ſubſtantiæ non tamen ratione utriuſque partis, ſed tantum ratione alterius partis.ſ. materiæ. SECVNDA etiam probatio non facit ad propoſitum: nam ſiue quantitas præcedat formã ſubſtantialem, ſiue non: ſufficit mihi, quod informet compoſitum ratione materiæ; & non ratione utriuſque partis, ut declaratum eſt ſuprà. Ad ſecundum, cum dicitur, quicquid recipitur in aliquo, &c. Dico, quòd non eſt propoſitio ita intelligẽda, quòd receptum ſpolietur omni modo proprio, & cõſequatur omnem modum recipientis. Iſte intellectus euidenter eſt falſus, ſed debet illa propoſitio ſic intelligi, ſilicet, quod receptum conſequitur modum recipientis, ad quem eſt in potentia: uel qui ſibi non repugnat ex natura ſua. Vnde aqua bene recipit figuram uaſis: quia ſibi non repugnat recipere talem modum; ſed non recipit colorẽ ipſius: quia color uaſis ſibi repugnat, & ad eum non eſt in potentia aqua; ſimiliter dicendum eſt de anima intellectiua: ſibi enim intrinſicè, & de natura ſua repugnat extendi: quia eſt ſubſtantia purè ſpiritualis, nec educta de potentia materiæ. Et ideo poſito, quòd anima recipiatur in materia quanta; non oportet, quòd ipſa ſit quanta, ſiue extenſa. Ad tertium dico, quòd hominem eſſe per ſe quantum, ſiue extenſum, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd ſit per ſe quantus ratione utriuſque partis. Alio modo, quòd ſit per ſe quantus ratione alterius partis; ſi primo modo intelligitur: concedo, quod homo non eſt per ſe quantus, ut patet in ſolutione primi argumenti. Si uerò ſecundo modo: nego conſequentiam. Ad probationem, cum dicitur, quod quicquid conuenit homini per ſe, competit ſibi per formam, per quã eſt homo. Dico, quòd uerum eſt, ſi competit ſibi ratione utriuſque partis: nam, quod ſic conuenit alicui, principalius conuenit ſibi per formam, quàm per materiam. Sed non habet ueritatem, ſi ſolum competit ſibi ratione alterius partis, ut puta, ratione materię, quod non ſic conuenit toti, ſolum conuenit per materiam: & quia ſic eſt de quantitate: ideo non concludit. Ad quartum, conceſſa forma rationis, dico, quòd potentiæ organicæ, quæ ſunt in determinata parte corporis, & non in qualibet, non ſunt proprietates animæ; ſed totius compoſiti. Vnde anima ſeparata non habet propriè illas potentias: non.n.eſt in ea uiſus, nec auditus propriè, nec formaliter: & ideo non oportet, quòd ubi ſit tota anima ibi ſint omnes potentię. Ad quintum dico, quòd aliud eſſe in aliquo poteſt intelligi dupliciter, uel tripliciter: nam multiplex eſt modus eſſendi in. Ad præſens tamen aliquid eſt in aliquo, ſicut locatum in loco: uel ſicut forma in materia. Maior propoſitio habet ueritatem in his, quæ ſunt in aliquo, ſicut locatum in loco: illud enim, quòd ſecundum ſe totum eſt in loco, ſecundũ nihil ſui eſt extrà locum: ſed nõ habet ueritatẽ de his, quæ ſunt in aliquo ſicut forma in materia; uel ſicut ſuperius in inferiori: homo.n. totaliter, & perfectè eſt in quolibet particulari homine: quia licet ſuperius contrariatur ad inferius; nõ tamen diuiditur, ut dictũ eſt ſupra in primo articulo quæſtionis, & tamen non ſequitur, quod ſecũdum nihil ſui ſit in aliquo particulari; immò in quolibet particulari homine reperitur totaliter, Sic eſt ergo in propoſito: & ideo iſta Maior non eſt uera, niſi cum additione, ut puta, ſi dicatur: illud, quòd ſecundum ſe totum eſt in aliquo, tanquàm in proprio, & totali perfectibili, ſecundum nihil ſui eſt extra illud: & tunc conceditur propoſitio. Sed non facit ad propoſitũ: anima.n. hoc modo ſolum eſt in toto corpore: & ideo bene uolo, quod extra totum corpus nihil ſit animæ.

Ad ſextum, cũ dicitur, quod impoſsibile eſt, quod idem moueatur, &c. Dico, quòd anima nõ mouetur per accidens ad motum partis; ſed ſolum ad motum totius: & ideo ratio non conuincit. Vel dicendum, quod mouetur per accidens ad motum partis; & quieſcit per accidens ad quietem partis: quieſcere autem per accidẽs & moueri per accidens non opponuntur: ſed quieſcere per ſe, & moueri per ſe opponuntur. Ad ſeptimũ, cũ dicebatur, ſi aliquis naſceretur ſine manu, &c. Dico, quod in illa manu eſſet anima, quæ præexiſtebat in toto corpore; non tamen per extẽſionem, nec per motum localem ſui; ſed per unionem, & contractionem partis ad totum; ſiue per motum alterius ſcilicet totius. Vnde illa propoſitio ſolum habet ueritatẽ in his, quæ ſunt in aliquo, tanquàm in loco; non autẽ in his, quæ ſunt in aliquo, ſicut forma in materia. Vel ſicut ſuperius in inferiori, & uniuerſaliter iſta propoſitio ẽ falſa in formis, quæ non extenduntur cum corpore, in quo ſunt: ſicut apparet euidenter in luce: nam ſicut ad diuiſionem corporis, in quo eſt lux, non diuiditur ipſa lux; ſed tota remanet in parte remanente: ita ad augumentum nouæ partis non ſequitur, quod lux augumentetur, extendatur, uel localiter moueatur; ſed ſolum requiritur unio, & contractio partis ad totum: & ita eſt de anima. Sicut.n. deciſa parte, anima deſinit eſſe in illa abſque motu locali: ſic addita parte, incipit ibi eſſe abſque motu locali. Sicut etiam accidit nutrimento: quare, &c.

Ad octauum, cum dicitur, ablato eo, in quo anima eſt tota, &c. Dico, quod illa propoſitio ſolum habet ueritatem in his, quę ſunt in aliquo, ſicut locatum in loco: non autem in his, quæ ſunt in aliquo, ſicut forma in materia; uel ſicut ſuperius in inferiori: amoto enim Sorte, non amouetur homo ſimpliciter: quia non ſolum eſt in illo; ſed in omnibus aliis; haberet tamen iſta Maior ueritatem cum additione, ſi dicatur, ablato eo, in quo ſolo eſt anima, aufertur anima: tunc non eſt ad propoſitum: quia illud, in quo ſolo eſt anima, non eſt pars; ſed totum. Ad nonum, cum dicitur, quòd ſi anima eſſet tota in qualibet parte, ſequeretur, quòd eſſet in infinitis partibus. Qui uellet tenere, ꝙ cõpoſitũ eſt cõtinuũ ex indiuiſibilibus, & reſoluitur in indiuiſibilia: ratio nihil concluderet; immò aſſumeret falſum: ſed quia hæc uidetur fuga. Dico ad rationẽ, quòd quàmuis in cõtinuo non ſit dare minimam partem ſecundum quantitatem; eſt tamen dare minimam partem naturaliter, ſiue ſecundum ſpeciem: ſicut patet per Philoſophum. 1. Phyſicorũ. *tex.c.39.* Et quia anima non informat partes, ut quantas; ſed magis, ut naturales: idcircò non ſequitur eſſe in partibus infinitis. Vel poſſet dici, quòd eſt aliquod inconueniens animã eſſe in infinitis partibus in actu: non ſic ut infinitæ partes in potentia, ſecundum Ariſtotelẽ *3. phyſic. tex.c.39.* non arguũt continuum eſſe infinitum: ita etiam eſſe in infinitis partibus in potentia, non arguit animam eſſe infinitam. Ad ultimum, cum dicitur, quòd ſequeretur, quòd quælibet pars hominis eſſet homo. Nego conſequẽtiam: quia licet anima ſit tota in qualibet parte eſſentialiter; non eſt tamen in qualibet parte potentialiter: ſicut patet in ſolutione quartæ rationis. Modo anima totalitate potentiali facit totum animal, uel totã plantam, uel totum hominem. Vel poteſt dici, quòd nõ ſequitur, quàmuis anima tota ſit in qualibet parte corporis humani; non tamẽ quælibet pars corporis humani eſt hõ: quia licet tota aĩa ſit in qualibet parte; non tamẽ eſt ſic in eo, quod primo perficit, & informat. Primo.n. perficit, & informat cõpoſitum: & quia partes ſunt in toto; ſecũdario perficit ipſas partes in ordine ad totũ: ad hoc aũt, quod aliquid ſit aĩal, uel hõ; oportet, ꝙ ſit primum perfectibile ab aĩa. *Aegid. 1. ſent. d. 8. q. 3.* & ideo non oportet, quod pars animalis ſit aĩal; ſiue pars hominis ſit homo: patet igitur, &c. AD RATIONES principales.

Ad primum, cũ dicitur in Minori, &c. Quicquid ſit de ea, dico ad Minorem, quòd anima intellectiua nõ eſt immediatum receptiuum quantitatis; nec ratio receptiua ipſius: ſicut patet in primo articulo. Ad probationem, cum dicitur, quandocũque aliqua contraria, &c. Dico, quòd uerum eſt, ſi illud ſm. ſit mediũ inter tertium, & primum, quod ſit ratio receptiua tertii in primo. Et ſic patet per exemplum poſitũ. Si autem ſm non ſit ratio receptiua tertii; ſed ſolum præcedat ipſum in primo; non oportet. Vnde, quàmuis anima præcedat



albedinem in compoſito: non tamẽ eſt alba: quia nõ eſt ratio receptiua albedinis; ſic eſt in propoſito; quia ſiue quantitas præcedat formam ſubſtantialem in materia, ſiue econuersò, ut aſſumitur in arguendo; forma tamen ſubſtantialis non eſt ratio receptiua quantitatis, ut declaratum eſt: ergo non conuincit. Ad ſm dicendum, quod uegetatiua, & ſenſitiua, ut ſunt diſtinctæ ab anima intellectiua, ſecundum quem modum non cõtinentur in ea, ſic non repugnat eis extendi: quia educuntur de potentia materię; quemadmodum aliæ formæ materiales: inquantum uerò continentur in intellectiua, & ſunt ab ea indiſtinctæ, nullo modo extenduntur, nec per ſe, nec per accidens; ſicut nec ipſa anima intellectiua, in qua continentur: ergo, &c.

## QVAESTIO III.

### An Anima intellectiua diſtinguatur realiter à ſuis potentijs?

CONSEQVENTER Quęritur. Vtrũ anima intellectiua diſtinguatur realiter à ſuis potentiis? Et uidetur, quod non. 1 Anima intellectiua eſt immediatum principium ſuæ operationis propriæ: ergo non diſtinguitur realiter à ſuis potentiis: Conſequentia nota eſt. Antecedens probatur: quia ſi anima nõ poſſet eſſe principium ſuarum operationum, niſi mediante potẽtia aliqua diſtincta à ſe realiter; pari ratione non poſſet eſſe principium ſuarum potentiarum, niſi mediante quadã alia uirtute, uel potentia: & ſic eſſet proceſſus in infinitum in uirtutibus, ſiue potentis, quod eſt inconueniẽs: ſtandum eſt ergo in primo.ſ. quòd poſsit eſſe principiũ immediatum ſuæ operationis. 2 Si illud, quod magis uidetur ineſſe nõ ineſt, nec illud quod minus; ſed magis uĩ, qđ anima ſenſitiua diſtinguatur realiter à ſuis potentiis, quàm intellectiua; & tamen nõ diſtinguitur: ergo. Aſſumptum probatur quia ſecundum Philoſophum ſecundo de anima. *tex.c.9.* Si oculus eſſet animal, potentia uiſiua eſſet anima eius, ſiue forma: quòd non eſſet uerum, niſi anima eſſet idem, quod potentia uiſiua: ſi enim potentia uiſiua eſſet quoddam accidens ſuperadditum animæ, Philoſophus male argueret: quare, &c.

IN CONTRARIVM arguitur, Quia omnis effectus immediatus aſsimilatur ſuæ cauſæ: agens enim ſemper intendit ſibi aſsimilare paſſum; ſed effectus immediatus potentiæ intellectiuæ eſt accidẽs, puta, actus intelligendi: ergo potentia intellectiua erit accidens: ſi autem ſic; ergo realiter diſtinguetur ab anima; ſicut accidens à ſubſtantia. In iſta quæſtione tria ſunt uidenda.

Primum eſt in generali. Vtrum forma ſubſtantialis poſsit eſſe immediatum principium ſuæ operationis? Et hoc uidetur tangere primum argumentum.

2 Vtrum anima uegetatiua realiter diſtinguatur à ſuis potentijs? Et hoc tangit ſecundum argumentum. 3 Quod quærit quæſtio principalis.

#### ARTICVLVS PRIMVS.

*Opin. Scoti 4. ſent. diſt. 12. q. 3. Ioan. Bac. 2. ſent. diſtin. 37. q. 5. ar. 2.*

QVANTVM ad primum, dicũt multi doctores, quòd forma ſubſtantialis poteſt eſſe immediatum principium ſuæ operationis: nam, cum hoc competit formæ accidentali multo fortius competet formæ ſubſtantiali, quod uerè dicunt: quia ſicut alteratio elicitur immediatè à forma accidentali; ita & generatio, quæ dicit ſimplicem mutationem, eſt immediatè à forma ſubſtantiali: ſic, quòd in tali actione non mediat in ratione inſtrumenti forma accidentalis. Hæc autem concluſio ex dictis eorum probatur quadrupliciter. PRIMO ſic. 1 In eſſentialiter ordinatis, ſicut infimum, medium, & ſupremum. Quicquid competit in fimo, & ſuppremo, debet etiam competere medio; ſed forma accidentalis, & forma ſubſtãtialis, & deus ſunt ad inuicem ordinata, ſicut infimum, medium, & ſuppremũ; & ipſi deo competit agere immediatè per eſſentiã ſuam; aliter eſſet compoſitus: forma accidentalis ẽt habet hoc idem: aliter eſſet proceſſus in infinitum in formis accidentalibus: ergo agere immediatè neceſſariò debet competere formæ ſubſtantiali, cum teneat mediũ inter iſta.

ET Confirmatur iſta ratio. Quia illud, quod conuenit perfectiſsimo enti, quale eſt deus, magis debet cõpetere ei, quod magis appropinquat ipſi deo, quàm ei, quod magis diſtat ab eo; ſed deus per ſe ipſum immediatè, & ſua eſſentia eſt ſibi ratio agendi, ut dictum eſt, cum ergo hoc competit calori ſe ipſo agere: quia non agit mediante alia forma, multo fortius debet competere formæ ſubſtantiali, quæ propinquior eſt deo, quàm ſit calor: quare &c. 2 Quandocunque aliqua ſunt eſſentialiter ordinata, ſicut ſuperius, & inferius; ſicut magis perfectum, & minus perfectum: quicquid eſt perfectionis in inferiori, & minus perfecto; totum illud eſt in ſuperiori, & magis perfecto: aliter magis perfectum eſſet minus perfectũ, quod eſt oppoſitum in adiecto; ſed forma ſubſtantialis, & forma accidentalis, ſic ſunt ad inuicem ordinata, quòd forma ſubſtantialis eſt ſuperior, & perfectior forma accidentali; & formæ accidentali cõpetit eſſe immediatum principium ſuæ actionis, ut probatum eſt in prima ratione, ergo multo fortius debet hoc competere formę ſubſtantiali. 3 Quando ex aqua debet generari ignis, uel forma ſubſtantialis ipſius ignis, inducit formã ſubſtãtialem in materia aquæ, uel ipſe calor, qui eſt forma accidentalis eius. Non poteſt dici ſecundum: ergo primum. Aſſumptum probatur: nam ſi calor ignis inducit formam ſubſtantialem in materia aquę, aut hoc facit propria uirtute, aut uirtute alterius. Non uirtute propria: quia tunc ageret ultra ſuam ſpeciem. Nec uirtute alterius, utpotè, uirtute formæ ſubſtantialis eius.ſ. ignis: quia nihil agit uirtute alterius, niſi quia motum ab eo ſit; ſicut ſecuris mouetur à Carpentario, uel niſi recipiat aliquam uirtutẽ ab eo; ſicut agentia naturalia dicuntur agere uirtute dei: quia recipiunt ab eo proprias formas, & uirtutes, per quas agunt. Calor aũt non recipit ignis mutationem, ut patet de ſe, nec etiam uirtutem aliquam: quia tunc de illa uirtute, cum eſſet accidens, quęreretur ſicut de calore; & ſic eſſet proceſſus in infinitum: non igitur agit calor in uirtute formę ſubſtantialis ignis: ergo relinquitur, quòd forma ſubſtantialis ignis immediatè inducat formam ſubſtantialem in materia aquæ. 4 Omne agens aſsimilat ſibi paſſum: cum ergo ignis calefaciat, & igniat, calefacere erit à calore; ignire, uel generare ignem; ſeu inducere formam ſubſtantialem ignis in materia aquæ, uel alterius, erit à forma ſubſtantiali ipſius ignis. Et poteſt ſic formari ratio. Illud eſt principium immediatum actionis, in quo generans aſsimilatur genito: & præcipuè in generatione uniuoca; ſed in tali generatione generans aſsimilatur genito in forma ſubſtantiali: forma igitur ſubſtantialis erit immediatum principium actionis. HANC AVTEM opinionem ad præſens, non teneo: non enim uidetur mihi dictis Philoſophorum conſona. *Confutatio prædictæ opinionis.* Arguo igitur contra eam quatuor rationibus. 1 Sic. In eſſentialiter ordinatis non eſt tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium, ſed iſta tria ſe habent per ordinem, ſ. ens per ſe ſtans, accidens manens, & accidens fluens: ergo impoſsibile eſt tranſire ab ente per ſe ſtante ad accidens fluens, niſi per accidens manens, quod eſt medium inter iſta duo: cum ergo actus, ſiue operatio ſit accidens fluens; & forma ſubſtantialis per ſe ſtans, & ipſa potentia, ſiue forma inhærens rei ſit accidens permanens: forma ſubſtantialis non poterit agere, ſiue operari, niſi mediãte forma accidentali, ſiue potentia, quæ medium eſt inter iſta: ſicut accidens permanens inter per ſe ſtans, & accidens fluens. Maior, & Minor uidentur notæ de ſe: & per conſequens tota ratio. Hãc rationem tangit do-

ctor noſter quodlibet.3. quæſtione decima. ET IDEO confirmo eam ſic. Accidens uariabile ſemper eſt in ſubiecto mediante accidente inuariabili. Exemplum de motu, qui eſt in mobili per quantitatem ſed actus ſiue operatio eſt accidens uariabile, & in eſt mediante potentia: ergo potentia erit accidens inuariabile, & forma ſubſtantialis per conſequens non erit immediatum principium ſuæ actionis: quia mediabit potẽtia, quæ eſt accidens quoddam, & inuariabile.

2 Sic, omne inſtrumentum, inquantum inſtrumentum eſt, habet aliquam operationem, quæ ſibi non conuenit, ut res eſt; ſed calor eſt inſtrumentum ignis, & calefacere, & alterare competit ſibi ut res eſt: quia competunt ſibi, ut res, calor eſt: ergo aliqua alia operatio cõpetit ſibi, ut inſtrumentum eſt; ſed exceptis iſtis, ignis nullam aliam habet operationem, niſi generare ignem, ſiue inducere formam ſubſtantialem ignis in materia: ergo generatio ſubſtantię, ſiue inducere formam ſubſtãtialem in materia competit calori, ut inſtrumentum eſt ignis. Maior, & Minor patent. 3 Inter agens, & patiens debet eſſe contactus: ſi ergo ignis per ſuam formam ſubſtantialem cauſaret ignem in aqua immediatè, aut tangeret aquam per ſuam formam ſubſtãtialem immediatè in tali generatione tactu mathematico uel tactu eſſentiali, uel phyſico, & naturali. Non tactu mathematico: quia talis contactus non eſt inter res naturales, nec etiam ad talem ſequitur actio aliqua. Nec poteſt dici, quod inſit contactus eſſentialis: quia forma, quę eſſentialiter tangit aliqua materiam informat eam: forma autem agentis non informet materiam paſsiuerit ergo ibi contactus naturalis, & phyſicus, ſed talis contactus non eſt ſine qualitatibus actiuis, & paſsiuis: in tali ergo generatione, cum agunt accidentia non principaliter; ergo inſtrumentaliter. 4 Omne agens habet potentiam, per quam agit; aliàs non poſſet agere; ſed potentia nec eſt operatio, nec forma agentis: ergo. Maior patet. Minor probatur; quia, quod eſt accidens in uno

*tex.c.27.*

non poteſt eſſe ſubſtantia in alio. 1. Phyſicorum; ſed potentia agendi, uel patiendi eſt accidens de ſecunda ſpecie qualitatis: ergo talis non poterit eſſe ſubſtantia in aliquo. ET CONFIRMATVR iſta poſitio per Philoſophum & Commentatorem: Commentator

*Com. 31.*

enim in.7. Metaphyſicæ expreſsè dicit, quod nulla forma ſubſtantialis eſt immediatum principium ſuæ operationis: & Philoſophus in libro de ſenſu, & ſenſato dicit,

*Cap.2. circa medium.*

quod ignis, & quodcunque aliud ſecundum illud quod eſt, eſſentialiter non eſt natum agere, uel pati; ſed ſecundum quod habet contrarietatem ſecundum formas accidentales. Et ex iſta auctoritate poteſt formari ratio talis. Illud, quod non agit niſi mediantibus qualitatibus actiuis, & paſsiuis, non eſt immediatum principium ſuæ operationis; ſed formam ſubſtantialis quæcunque, eſt huiuſmodi: ergo Maior patet de ſe, Minor patet per auctoritatem prædictam. RESTAT reſpondere

*Solutio rationum alterius opinionis.*

ad rationes alterius opinionis. Ad primum cum dicitur, quod in eſſentialiter ordinatis ſicut infimum, mediũ & ſuppremum &c. Dico, quod deo competit, quod ſit ratio agendi ſibi ipſi, & non alteri: eſt enim agens. i. ratio agendi ſibi ipſi, & non alteri: quia ſe ipſo, & nullo fieri addito, agit: hoc autem non competit formæ accidentali: non enim eſt ratio agendi ſibi, ſed alteri: calor enim non eſt ratio agendi ſibi; ſed igni: Primum iſtorum dicit perfectionem ſimpliciter, quæ non poteſt competere alicui creato, Secundum uerò magis imperfectionẽ dicit: quod enim ſic eſt ratio agendi, eſt accidens alteri, ut qualitas. Et ideo formæ ſubſtantiali; quia tenet medium, nec debet competere unum iſtorum, nec reliquũ; ſed tenebit medium: quia non aget ſe ipſa: quia hoc ſolum competit deo naturaliter: nec eſt immediata ratio agendi alteri: quia hoc competit accidenti; ſed eſt principalis ratio agendi ſuppoſito. Et hoc eſt proprium ſibi & per hoc patet reſponſio ad confirmationem: procedit enim ratio cum confirmatione ex falſo fundamento nam præſupponit, quod immediatè agere eodem modo competat deo, & accidenti, quod eſt falſum: ſicut patet ex dictis. Ad ſecundum, cum dicitur. Quandocunque aliqua ſunt eſſentialiter ordinata, &c. Quicquid ſit de propoſitionibus in ſe: dico, quod eſſe immediatum eo modo, quo eſt forma accidentalis, non dicit perfectionem; immò magis imperfectionem, ut dictũ eſt, & ideo non oportet, quod hoc competat formę ſubſtantiali; ſed erit ratio agendi principalis ipſi ſuppoſito, & dicit perfectionem multo maiorem, quàm agere ut immediatũ, ſiue ut inſtrumentum alterius, quod competit accidenti. Ad tertium dico, quod calor uirtute formæ ſubſtantialis ipſius ignis generat ſubſtantiam. Et cum dicitur, quod omne inſtrumentum agens uirtute alterius, recipit ab eo motum, uel uirtutem aliquam. Dico, quod uerum eſt de inſtrumento ſeparato; ſed non habet ueritatem de inſtrumento coniuncto: & ideo tribuit ſubſtãtia ſe ipſam: quia calor fortius poteſt agere coniunctus eſſentiæ ipſius ignis, quàm ſeparatus ab ea; etiam ſi recepiſſet ab ea aliquam uirtutem, ſiue motionem extrà.

Ad quartum concedo, quod omne agens intendit aſsimilare ſibi paſſum, ſed nõ ſequitur propter hoc, quod omne agens agat immediatè: nam ita bene agens poteſt aſsimilare ſibi paſſum: poſito, quod forma ſubſtãtialis non ſit immediatum principium ſuæ operationis, ſicut ſi eſſet immediatum principium. Et cum dicitur ulterius, quòd ignis calefacit, & ignit: dico, quòd totum hoc facit per calorem: & iſta actio non egreditur immediatè à forma ſubſtãtiali ignis, ſicut patet per Cõmentorem, 7. Metaphyſicæ. Dico ergo, quòd calor, &

*Com.31.*

calefacit, & inducit formam ſubſtantialem ignis, ſed calorem inducit ſecundum ſe, formam autem ſubſtantialem, ut eſt inſtrumentum alterius, ſiue organum formę ſubſtantialis. Et quòd non oporteat dicere, quòd forma ſubſtantialis inducit formam ſubſtantialem, & calor calorẽ, patet, quia ſi eſſent ſic diſtinctæ iſtæ actiones, nunquàm generaretur ignis; niſi ab igne. Et ab eo, ubi non eſſet forma ſubſtantialis ignis, nunquàm generaretur ignis, cuius contrarium patet: nam ſi fiat exceſſus in calore, ex nimio tali exceſſu generatur ignis: non ergo ſolum generatur ignis ab igne; ſed etiam à motu: calor ergo eſt organum ignis, in quocunque ſit, ſiue ſit in igne, ſiue non. Et ad confirmationem huius rationis dico, quod agens principaliter intendit ſibi aſsimilare in eo, quod eſt principale principium actionis, & ex conſequenti in principio immediato. Et hæc de principali.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT nunc uidere. 2 Vtrum anima ſenſitiua, & uegetatiua diſtinguãtur realiter à ſuis potentiis? Ad quod reſpondent aliqui doctores dicentes, quod anima ſenſitiua, & uegetatiua identificant ſibi ſuas potentias realiter. quod probãt primo de potentiis animæ uegetatiuæ in ſpeciali: deinde probant hoc idem de potentijs uegetatiuę & ſenſitiuæ ſimul. PRIMVM probant ſic. Simile eſt iudicium de generatione in rebus inanimatis, & de nutritione, & augmentatione, & generatione in rebus animatis, ſiue uiuentibus; ſed immediatum principium generationis in rebus inanimatis eſt forma generantis: ergo immediatũ principium nutritionis, augmentationis, & generationis in rebus animatis, ſiue uiuentibus erit ipſa, uidelicet forma ſubſtantialis realiter uiuentium; & per conſequens anima uegetatiua non diſtinguitur realiter à ſuis potentiis. Maior eſt nota de ſe: nam non eſt minoris perfectionis forma corporis animati, quàm forma corporis inanimati: & ideo quantum ad hoc ſimile iudicium eſt de eis. Sed Minor probatur, quantum ad rationes adductas in primo articulo, & præcipuè per tertiũ, & quartum. ET CONFIRMATVR iſta minor una ratione tali. Agens, & patiens debent eſſe proportionata, ſed paſsiuum formæ ſubſtantialis excludit omne accidens in patiendo: ergo actiuum excludit omne accidens



accidens in agendo; & per conſequens agit immediatè. Maior patet. Minor probatur: quoniam actio formæ ſubſtantialis eſt introductio formæ: paſsiuum autem talis actionis eſt ſola materia; inter materiam & formã, quę introducitur, nihil mediat. SECVNDVM probant tripliciter. 1 Sic. Anima eſt principium, quo

*tex.c.24.*

uiuimus, & ſentimus, ſecũdo huius; ſed principiũ, quo uiuimus & ſentimus eſt potẽtia uegetatiua, & ſenſitiua: ergo &c. 2 Sic, Sicut ſe habet materia ad pati, ita forma ad agere, & ſpecialiter iſta propoſitio uidetur habere ueritatẽ in formis omnino materialibus, cuiuſmodi ſunt anima uegetatiua, & ſenſitiua; ſed ita ſe habet materia ad pati, quod ſua eſt potentia, per quam patitur, ſicut patet per Commentatorem inde ſubſtantia orbis dicentẽ

*Cap.2.*

quòd materia ſubſtãtiatur per poſſe: ergo forma erit ſua potentia, per quam agit: erunt igitur anima ſenſitiua, & uegetatiua idem realiter cum ſuis potentijs. 3 Anima ſenſitiua, aut ſenſitiua eſt per ſe, aut per accidẽs: non per accidens: ergo per ſe; & per conſequens eſt ſua potentia: & eodem modo intelligendo eſt de uegetatiua. Maior probatur: quia differentia conſtitutiua alicuius ſpeciei ſumitur à forma, & nõ ab aliquo accidẽte, ſed ſenſitiuũ eſt differẽtia cõſtitutiua animalis: ergo ſumitur à forma ſubſtantiali ipſius animalis; ſed forma animalis eſt anima ſenſitiua: ergo &c. ET CONFIRMATVR, quia differentia de prædicamento ſubſtãtiæ non poteſt eſſe accidens: quia differentia eſt de intrinſeca ratione conſtituti: nullum autem accidens eſt de intrinſeca ratione ſubſtantiæ; ſed ſenſitiuum eſt differentia de prædicamento ſubſtantiæ: ergo &c.

*Confutatio opinionis præmiſſæ.*

HAEC autem opinio non uidetur mihi uera: nam quicquid ſit de potentijs animæ intellectiuæ, quæ non requirunt organum in corpore, in ſequenti patebit articulo, potentiæ tamen animæ uegetatiuę, & ſenſitiuę neceſſariò diſtinguntur ab anima, quod probo quadrupliciter. 1 Sic, Paſsiua potentia, & actiua non poſſunt fundari in eadem eſſentia animæ per identitatẽ realem: hæc patet, quia tunc actiuum, & paſsiuum eſſent idem realiter; & unum idem ſecundum idem eſſet actiuum, & paſsiuum realiter, quod eſt impoſsibile. Quod patet per ſyllogiſmum expoſitorium, ſi arguitur ſic. Hæc eſſentia animæ eſt hæc potentia actiua; ſed hæc eſſentia animæ eſt hæc potentia paſsiua: ergo hæc potentia paſsiua eſt hæc potentia actiua: eſt igitur uera iſta Maior propoſitio; ſed potentiarum animæ, quædam ſunt actiuę, ut uegetatiuæ: quædam paſsiuæ, ut ſenſitiuæ; ſicut patet ſecundo de anima; ergo non poſſunt in aliquo fundari per idemptitatem realem; & per

*tex.c.77.*

conſequens diſtinguuntur realiter ab anima. 2 Potentia uiſiua, & potentia auditiua ſunt duæ potentiæ inter ſe diſtinctæ realiter: ergo non identificantur realiter eidem eſſentiæ animæ. Probatur antecedens, & conſequentia. Antecedens probatur ſic. 1 Potentiæ habentes diſtinctos actus realiter diuerſarum rationum, neceſſariò ſunt diſtinctæ realiter: hæc patet, nam ſicut actus diſtinguuntur per obiecta: ſic etiam potentiæ per actus, ſecundo de anima: ſed potentia uiſiua, & au-

*tex.c.33.*

ditiua habent diſtinctos actus realiter diuerſarum rationum, ſicut uidere, audire: ergo. 2 Illę potentiæ diſtinguuntur realiter, quarũ una exit in actum ſibi aptũ, & proportionatum, alia non exeunte: ſed potentia uiſiua poteſt uidere, auditiua potentia non audiente, nec exeunte in actum: ergo &c. Minor eſt nota de ſe. Maior probatur: nam aliàs una, & eadem potentia eſſentialiter exiret in actum realiter, & non exiret in actum realiter, quod implicat contradictionem. Patet igitur antecedens. Conſequentia probatur: quia quæcunque uni, & eidem ſunt eadem, inter ſe ſunt eadem: ſi ergo quęcũque potentia eſſet eadem realiter cum eſſentia ipſius animæ, omnes potentiæ eſſent eædem realiter inter ſe. Arguitur à deſtructione conſequentis. Potentiæ animæ, ut auditiua, & uiſiua, & ſic de aliis, ſunt realiter diſtinctæ inter ſe: ergo realiter diſtinguuntur ab anima: patet igitur conſequentia. NEC VALET ſi di-

*Inſtantia.*

catur ad iſtam rationem, quòd eo modo aliqua ſunt eadem adinuicem, quo dicuntur eadem uni, & eidem, ſed potentiæ animæ ſunt eędem in tertio, ſcilicet in eſſentia animæ: & ideo ſufficit, quòd ſint eædem ad inuicem in eſſentia animæ, & non aliter. Sicut homo, & aſinus uni, & eidem ſunt eadem, ſ. animali: & ideo ſufficit, quòd ſint eadem in tertio, & non aliter. SED in rei ueritate iſtud non ſoluit rationem: ſequuntur enim ad eadem duo inconuenientia. Primum eſt, quòd de neceſsitate in tali ſyllogiſmo medium intraret concluſionem. Secundum eſt, quòd in iſto principio, per quod roborantur iſti ſyllogiſmi affirmatiui, ſcilicet quę cunque uni, & eidem, &c. eſſet petitio principii.

*Reſponſio.*

PRIMVM patet, nam unum, & idem, cui aliqua dicuntur eſſe eadem, eſt medium, per quod probatur, quòd illa ſint eadem intrinſecè: & ideo ſi illud principium aliquid probat oportet, quòd illa ſint eadem inter ſe, excluſio iſto medio: aliàs iſtud medium intraret concluſionem. SECVNDVM etiam inconueniens ſic patet per iſtam rationem, cum dicitur. Quęcunque uni, & eidem &c. nihil aliud eſſet dictum niſi, quòd illa, quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem tertio, quòd eſt petere principium. Vnde ad tollendum iſta inconuenientia oportet dicere, quod eo modo aliqua ſunt eadem inter ſe, quo modo ſunt eadem alicui tertio, & ſic ſtat ratio noſtra in ſuo uigore.

4 Sic. Quęcunque duo ſic ſe habent, quod unum poteſt corrumpi, alio manente, iſta neceſſariò diſtinguũtur ad inuicem realiter; ſed potentia ſenſitiua, ut puta uiſiua, poteſt corrumpi manente eſſentia animæ ſenſitiuæ: ergo. Maior nota eſt de ſe per primum principium. Minor etiam probatur. Hõ, qui uiuit propter animam, uiuens efficitur cæcus. Tunc arguo ſic. Aut ille efficitur cæcus propter ſolam priuationem actus uidendi, aut per priuationem principij uidendi: quia non poteſt dici, quòd fiat cæcus per priuationem animæ: non poteſt dari primum, ſcilicet, quòd ſit cæcus per ſolam priuationem actus uidendi: quia ſic dormiens eſſet cæcus, quòd non eſt uerum: relinquitur ergo ſecũdum, ſcilicet quòd homo fiat cæcus per priuationem principii uidendi; ſed principium uidendi eſt potentia uiſiua: ergo fit cæcus per priuationem huius potentiæ; & per conſequens talis potentia corrumpitur: patet igitur illa Minor, & per conſequens tota ratio. 5 Si potentię organicæ cuiuſmodi ſunt potẽtiæ ſenſitiuę eſſent idẽ, quod anima; ſequeretur, quòd potentiæ organicæ non eſſent organicæ, conſequens implicat contradictionem: ergo & antecedens. Conſequentia probatur: quia illæ potentiæ, quæ æqualiter perficiunt totum corpus, & quamlibet partem corporis, non ſunt organicæ: patet, nam potentiæ organicæ perfectius perficiunt unam partem, quàm aliam: potentia uiſiua ita perficit oculum, quòd non aurem; ſed ſi potentiæ organicæ eſſent idem, quod anima, æqualiter perficerent totum corpus, & quamlibet partem: ergo non eſſent organicæ. Minor probatur. Eſſentia animæ ſecundum ſe æqualiter perficit totum corpus, & quamlibet partem: ſi ergo potentiæ non dicunt niſi eſſentiam animæ, ęqualiter perficiunt totum corpus, & quamlibet partem, quod eſt falſum.

*Solutio rationum alterius opinionis.*

RESPONDEO ad rationes alterius opinionis. Ad primum, quicquid ſit de maiori, Forte non eſt ſimile, quòd accipit pro ſimili. Nego totaliter minorem, ſicut eã negaui in primo articulo: dixi enim, quòd nulla forma ſubſtantialis poteſt eſſe immediatum principium ſuæ actionis. Ad probationes adductas in primo articulo iam dictum eſt. Ad confirmationem dicitur, quòd agens, & patiens debent eſſe proportionata. Dico, quòd non eſt ſic intelligendum, quòd omnem motum, quem habet patiens in patiendo, habeat agens in agendo: nam ut ſtatim apparebit in ſolutione ſecundæ rationis, quàmuis materia ſit ſua potentia, per quam patitur forma; tamen non eſt ſua potẽtia, per quã agit; ſed debet intelligi, quòd agens, & patiens debent eſſe proportionata, hoc eſt, quòd agens debet eſſe tale in actu,

*tex.c.54.* actu, quale eſt patiēs in potētia. Et hæc eſt intētio Philoſophi in ſecũdo huius, quãdo dicit in illo capitulo determinatis aũt his, ꝙ oĩa patiũtur, & mouẽtur ab actu ente, ut patet per expoſitionẽ doctoris noſtri. Et ideo poſito, quòd paſsiuum formæ ſubſtantialis in patiendo, excludat omne accidens, non propter hoc oportet, quòd actiuum in agendo excludat omne accidens. Poſſet etiã dici ad minorem huius rationis, quòd paſsiuum formæ ſubſtantialis excludere omne accidens poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd excludat omne accidens in principio ante ſpoliationem formæ expellendæ ſic, quòd in paſsione illa attingatur ſecũdum eſſentiã ſuã, a moto omni accidente. Alio modo poteſt intelligi, quòd excludat omne accidens in fine, quando. forma introducenda introducitur in materia. Si primo modo intelligitur, propoſitio eſt expreſsè falſa ſecundum Philoſophũ in deſcenſu, & ſenſuato, qui dicit, quòd ignis, & quodcunque aliud ſecundum illud, quod eſt eſſentialiter nõ eſt aptum natum agere, uel pati, niſi ſecundum *Cap.2.circa medium.* quòd habent contrarietates ſecundum formas accidentales, ut allegatum eſt in primo articulo. Ex qua auctoritate patet, quòd ſicut agens agit mediantibus qualitatibus actiuis, & paſsiuis; ſic patiens patitur mediantibus paſsiuis. Si autem intelligitur propoſitio ſecundo modo; adhuc poteſt negari ab illis, qui dicunt, quòd quantitas præcedit formam ſubſtantialem in materia. Sed ſi concedatur nihil: propter hoc non habetur contra propoſitum principale: nam tunc concedo ſimilitudinem: ſicut enim materia per eſſentiam ſuam, excluſo omni accidente, recipit formam ſubſtantialem; ita à ſimili. Forma per eſſentiam ſuam, excluſo omni accidente, perficit, & informat ipſam materiam. Non tamẽ ſequitur propter hoc, quòd ſit immediatum principium ſuæ operationis: & ideo ratio non concludit.

Ad ſecundum dico, quòd aliquid eſſe principium quo uiuimus, & ſentimus, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd ſit principium quo principale. Alio modo, quòd ſit principium quo inſtrumentale. Si primo modo ſic anima eſt principium quo, & non potentia. Si ſecundo modo, ſic potentia eſt principiũ quo, & non anima. Ad tertium, cum dicitur, quòd ſicut ſe habet materia ad pati, &c. Dico, quòd ly ſicut poteſt eſſe nota æqualis neceſsitatis; uel poteſt eſſe nota æqualis, & omnimodæ ſimilitudinis. Si ſit nota æqualis neceſsitatis, concedo propoſitionem: nam ſicut materia, quæ eſt pura potentia, poteſt pati; ita forma, quę eſt actus poteſt agere. Et ſicut omne, quòd patitur neceſſariò habet materiam, uel aliquid loco materię: ita, quod agit, neceſsariò habet formam, uel aliquid loco formæ, ſcilicet propriæ. Si autem ly ſicut ſit nota omnimodæ ſimilitudinis; ſic propoſitio eſt falſa: non enim eſt omnimodè ſimile de potentia paſsiua materiæ, & de potentia actiua formæ: quia poſſe materiæ eſt poſſe ad eſſe: poſſe uerò formæ eſt poſſe ad agere. Et ideo materia eſt in potentia ad eſſe per eſſentiam ſuam: & iſto modo forma eſt apta nata ſibi dare eſſe per eſſentiam ſuam; ſed non oportet, quòd propter hoc ſit in potẽtia ad operari per eſſentiam ſuam. Vel poteſt dici, quòd ſicut pura potentia ſe ipſa patitur; ita actus purus ſe ipſo agit: ſed ſolus deus eſt actus purus; non autem forma ſubſtantialis; & ideo non eſt ſimile. Ad quartũ dico, quòd eſſentia animę eſt ſenſitiua per ſe; non tamen in primo mõ dicendi per ſe; ſed in ſecundo modo. Sicut dicitur homo eſt riſibile; non tamẽ in primo modo: ita, quòd immediatè, & intrinſecè ſit riſibilis; ſed in ſecundo modo ita quòd eſt talis, ſed alio manente, ſcilicet propria paſsione. Et ita dicendum eſt de anima: dicitur enim per ſe ſenſitiua, & uegetatiua: quia de natura ſua habet ordinem ad tales actus; non tamen immediatè, ſed mediantibus ſuis potentiis. Et cum dicitur, quòd ſenſitiuum eſt differentia conſtitutiua animalis: & differentia conſtitutiua ſumitur à forma. Dico, quòd non accipitur ſenſitiuum ibi pro potentia ſenſitiua; ſed pro habitudine naturali, quam habet ipſa ſenſitiua ad actum ſentiendi, ut dictũ eſt. Et hoc patet: quia non dicit Philoſophus, nec Porphyrius, nec aliquis alius, quòd ſenſitiuum ſit differentia conſtitutiua: ſed ſenſibile: ſenſibile autem de uirtute ſermonis dicit aptitudinem: & ideo accipitur pro habitudine naturali, ut dictum eſt, & non pro potentia. Per idem patet, quid ſit dicendum ad confirmationem: & ſic patet ſecundus articulus.

## ARTICVLVS TERTIVS.

RESTAT nunc uidere de tertio. Vtrum anima intellectiua diſtinguatur realiter à ſuis potẽtijs? Vel. An tales potentiæ fundentur in ipſa per idemptitatem realem? QVANTVM ad iſtum articulum dicunt, multi doctores, quòd potentię animæ intellectiuæ, quę non ſunt organo affixæ, ut intellectus, & uoluntas, non dicunt accidens aliquod abſolutum ſuperadditum eſſentiæ ipſius animæ; ſed dicunt ipſammet eſſentiam animæ: eſſentia enim animæ immediatè intelligit, & uult: Et hoc probatur per eos quadrupliciter. *Opin. Heric. Gand. quodlib.3. q.4. Scot.2. ſen. d.16. q.1. Gotf. quodlib. art.6. et 9. quodlib. art.5. Iacob. Viterb. 2. quodlib. q.14.* 1 Sic. Operatio uitalis debet eſſe à principio uitali. Sed intelligere, & amare ſunt operationes uitales: ergo debent eſſe à principio uitali: ſed ſola eſſentia animæ eſt principium uitale, accidens autem fundatum in ipſa per modum potentiæ, non eſſet uiuum; immò quaſi mortuum de ſe: ergo intelligere, & uelle immediatè ſunt ab eſſentia animæ: & non ab aliquo accidente ſuperaddito.

2 Sicut ſe habet res ad eſſe; ita ſe habet ad operari: ergo idem eſt principium operãdi, & eſſendi; ſed anima per ſuam eſſentiam eſt principium eſſendi; & nõ per aliquod ſuperadditum: ergo per ſuam eſſentiam, & nõ per aliquod ſibi ſuperaddditum erit principium operandi: erit igitur intelligere, & uelle immediatè ab anima. 3 Illa debent poni in anima noſtra, propter quæ maxime eſt ad imaginem dei, ſi potentiæ ſuæ non differant re abſoluta ab anima ipſa, maximè eſſet ad imaginem dei: ergo &c. Maior nota: quia cum homo ſit ad imaginẽ dei ſolum ratione animæ & per animam: non autem ratione corporis, nec per corpus: alia ſunt ponenda in anima, propter quæ eſt ad imaginem dei. Minor patet nam, cum perſonę in diuinis ſint idem cũ eſſentia, & non differant re abſoluta ab ea: magis perfectè erit anima imago dei, ſi potentiæ non differant realiter ab eſſentia animæ, quàm ſi diſtinguãtur realiter ab ipſa: quare &c. 4 Nullum accidens excedit ſuum ſubiectum in perfectione, ſed ſi intellectus, & uoluntas eſſent accidentia animæ, excederent ipſam in perfectione: ergo impoſsibile eſt, quòd ſint ipſius accidentia. Minor probatur, dupliciter. 1 Sic omne ens primo ſupra ſe cõuerſuum, & per ſe intelligens, & uolens formaliter quodlibet obiectum intelligibile, & diligibile, excedit in perfectione illud ens, à quo iſta remouentur. Hæc patet: quia omnia iſta dicunt perfectionem ſimpliciter, & per conſequens melius eſt ea eſſe in unoquoque, quàm non eſſe: ſed omnia iſta competunt potentiis, & non animæ, ſi ſit realiter ab eis diſtincta: ergo, &c. Minor de ſe nota eſt: quia prædictæ potentiæ habent omnia iſta, & ſi ab anima tollantur, omnibus iſtis carent. 2 Iſta Minor probatur ſic. Quando ſunt aliquę duæ naturæ realiter diſtinctæ, ita tamen, quòd una eſt capax beatitudinis, alia non exiſtente, & econuerſo, & ẽt eſt capax beatitudinis, nullo ſuper addito alio ab eo eſſentialiter diuerſo; aliud uero non, illud eſt ſimpliciter perfectius alio; ſed intellctus, & uolũtas, ſi different eſſentialiter ab anima, eſſent huiuſmodi reſpectu ipſius animæ: ergo &c. Maior clara eſt de ſe. Minor etiam uidetur nota: quia anima ſine iſtis potentijs non poſſet beatificari: quia nec cognoſceret, nec diligeret deum. Iſtæ autem potentiæ, ſi eſſent ab anima ſeparatæ, poſſent intelligere, & diligere deum; & per cõſequens poſſent beatificari: quare, &c. ET CONFIRMATVR iſta ratio: quia quicquid ineſt ſubiecto, mediante aliquo accidente abſoluto, ineſſet ipſi eidem accidenti, ſi ſepararetur à ſubiecto, ſicut albedo



bedo ineſt quantitati ſeparatę in Sacramento altaris. Si ergo intelligere ineſſet animę, mediãte accidente abſoluto, ſi deus ſepararet intellectum ab anima; ſequeretur, quòd iſte intellectus haberet actum intelligendi; & ſic poſſet beatificari, quod non competeret animæ ſine potentijs: ergo. HAEC etiam poſſet confirmari tam per auctoritates tam Sanctorũ Doctorum quàm Philoſophorum. *Cap.11. tom.3.* Dicit enim Beatus Auguſtinus. x. de trinitate. Intellectus, uoluntas, & memoria ſunt una mens, unaque uita, unaque ſubſtantia. *In libr. de ſpiritu, & anima. ca.13. 14. tom.3.* Et idem in ſermone de immagine ait. Anima eſt intellectus, anima eſt uoluntas, anima eſt memoria. Sed hoc non eſſet, ſi ipſæ potentiæ animæ differrent realiter ab anima. Hoc etiam uidetur eſſe intentio Philoſophi tertio huius, ubi *tex.c.19.* loquens de intellectu agente dicit, quòd eſt ſubſtantia actu ens; ſed quod eſt ſubſtantia, non poteſt eſſe accidẽs animæ: nam quod uere eſt ſubſtantia, nulli accidit ſecundum eundem. *tex.c.27. et 30.* 1. Phyſicorum. Et quod dicit de intellectu, pari ratione intelligendum de aliis potentiis.

*Aegid 1. ſent. d.3. par.2. q.3. prin. ar.2. Quodl.3. q 10. 5. Th. 1. par. ſum. q.77. ar.1. Petrus Aluer. quodli. 2. ar.3.* ALIA OPINIO eſt magnorum doctorum huic oppoſita, quæ dicit, quòd potentiæ animæ dicunt qualitates ſuperadditas eſſentiæ ipſius animæ, & ad hoc adducunt plures rationes in diuerſis locis, quarum aliquæ ſunt aductæ in primo, & ſecundo articulo. Et quãuis iſte articulus ſit nimis dubius: quia non apparent rationes inſolubiles pro aliqua parte: uidetur tamen mihi iſta ultima opinio probabilior: & ideo cõfirmo eã quatuor rationibus. PRIMO Sic. Omnis creatura, quæ poteſt per ſe exiſtere, habet aliquam propriam paſsionẽ inſeparabilem diſtinctam realiter à ſe; ſed aĩa intellectiua põt ꝑ ſe exiſtere: quia ſeparatur à corpore: ergo habet aliquã propriam paſsionem inſeparabilem diſtinctam à ſe realiter. Tunc arguitur ulterius. Iſta propria paſsio, uel ſunt ipſi actus intelligẽdi, & uolẽdi: uel ipſę potentiæ, ſcilicet, intellectus, & uolũtas, hæc patet, quia in anima ſeparata nihil aliud ponitur, niſi ſit ſua eſſentia; ſed non poſſunt eſſe actus talis propria paſſio: quia actus continuè deſinunt eſſe, & ſeparantur; hæc autem paſsio ponitur ineſſe in ſeparatis: ergo talis paſſio erunt ipſę potentiæ: & ſic erunt realiter diſtinctæ ab anima. Maior primæ rationis patet inductiuè in omnibus rebus naturalibus. Patet etiam per rationem, Quia propria paſsio naſcitur ex principiis ſpeciei, & ex principiis intrinſecis; & per conſequens cõſequitur omnem eſſentiam, ſiue rem naturalem, quæ poteſt per ſe exiſtere: cum talis ſit alicuius ſpeciei, ſiue in aliqua ſpecie determinata. Quòd autem talis propria paſsio diſtinguatur realiter ab ipſa re, patet per Philoſophum. 1. Poſteriorum, *tex.c.9.* qui dicit, quòd propria paſsio prædicatur de ſubiecto in ſecundo modo dicendi per ſe: omnia autem, quæ ſic prædicantur diſtinguũtur realiter ab eo, de quo prædicantur: ergo &c. SECVNDO Illud, quod de ſe non dicit aliquem ordinem ad aliquem actum determinatè; ſed eſt indifferens ad plures actus diuerſos tanta diuerſitate, quòd quidam ſunt organici, quidam non: quidam liberi, quidam naturales, ſi debet determinari ad aliquem eorum producendum, uel eliciendum oportet neceſſariò, quòd determinetur per aliquod ſibi ſuperadditum abſolutum; ſed eſſentia animæ eſt huiuſmodi reſpectu actuum ſuorum, &c Maior patet: quia ſi de interminato fiat determinatum; oportet, quòd ſic hoc per aliquod ſibi ſuperadditum: ſed quòd tale ſit abſolutum probatur. Quia ſi non eſſet abſolutum: uel eſſet modus, uel reſpectus: ſed iſta non habent determinare rẽ: quia ſequuntur rem iã determinatam. Quòd autem motus, & reſpectus ſequantur rem determinatam, probatur. Quia ſicut ſe habet motus, & reſpectus ad fundamentum; ita determinatus motus, & determinatus reſpectus requirunt determinatum fundamentum; ſed motus, & reſpectus quicunque requirunt fundamentum: ergo determinatus motus, & determinatus reſpectus requirunt determinatam rem, ſiue fundamentum. Patet ergo illa Maior, & etiã Minor: quia anima eſt ſic indifferens reſpectu ſuorum actuum, quod quãdoque eſt ſub uno; quandoque ſub alio, quandoque ſub nullo, ut patet in dormiente. Et iſtorum actuum quidam ſunt organici: quidã non, quidam liberi, quidam naturales, ut de ſe ſe patet: ergo &c SED CONTRA illam rationem arguitur ab aliquibus tripliciter, dupliciter contra maiorem, & uno medio contra minorem. Contra maiorem arguitur ſic. 1 Illud, quod de ſe non dicit aliquem ordinem ad originandum determinatè aliquam potentiam; ſed eſt indifferens ad originandum diuerſas potentias, quarum quædam ſunt organicæ, quædam non: quædam liberæ, quædam naturales: ſi determinetur ad producendum aliquam illarum: oportet, quòd hoc ſit per aliquid ſuperadditum abſolutum; ſed eſſentia animæ reſpectu ſuarumpotentiarum eſt huiuſmodi: ergo &. Concluſio eſt, quòd anima ad producendum potentias ſuas non indiget aliis potentiis: nam ſimiliter argueretur de illis, & ſic eſſet proceſſus in infinitum: ergo oportet quòd aliqua pręmiſſarum ſit falſa; ſed Minor falſa non eſt, quòd patet: quia certum eſt, quòd anima producit omnes ſuas potentias, quarum quædam ſunt organicæ, quædam non, &c. Oportet igitur, quòd Maior ſit falſa. 2 Cõtra eandẽ. Illud, quod eſt indifferens ad cauſandũ, uel determinãdũ diuerſos actus, &c. Sic ſtat in Maiori nunc poſita: oportet, quòd habeat aliquod ſuperadditum abſolutum; ſed obiectum eſt huiuſmodi reſpectu actuum animę: ergo &c. Concluſio eſt falſa: nam certum eſt, quòd obiectum nõ habet aliquod ſibi ſuperadditum abſolutum, quo mediante cauſet actũ uolendi, uel intelligendi: nam, cum illud etiam poteſt intelligi: ita peteretur de illo: & ſic in infinitum: ergo aliqua præmiſſarum eſt falſa. Non Minor: quia una, & eadem poteſt cauſare, uel determinare actum intelligendi, uel uolendi: & ſic de aliis actibus tam organicis, quàm non organicis: oportet ergo, quòd Maior ſit falſa.

CONTRA minorem arguitur ſic. Illud principium, quod reſpicit actus ſuos ſub quodam ordine, ita, quòd unum per prius; reliquum per poſterius, dicit de ſe aliquem ordinem ad actus ſuos; & per conſequens non eſt tanta diuerſitate indifferens, quod requirat aliquod ſibi ſuperadditum abſolutum: quòd patet de Sole, qui generat lucem, & calorem abſolutè, nullo ſuperaddito; ſed eſſentia animæ eſt huiuſmodi: ergo &c. Minor patet: nam anima ordine quoddam cauſat actus ſuos; primo quidem actum ſentiendi; ſecundo actũ intelligendi: tertio actum cognoſcendi: quia nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. Et nihil uolitum niſi prius cognitum: ergo &c. Erit igitur falſa illa Minor, &, conſequens non ſequitur concluſio. HIS TAMEN non obſtantibus, dico, quòd ſi iſta ratio bene intelligatur, eſt ſatis bona & ideo reſpõdeo ad impugnationes, ſeu rationes. Ad primum igitur dico, quod. Minor illius rationis ſtat de actibus, ut aſſumitur; non autẽ de potentijs, ſicut arguitur. Cuius gratia eſt aduertendũ, quòd duplex eſt indeterminatio alicuius rei. Eſt enim quædã indeterminatio fundationis, & continẽtur, quando uidelicet aliquid non eſt determinatum fundamentum unum tantũ; ſed naturaliter, & inſeparabiliter fundat, & continet plura: & in iſto ſenſu dico, quòd nõ oportet dare aliquid abſolutum ſuperadditum: & tale indeterminatum poteſt fundare illa plura. Et ratio huius eſt; quoniam non ſe habet ſic indifferenter ad illa plura, quòd poſsit nunc eſſe ſub uno, nũc ſub alio illorum plurium; & nunc ſub nullo, ſicut dicebatur de actibus. Et iſto modo anima eſt indeterminata ad originandum diuerſas potentias, ſuppoſito, quòd tales potentiæ originentur ab anima: nam. Vtrum ſic ſit, uel non: patebit inferius, quando agetur de hoc in ſpeciali. Alia autẽ indeterminatio eſt in differre, quando aliud indifferens eſt ad producendum plura ita, ꝙ modo unum, mõ aliud, & quãdoque nullũ: & iſto modo requirit aliquod abſolutũ ad determinãdum, quod eſt indeterminatum. Et iſto modo eſt de anima reſpectu ſuorum actuum, ut patuit in ratione: & ideo adhuc uidetur ratio in ſuo uigore. Ad ſecundum dico, quòd prædicta ratio ſtat de

de actibus,ut aſſumitur:& non de obiecto, ut arguitur: nam terminatio, ſiue cauſalitas obiecti eſt extrinſeca: non enim fundantur actus ipſius animæ in ipſo obiecto,nec ſunt ei intrinſeci, cauſalitas autem ipſius animæ reſpectu talium actuum eſt intrinſeca:& ſunt ei tales actus intrinſeci,& immanẽtes.Et ideo ſufficit in obiecto ueritas rei,ita,quòd non requiritur ibi in obiecto aliquod extrinſecũ ipſum determinare;ſuppoſito, quòd ſit cauſa talium actuum : quia de hoc inferius uidebitur,alia,& alia ratio, ſub qua terminet, uel cauſet aliũ, & alium actum,ſed in anima oportet dare aliquam uirtutem ſuperadditam, ſi debeat determinari ad aliquem actum,ex qua tales actus ſunt ei intrinſeci, & immanẽtes:non ergo uidetur ſimile de obiecto, & de anima: & ideo ratio non uidetur conuincere. Ad tertium, quod eſt contra minorem,cũ dicitur,illud principiũ &c. Dico,quòd illa,quæ aliquod principium reſpiciũt quodam ordine,poſſunt eſſe,uel ſe habere dupliciter : quia uel ſunt talia, quæ inſunt illi principio neceſſariò, & inſeparabiliter:& ad talia non oportet, quòd determinentur per aliquod ſuperadditum abſolutum, ſicut dicẽbatur de anima reſpectu ſuarum potentiarum. Aliò modo illa,quæ principiũ reſpiciũt ordine quodam, poſſunt tali ſubiecto in eſſe indifferenter, & non neceſſariò,& inſeparabiliter:& talia oportet, quòd ſubiectum determinet per aliud abſolutum, cuius ſignum eſt, quòd illi actus reſpectu animæ non dicunt ordinem niſi quia tales potentiæ ſe habent ordine quodam. Et ad probationem de Sole dico, quòd illi duo actus inſunt ſibi naturaliter,& inſeparabiliter:& ideo iſta ratio non uidetur eſſe contra Minorem.Poteſt igitur iſta rõ ſuſtineri,ſi intelligatur,ſicut dictum eſt. TERTIO ad principale; arguitur ſic ex fundamentis tenentium primam uiam: Contenta in aliquibus per idemptitatẽ realem:minus differunt in magis diſtinctis realiter: ſed duo intellectus minus diſtinguuntur in homine,& angelo, quàm intellectus,& uolũtas in eodem homine, quæ ſibi ipſi eſt realiter idem:igitur intellectus, & uoluntas non continentur in homine per idemptitatem realem. Maior nota ex dictis. Minor probatur ſic: Illa, quæ in pluribus,conueniunt, omni operatione intellectus circunſcripta,minus adinuicem diſtinguuntur, quàm iſta, quæ in paucioribus conueniunt. Maior patet de ſe, ſed intellectus in homine,& angelo in pluribus conueniũt, quàm intellectus, & uoluntas in uno homine, omni operatione intellectus circumſcripta:nam in quibuſcunque conueniunt intellectus,& uoluntas,ubicunque reperiuntur in eis; conueniunt duo intellectus,ubicunque ponãtur & plures,& quilibet eſt potentia apprehenſiua formaliter intellectus, uoluntas autem non : ergo &c.

*2. ſent. diſt. 16. q. 1.*

Iſtã rationem facit Scotus cõtra doctorem noſtrum,& uult probare per eam, quod relatio differat realiter à fundamento, pari ratione probatur contra eum quod potentiæ animæ differunt realiter ab anima. Vnde,ſi ratio, quam facit de relatione, & fundamento concludit. Et iſta etiam ratio uidetur mihi concludere neceſſariò aliquam differentiam inter animam, & ipſas potentias ex natura rei,omni operatione intellectus circunſcripta, & ſi non eſt dare medium inter diſtinctionem realem,& rationis,concludit neceſſariò diſtinctionem realem inter illa. QVARTO, & ultimo arguitur ſic, Anima eſt actus,& forma corporis ſecundum Philoſophũ 2. & 3. huius,ſed potentia intelectiua non eſt actus, nec forma corporis ſecundum Philoſophum in hoc ſecundo, ubi dicit, quod potentiæ animæ intellectiuæ nullius corporis ſunt actus, ſtatim ſuper illam partem. Quoniam autem ex incertis &c. HAEC OPINIO confirmatur per Commentatorem. 1. de anima, ubi dicit, quòd diuiſio animæ in ſuas potentias, &c. quære auctoritatem.

*tex. c. 4. 6. & 11. & 25. Com. 5.*

*tex. c. 12.*

*Com. 92.*

*Solutio rationum Hẽrici, Scoti, et ſequacium.*

NVNC RESTAT reſpondere ad rationes alterius opinionis. Ad primum,cum dicitur operatio uitalis,&c. Dico,quòd intellectus eſt quædam potentia uitalis: Et ſicut uidere, ſiue ſentire recipitur immediatè in potẽtia ſenſitiua,quæ ẽ ab anima realiter diſtincta,ut probatum eſt in ſecundo articulo:ita etiam intelligere recipitur immediatè in potentia intellectiua. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd eſſe principium uitale põt intelligi dupliciter.Vno mõ dr̃ principiũ uitale:qa ẽ per eſſentiã uita,& illud,à quo principaliter ẽ uita.Alio mõ poteſt dici aliquod principiũ uitale: quia ſequitur naturaliter,& inſeparabiliter principium uitale:quod eſt per eſſentiam uita;ſicut propria paſſio ſequitur proprium ſubiectum,& iſto ſecundo modo potentię animę,puta,intellectus,& uoluntas dicuntur principia uitalia.Poteſt ergo dici,quòd intelligere eſt à principio uitali principaliter, immediatè autem non oportet:quia inſtrumentum uirtute eius,cui innititur poteſt producere aliquod nobilius ſe. Sicut uirtus cæli, quæ non eſt uiuens,eſt ratio productiua animæ uiuentis in his,quæ fiunt per putrefactionem: eſt enim quædam uirtus ſeminalis in dicto cælo à Deo reſpectu omnium formarum generabilium,& corruptibilium. Et ita intellectus: quoniam de ſe eſt principium uitale, poterit eſſe principium immediatũ intellectionis, quæ eſt operatio uitalis uirtute ipſius animæ,quæ eſt per eſſentiam uita. Ad ſecundum,cum dicitur, quòd idem, eſt principium eſſendi,& operandi.Dico, quòd illud,quod eſt principium eſſendi ſimpliciter,eſt principium operãdi principaliter:& illud,quod eſt immediatum principium operandi, eſt principium eſſendi ſolum ſecũdum quid. Ad tertium dico, quòd inter imaginem creatam,& increatam eſt maior diſsimilitudo, quàm ſimilitudo, ut uidebitur deo dante in tertia diſtinctione primi ſententiarum. Et non oportet, quod tales partes imaginis.ſ.memoria,intellectus, & uolũtas ſint una eſſentialiter,& realiter, ſicut tres perſonæ diuinæ ſunt realiter eſſentia diuina;ſed ſufficit, quòd ſint in eadem eſſentia animæ. Et quòd non oportet propter hoc, ꝙ potentiæ animæ ſint realiter ipſa eſſentia animæ,patet: quia ſi nos uellemus ponere omnimodam ſimilitudinẽ, oporteret nos ponere, ſicut ſunt tres perſonæ,quòd ſunt tria ſuppoſita realiter diſtincta, quod nullo modo diceret: non ergo oportet dare omnimodam ſimilitudinem, ſed poſſibilẽ: hoc autem uidetur mihi impoſsibile,ut patet ex dictis in iſto articulo,& præcedentibus.

Ad quartum, cum dicitur nullum accidens, &c. Eis concedo Maiorem:ſed nego Minorem. Ad probationem primam dico,quòd omnes illæ perfectiones cõpetunt animę fundamentaliter, & homini principaliter:homo enim per animam eſt illud, quod principaliter intelligit,& uult;potentiis autem competunt prædictæ perfectiones ſolum inſtrumentaliter: ſunt enim illud,quo anima eſt formaliter intelligens,& uolens. Et ideo ex hoc nõ ſequitur:quòd ſint perfectiores ipſa anima:immò & econuerſo:ſicut ignis,quamuis calefaciat, & igniat mediante calore, & calor ſit illud, quo ignis calefacit,& ignit,non tamen propter hoc calor excedit ignem;ſed potius econuerſo. Ad ſecundam probationem nego minorem:nam poſito, quod uirtute diuina poſſent intellectus, & uoluntas ab anima ſeparari, non tamen beatificari poſſent: nam intellectus ſeparatus non intelligit,nec uoluntas ſeparata poſſet habere actum uolendi. Et ratio huius poteſt eſſe, quam aſsignat doctor noſter, quod accidens fluens non poteſt fundari in aliquo,niſi mediante aliquo accidente permanente. Et quia intellectus ſeparatus eſſet illud, quod principaliter intelligeret, & in quo actus intelligendi deberet fundamentaliter recipi, indigeret aliquo accidente permanente,quo mediante poſſet actum intelligendi fundare. Et ſic intellectus haberet quandam aliam potentiam intellectiuam ſuperadditam, quod eſt inconueniens. Supponit ergo illa ratio, tanquàm per ſe notũ, quod mihi uidetur nimis dubium. Et ad confirmationem dico,quòd forma quæ eſt principium actus trãſeũtis,forte ſi ſepararetur,ageret, ut calor ſeparatus calefaceret: Forma uero,quę eſt principium actus permanentis in ſe,ſi ſeparetur,non poterit recipere talem actum propter

*Quodli. 3. q. 10. in principio corporis. q.*



propter rationem prædictam. Exemplum enim non eſt ad propoſitum,quod adducitur:quia albedo ineſt quantitati ſeparatę, quæ eſt accidens permanens; & de talibus ſimpliciter concedo propoſitionem. Intelligere,& uelle non ſunt talia accidẽtia,ut patuit ſuperius:ergo.

Ad auctoritates reſpondeo, ad primam cum dicitur,quòd memoria, intelligentia, & uoluntas ſunt una mens. Dico, quòd iſta prædicatio non eſt formalis; ſed cauſalis:ſicut dicitur, ꝙ odor ẽ fumalis euaporatio:quia fumalis euaporatio eſt cauſa odoris. Similiter poteſt dici ad ſecundum. Vel dicendum, quòd in ſecunda accipitur abſtractum pro concreto: quia anima eſt intelligẽtiá ultima,& memoria. Ad auctoritatem Philoſophi dico, quòd ſubſtantia poteſt accipi dupliciter. Vno modo propriè pro omni eo, quod eſt in prædicamento ſubſtantiæ condiuiſum contra accidentia. Alio modo largè pro omni eo,quod eſt eſſentiale rei, & de intrinſeca ratione ipſius.Sic etiam accidens accipitur per oppoſitum his duobus modis. Etiam aliquotiens dicitur accidens eſſe extraneum,ſiue ſit ſubſtantia, ſiue accidens, ut dicit Philoſophus in hoc ſecundo, quòd ſubſtantia accidit colori; & ideo eſt ſenſibile per accidens:quando ergo dicit Philoſophus, quòd intellectus agens eſt ſubſtantia,accipit ſubſtantiam largo modo. Et ideo illæ auctoritates non uidentur facere ad propoſitũ, quãuis habeant magnam apparentiam. AD RATIONES principales. Ad primam,cum dicitur,quòd anima eſt immediatum principium ſuarum operationum: ergo. Nego antecedens, & ad probationem, cũ dicitur, quod pari ratione non eſſet immediatum principium ſuarum potentiarum. Dico,quòd non eſt ſimile de potentiis,& actibus, ſiue operationibus:nam ſuppoſito, ꝙ anima ſit principium originans ſuarum potentiarum; ſunt tamen potentiæ accidentia permanentia:actus uero ſunt accidentia fluentia. Et ideo,quàmuis actus non poſſunt cauſari, ſiue fundari ab eſſentia, quæ eſt per ſe ſtans, niſi mediante potentia, quæ eſt accidens permanens: quia in eſſentialiter ordinatis non eſt tranſitus de extremo in extremum,niſi per medium,ut dictum eſt in primo articulo huius quæſtionis,poterunt tamen potẽtiæ fundari in ipſa eſſentia animæ, uel ab eadem originari,nullo alio mediante:quia tenent medium inter eſſentiam,& operationem, & de extremo ad medium, nõ oportet, quòd fiat trãſitus per aliud medium:aliàs eſſet proceſſus in infinitum. Ad ſecundum dico, quòd potentiæ animæ ſenſitiuæ, ita bene diſtinguuntur ab eſſentia animæ ſenſitiuæ:ſicut potentię animæ intellectiuæ ab anima intellectiua. Et ad probationẽ dico, quòd Philoſophus per illam auctoritatẽ ſolum uult habere, quòd ſicut animal diſtinguitur formaliter ab animato per animã;ita ſuo modo oculus diſtinguitur ab alijs organis per potentiam uiſiuam: ſi enim intentio ſua eſſet per illa uerba probare,quòd potẽtia uiſiua eſſet anima; pari ratione ſequeretur,quòd forma dolabræ ſecundum eum eſſet anima: nam ſic dicit. Si oculis eſſet animal, potentia uiſiua eſſet anima;ita dicit,quòd ſi dolabra eſſet animal,forma dolabræ eſſet anima:non eſt ergo illa intentio Philoſophi, ut patet, & ideo non concludunt rationes.

*tex. c. 65.*

*2. de Aia. tex. c. 9.*

## QVAESTIO IIII.

### An Potentiæ Animæ diſtinguantur inter ſe realiter?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum potentiæ animæ diſtinguuntur inter ſe realiter? Et uidetur, quòd non. 1 Quibus repugnat diſtinctio rationis, illis uidetur repugnare diſtinctio realis; ſed potentiis animæ repugnat diſtinctio rationis, quæ eſt minor diſtinctione reali : ergo,&c. Minor probatur:quia ſicut ſe habet diſtinctio realis ad entia rationis; ita ſe habet diſtinctio rationis ad entia realia; ſed diſtinctio realis repugnat entibus rationis : ergo diſtinctio rationis repugnat entibus realibus:ſed potentiæ animæ ſunt entia realia:ergo,&c. 2 Probatur ſic. Sicut poteſt haberi ex dictis Philoſophi in hoc ſecundo, & tertio. Potentiæ diſtinguuntur per actus,& actus per obiecta. Tũc arguo ſic. A deſtructione conſequẽtis. Obiecta aliquarũm potentiarum animæ non diſtinguuntur realiter:ergo ſunt unum,& idem realiter:alimentũ enim eſt obiectum potentiæ nutritiuę,& augmẽtatiuæ,& generatiuæ ſecundum Philoſophum. 2. huius : ergo actus iſtarum potentiarum non ſunt realiter diſtincti; & per conſequens,nec potentiæ. IN OPPOSITVM. Illæ potentiæ ſunt realiter diſtinctæ, quæ ad diuerſos fines ordinantur;potentiæ animæ ſunt huiuſmodi : ergo, &cæt. Maior,& Minor patent de ſe. In iſta quæſtione tria ſunt uidenda. 1 Vtrum inter extrema realia;quorum utrunque eſt res:poſsit eſſe diſtinctiõ rationis? Quod uidetur tangere primum argumentũ: & erit etiam neceſſarium ad cognoſcendam diſtinctionem aliarum potentiarum animæ. 2 Vtrum actus diſtinguantur per obiecta? Et hoc tangit ſecundum argumentum. Tertium eſt, quod quęrit quæſtio principalis.

*tex. c. 22. tex. c. 52.*

*tex. c. 47.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primam partem huius articuli dicunt quidam doctores, quòd inter duo entia realia nullo modo poteſt eſſe diſtinctio rationis; immò oportet neceſſariò,quòd ubi eſt diſtinctio rõnis,utrunque extremum eſſe ens rationis, uel ſaltem alterum, quod poteſt probari ex dictis ſuis quadrupliciter.

*Opinio Aureoli nec nõ Franciſci de Mayronis.*

1 Sic. Quandocunque aliquod ſubiectum condiuiditur alteri ſubiecto ſic ex oppoſito, quantum paſsio adæquata uni ſubiecto repugnat alteri ſubiecto;tantum econuerſo:ſed ens realem, & ens rationis cõdiuiduntur ex oppoſito; & eſſe idem ratione, & diſtingui ratione ſunt paſsiones adæquatæ enti rationali: ſicut eſſe idem re, & diſtinctum re, ſunt paſsiones adæquatæ enti reali: ergo quantum repugnat diſtinctio realis entibus rationis; tantum diſtinctio rationis repugnat entibus realibus:ſed diſtinctio realis totaliter repugnat entibus rationis : ergo diſtinctio rationis totaliter repugnabit entibus realibus. Maior eſt manifeſta de ſe : quantum enim riſibilitas repugnat equo tantum hinnibilitas repugnat homini. Minor uidetur nota : quia per eaſdem differentias, per quas diuiditur ens, diuiditur & diſtinctio : ſicut enim ens diuiditur in ens reale, & in ens rationis: ita & diſtinctio diuiditur; & per conſequens, ſicut diſtinctio realis adæquatur enti reali : ita diſtinctio rationis adæquatur enti rationis. 2 Ad idem. Cui repugnat actus primus,eidem repugnat actus ſecũdus,qui neceſſariò pręſupponit actum primum : ſed diſtingui ſecundum rationem eſt actus ſecundus, qui neceſſariò præſupponit eſſe ſecundum rationem:ergo cui repugnat eſſe ſecundum rationem, & eidem diſtingui ſecundum rationem:ſed entibus realibus repugnat eſſe ſecundum rationem,uel eſſe rationis:ergo,&c. Aſſumptum probatur : nam, quia ſi entia realia haberent eſſe rationis,dependerent à ratione ; hoc eſt inconueniens : ergo, &cęt. 3 Illa entia realia, quæ ponuntur diſtingui ſecundum rationem, uel ſunt extrema huius diſtinctionis, ut res ſunt: uel ſunt extrema, ut non res. Si detur primum : ergo diſtinguuntur, ut res à re; & per conſequens realiter,& non ratione. Si uerò detur ſecundum habetur propoſitũ:quia diſtinctio realis non eſt inter extrema realia; ex quo extrema, ut ſic, non ſunt res. 4 Si diſtinctio rationis reperiretur in ente reali formaliter,ſequeretur, quòd pręſupponeret potentiam in ipſo reali ente,per quam reciperetur in eo;conſequens eſt falſum: ergo. Conſequẽtia no-

 ta eſt

ta eſt: quia nihil recipitur in aliquo, niſi per potentiam receptiuam illius. Falſitas conſequentis probatur.

1 Nam ſi ens rationis præſupponeret potentiam in ente reali, uel iſtam potentiam diceremus realem, uel rationis: quia cum primum ens rationis præſupponeret potentiam; ſequeretur, quòd ante primum ens rationis eſſet ens rationis, quod implicat contradictionẽ. 2 Itẽ, ſi potentia eſſet ens rationis, haberet eſſe receptiuum; & per conſequens præſupponeret aliam potentiam; & ſic eſſet proceſſus in infinitum: ſed hoc eſt inconueniens: ergo. Nec poteſt dici, quòd talis potentia ſit realis; quia ſequerentur duo inconuenientia. Primum eſt, quòd ens reale referretur realiter ad ens rationis; cum potentia realis referatur realiter ad ſuum actum, quod eſt impoſsibile: quia extrema relationis realis debeant eſſe realia. Secundũ incõueniẽs eſt, ꝙ ens rationis haberet eſſe receptũ realiter in ente reali, quod eſt abſurdum: quia repugnat enti rationi recipi realiter. Aſſumptum probatur: quia potentia receptiua realis recipit realiter: recipere autem realiter arguit recipi realiter, cum ſint correlatiua; & per conſequens, ſi potentia recipit ens rationis realiter, ens rationis recipietur realiter.

SED ISTA opinio non eſt conſona dictis Philoſophorum, nec rationi. Et quantum ad iſtum articulum pono tres concluſiones. Prima eſt, quòd entibus realibus non repugnat idemptitas rationis. Secunda eſt, quòd entibus realibus non repugnat eſſe rationis. Tertium eſt, quod ſequitur ex iſtis, quòd entibus realibus non repugnat diſtinctio rationis; & per conſequens inter duo extrema realia poterit eſſe diſtinctio rationis. PRIMA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Quibus non repugnat unitas ſpecifica, illis non repugnat unitas, ſiue idemptitas rationis; ſed entibus realibus non repugnat unitas ſpecifica: ergo, &cæt. Maior nota eſt: quia unitas ſpecifica, ut probatum eſt in primo articulo tertiæ quæſtionis primi libri, eſt unitas rationis. Etiam hoc concedit unus iſtorum doctorum, ſcilicet Aureolus. Minor patet de ſe: nam Sortes, & Plato ſunt duo extrema realia; & tamen eis non repugnat unitas ſpecifica; immò eis competit neceſſariò. 2 Quibus non repugnat habere unitatem, ſiue idemptitatem entis, non repugnat habere unitatem, ſiue idemptitatem rationis; ſed deo, & creaturę, & quibuſcunque entibus realibus non repugnat habere prædictam unitatem: ergo, &c. Maior eſt nota: quia ratio entis non eſt realis; ſed ſolum rationis, ſicut probatum fuit 3. articulo *Ratione. 3.* quæſtionis pręcedentis, & conceditur ab aliquo iſtorum doctorum, ſcilicet à Franciſco de Mayronis. Minor patet de ſe: quare, &c. ET CONFIRMATVR iſta concluſio per Damaſcenum, & Commentatorem: dicit enim Damaſc. de fide orthodoxa libro 1. cap. 2. Oportet autem ſcire quòd aliud eſt re conſiderare, & aliud ratione, & cogitatione: igitur in omnibus creaturis hypoſtaſis omnino re conſideratur: re enim Petrus à Paulo conſideratur ſeparatus: communitas autem horum, ſeu collectio ratione, & cogitatione cõſideratur: intelligimus enim intellectu: quoniam Petrus, & Paulus eiuſdem ſunt naturæ, & communem habent naturam: unuſquiſque enim illorum animal rationale eſt, & mortale. Et ſubdit. Hæc igitur communis natura ratione eſt conſiderabilis. Hęc Damaſcenus. *Com. 4.* Commentator 12. metaphyſicæ dicit uniuerſalia *1. de anima com. 8.* apud Ariſt. ſũt collectio ex particularib. ab intellectu, qui accipit inter ea ſimilitudinem, & facit ea unam *3. de anima com. 18.* intentionem: eſt igitur idemptitas rationis in rebus naturalibus, ſiue realibus. SECVNDA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Quibus non repugnat idemptitas rationis, non repugnat eſſe rationis; ſed entibus realibus non repugnat idemptitas rationis, ut probatum eſt in prima concluſione: ergo, &c. Maior probatur: nam quibus repugnat actus primus, eis repugnat ſecundus, qui de neceſsitate ſequitur ad primum; ſed idemptitas rationis eſt actus ſecundus, qui neceſſariò præſupponit eſſe rationis: ergo quibus repugnat eſſe rationis, eis repugnat idemptitas rationis. Tũc arguitur à deſtructione conſequentis. Quibus non repugnat idemptitas rationis; nec eis repugnat eſſe rationis. Minor huius rationis probatur per eos: nam ſicut diſtinctio rationis eſt ſecundus actus, qui præſupponit eſſe rationis; ita & idemptitas rationis ad eſſe rationis ſecundum ipſoſmet: ſed idemptitas realis neceſſariò præſupponit eſſe reale; ergo idẽptitas rationis neceſſariò præſupponit eſſe rationis: & hec erat Minor. 2 Quibus non repugnat eſſe cognitum, eſſe conceptum, eſſe intellectum: non repugnat eſſe rationis, uel eſſe ſecundum rationem: ſed entibus realibus non repugnant prædicta: ergo, &c. Maior patet de ſe: quia eſſe cognitum, eſſe conceptum, eſſe intellectum non poſſunt eſſe, niſi entia rationis, cum ſint à ratione: & non poſſunt eſſe niſi à ratione. Minor de ſe nota eſt: nam entia realia ſecundum ſuam realitatem uerè habere poſſunt eſſe cognitũ, eſſe intellectum, eſſe cõceptum: aliàs nulla realitas eſſet nobis cognita; & per conſequens nulla ſcientia eſſet de rebus, quæ uidentur omnia inconuenientia. ET CONFIRMATVR hęc concluſio per Commentatorem 7. *com. 48.* meth. Qui dicit quòd res habent duplex eſſe. Vnum in anima, & aliud extra animã; & per conſequens res quæcunque poteſt habere eſſe reale extra animam, & eſſe rationis in anima: hoc autem eſt eſſe cognitum, conceptũ, & intellectum. TERTIA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Quibus non repugnat idemptitas rationis, non repugnat diſtinctio rationis: ſed entibus realibus, ſicut patet ex prima concluſione, non repugnat idemptitas rationis: ergo nec diſtinctio. Maior patet ſic. Quandocunque aliquod ſubiectũ condiuiſum alteri ſubiecto, habet duas paſsiones, quarum una non eſt magis adæquata, quàm alia, nec maiori neceſsitate ſequitur ſubiectum, quàm alia: una illarum non eſt magis communicabilis, quàm alia; ſed diſtinctio rationis, & idemptitas rationis ſequuntur ens rationis condiuiſum enti reali, & diſtinctio rationis non eſt paſsio magis diſtincta, aut adæquata; nec maiori neceſsitate ſequitur ens rationis, quàm idemptitas rationis: ergo non magis eſt incommunicabilis enti reali diſtinctio rationis, quàm idemptitas rationis. Maior patet iſto modo ex terminis. Minor patet: nam ſicut ſe habet diſtinctio, & idemptitas realis ad ens reale; ita ſe habet diſtinctio, & idemptitas rationis ad ens rationis: ſed diſtinctio realis non maiori neceſsitate, nec magis adæquatè ſequitur ens reale, quàm idemptitas realis; immò ſecundum doctrinam iſtorum doctorum idemptitas realis maiori neceſsitate ſequitur ſubiectum, quàm diſtinctio realis: nam nũquàm res poteſt aſſolui à ſua idemptitate reali; aſſoluitur tamen à diſtinctione reali: nam ponitur inter aliqua realia non idemptitas realis, amota omni diſtinctione reali: ergo diſtinctio rationis non maiori neceſsitate, nec magis adæquatè ſequitur ens rationis, quàm idemptitas rationis: patet igitur illa minor, & per conſequens tota ratio. 2 Quibus non repugnat eſſe rationis, nec diſtinctio rationis; ſed entibus realibus nõ repugnat eſſe rationis, ut patet ex ſecunda cõcluſione: ergo, &c. Maior probatur ſic. Quibus nõ repugnat actus primus, nec repugnat actus ſecundus, qui de neceſsitate ſequitur ad primũ; ſed eſſe rationis eſt actus primus, ad quem neceſſariò ſequitur diſtinctio rationis: ergo quibus non repugnat eſſe rationis, nec repugnat diſtinctio rationis. Et ſic patet Maior. Minor huius probationis patet per oppoſitum Maioris ſecundæ rationis ipſorum. Minor patet per eos: nam propria paſsio de neceſsitate ſequitur ſuum ſubiectum; ſed diſtinctio rationis ſm̃ eos eſt propria paſsio entis rationis: ergo ad eſſe rationis ſequitur neceſſariò diſtinctio rationis: Et ſic patet Minor, & per conſequens tota ratio.

ET CONFIRMATVR hæc conluſio per Commentatorem 12. metaphyſicæ, *com. 39.* dicentem intellectus poteſt diuidere unita in re, & diuiſa adunare.

Tunc



Tunc peto, quomodo intellectus poteſt unita diuidere, & adunare diuiſa? Vel realiter; uel ſecundum rationem. Non realiter: quia hoc non ſpectat ad intellectum: ergo ſecundum rationem. Et ſic extrema realia poſſunt habere diſtinctionem rationis.

*Solutio rationũ Aduerſariorũ.*

RESTAT reſpondere ad rationes iſtorum doctorum. Cuius gratia ſunt duo notãda. Primum eſt, quæ eſt illa diſtinctio rationis, quæ eſt paſsio adæquata enti rationis? Secundum. An diſtinctio rationis ſit in extremis realibus ſubiectiuè? PROPTER PRIMVM eſt aduertendum, quòd diſtinctio rationis eſt duplex, quædam, quæ immediatè eſt à ratione fabricata: quædam quæ immediatè oritur ab extremis rationis: & talis eſt diſtinctio rationis, quæ eſt inter genus, & ſpeciem, & alia entia rationis: talis nãq; diſtinctio nõ eſt à ratione, niſi quia fundata in ratione, & etiam ea, ex quibus naſcitur, ſunt à ratione. *Non inepta inquiſitio.* ET SI quæratur, quæ iſtarum diſtinctionum rationis ſit paſſio adęquata enti rationis? Dico, quòd illa, quæ oritur immediatè ab extremis rationis: ſicut diſtinctio realis, quæ immediatè oritur ab extremis realibus, eſt paſsio adæquata enti reali: illa autem diſtinctio rationis, quę immediatè fabricatur ab intellectu, non eſt paſsio adæquata enti rationis. Et iſta talis, ut probatum eſt, ita bene reperitur inter extrema realia, ſicut inter extrema rationis. Cuius ratio eſt: quia talis diſtinctio rationis immediatè fabricatur ab intellectu ex eo, quòd comparatur idem ad ſe ipſum: & ex eo, quòd appræhendit aliqua diuerſa, ut diuerſa ſunt: ſed ita bene intellectus poteſt comparare ens reale ad ſe ipſum; ſicut ens rationis: & ita bene poteſt appræhendere entia realia diuerſa, ut diuerſa ſunt; ſicut entia rationis. Et ideo talis diſtinctio rationis ita bene poteſt competere entibus realibus; ſicut entibus rationis. QVANTVM ad ſecundum, eſt aduertendum, quòd diſtinctio rationis, quæ immediatè naſcitur ab extremis rationis, nullo modo habet eſſe in entibus realibus; talis enim diſtinctio eſt in extremis rationis; ſicut diſtinctio realis, quæ oritur ab extremis realibus, eſt in extremis realibus. Diſtinctio autem rationis, quæ fabricatur immediatè à ratione ſecundum intentionem doctorum ponentium diſtinctionem rationis inter extrema realia, non eſt in extremis illis ſubiectiuè; ſed tãtum terminatiuè, & talia ſunt obiecta rationis, & hoc non obſtante, uerum eſt dicere, quod inter extrema realia eſt diſtinctio rationis, & uerè habent diſtinctionem rationis. Cuius ratio eſt: quia ſi actus primus dicitur uerè competere alicui, non obſtante, quod non inſit ei ſubiectiuè; ſed tantum obiectiuè, & terminatiuè: & actus ſecundus, qui ſequitur ad actum primum, dicitur uerè competere eidem, ſi ſolum inſit ei obiectiuè, & terminatiuè, ſed res uerè habent eſſe conceptum, eſſe cognitum, eſſe intellectum, dato, quòd iſta non inſint eis ſubiectiuè: ſed ſolum obiectiuè, terminatiuè, & denominatiuè: ergo, &c. HIS prænotatis facile eſt reſpondere ad rationes contrarias. Ad primum dico, quòd Minor ſub ſenſu, ſub quo ſit, eſt falſa: quia diſtinctio rationis, quę immediatè eſt à ratione fabricata, non eſt adæquata enti rationis; ſed diſtinctio rationis, quæ immediatè oritur ab extremis rationis, ut dictum eſt. Et de hoc bene concedo, quod non poteſt competere entibus realibus: Sed non ſequitur diſtinctio rationis, quę oritur ab extremis realibus, non conuenit entibus realibus: ergo nec diſtinctio rationis, quæ immediatè à ratione fabricatur: quia in tali modo arguendi committitur fallacia conſequentis, ut ſi dicatur. Non eſt homo: ergo non eſt animal.

Ad ſecundum, cum dicitur, cui repugnat actus primus, ei neceſſariò ſecundus, &cęt. Conceditur, quòd eodem modo repugnat actus ſecundus, quo modo ei repugnat actus primus. Ad minorem, cum dicitur, quòd eſſe rationis entibus realibus repugnat, patet per ſecundam concluſionem, quòd non eſt uerum. Et tamen notandum, quòd eſſe rationis competere enti reali poteſt intelligi tripliciter. Vno modo, quòd eſſe rationis competat enti reali quidditatiuè. Alio modo, quòd competat ſibi ſubiectiuè, & fundatiuè. 3 Quòd competat ſibi obiectiuè, & terminatiuè. Primis duobus modis concedo eis, quòd eſſe rationis non competit enti reali: quia tunc benè ſequeretur, quòd dependeret à ratione ſicut ipſi arguebant.

3 Autem modo, nullum eſt inconueniẽs; immò neceſſarium eſt eſſe rationis competere extremis realibus: & ideo peccat iſta ratio; ſicut & prima per fallaciam conſequentis. Ad tertium, cum dicitur, alia entia realia, aut ſunt extrema diſtinctionis rationis, ut ſunt res: aut, ut non ſunt res. Dico, quòd nec iſto modo, nec illo modo: nam ſi entia realia eſſent extrema talis diſtinctionis, ut ſunt res, nihil poſſet diſtingui ratione, niſi eſſet res. Si autem eſſent extrema talis diſtinctionis, ut non ſunt res, cum iſta reduplicatione: nunquàm res poſſet diſtingui ratione, cuius oppoſitum eſt probatum. ET SI dicatur, *Obiectio cõtra reſp.* quòd iſta ſunt contradictoria. Dico, quòd non eſt uerum: quia utraque eſt affirmatiua: nam negatio non cadit ſupra uerbum principale: ſicut, ſi diceretur, homo, uel eſt albus quidditatiuè, uel eſt non albus quidditatiuè: iſtarum utraque eſt falſa: quia ſicut albedo non eſt de quidditate hominis; ita nec negatio albedinis; ſed ſi dicatur, homo uel eſt albus quidditatiuè, uel non eſt albus quidditatiuè: tunc concedendum eſt neceſſariò alterum membrorum, ſcilicet, quòd non eſt albus quidditatiuè: & ita dico in propoſito: entia enim realia non ſunt extrema diſtinctionis rationis, nec, ut ſunt res, nec ut ſunt non res: quia ambæ ſunt affirmatiuę. Prima quidem eſt affirmatiua de de prædicato finito: ſecunda uerò affirmatiua de prædicato infinito, ſiue de prædicato negato, ut patet. 2. Periermen. *Cap. 1.* SI AVTEM quæratur de qua reductione entia realia ſunt extrema diſtinctionis rationis? *Inquiſitio non inutilis.* Dico, quòd ut comparata ad rationem, ſiue ut habent eſſe rationis, quod ſibi non repugnat, ut patuit ſuperius. Ad quartum, cum dicitur, quòd ſi diſtinctio rationis fundaretur in entibus realibus, quòd præſupponeret potentiam receptiuam, per quam reciperetur in eis. Dico, quòd iſta ratio procedit ex falſa imaginatione: imaginatur enim, quòd diſtinctio rationis fundetur ſubiectiuè in extremis realibus, quod non eſt uerum, ut dictum eſt, ſed ſolum fundatur in eis obiectiuè, ſiue terminatiuè, & ideo oportet ſolum dare in ipſis extremis realibus potentiam ad eſſe cognitum, & ad eſſe obiectum, & eſſe terminatum: hæc autem potentia nihil aliud eſt, quàm conceptibilitas; ſicut potentia ad eſſe uiſum, eſt uiſibilitas: & ideo rationes iſtæ, quàmuis prima fronte habeant apparentiam aliquã; in rei ueritate nihil cõcludunt. Et ſic patet, quid ſit dicendum ad primam partem huius articuli.

QVANTVM ad ſecundam partem huius articuli. Vtrum uidelicet diſtinctio rationis in quacunque re arguat neceſſariò aliquam diſtinctionem, uel non idemptitatem primam omni actu intellectus in ipſa re? Vel, quòd idem eſt. Vtrum conconceptibilitas mouens ipſum intellectum ad concipiendum diuerſa de eadem re arguat neceſſariò aliquam diſtinctionem, uel non idemptitatem in re ipſa preuia omni actui intellectus? In hac difficultate hoc ordine procedam. 1 Namque dicam illud, quod mihi uidetur. 2 Mouebo quædam dubia circa dicta, quibus ſolutis, erit finis huius articuli.

PRIMO quidem quantum ad hoc, pono duas concluſiones. Prima eſt, quòd de eadem re penitus indiſtincta, uel omnibus modis eadem, poſſunt haberi diuerſi conceptus, accipiendo conceptum pro ente rationis: nam ſecus eſſet, ſi loqueremur de conceptu reali ex parte rei ſe tenentis. Secunda concluſio eſt, quæ ſequitur quaſi ad iſtam, quòd diſtinctio rationis nõ ne-

D 2 ceſſariò

ceſſariò arguit diſtinctionem aliquam, ſiue non idemptitatem præuiam omni actu intellectus in re ipſa.

PRIMA concluſio probatur tripliciter. 1 Sic. Si de quacunque re haberi poſſunt diuerſi conceptus prædicati, & ſubiecti, de eadem re haberi poſſunt diuerſi conceptus prædicati, & diuerſi cōceptus ſubiecti, accipiendo conceptum pro ente rationis. Iſta, patet; quia conceptus prædicati, & conceptus ſubiecti ſunt conceptus rationis, ſiue entia rationis: & ſunt ad inuicem ſecundum rationem diſtincti: prędicatum. n. diſtinguitur à ſubiecto, ſaltem ſecundum rationem; ſed in eadem re, quantuncunque ſimplici, & indiſtincta, & quantūcunque ſibi ipſi idemptificata, poſſunt haberi cōceptus prędicati, & ſubiecti: ergo, &c. Minor patet, dicēdo, deitas eſt deitas, hoc eſt prædicatū, & ſubiectum: & ſimiliter poſſumus dicere de quacūque re, ſi eſſet adhuc magis ſibi idem, quàm deitas, quod tamen eſt impoſſibile; immò quanto res magis eſſet ſibi idem, tanto propoſitio eſſet uerior. 2 Sic. De quacunque re poſſunt haberi conceptus confuſus, & diſtinctus: communis, & proprius; poſſunt haberi diuerſi conceptus, accipiendo conceptum pro ente rationis: ſed de quacunque re, quantuncunque ſimplici, & indiſtincta poſſunt haberi tales conceptus: ergo, &c. Maior patet. Sicut Maior primæ rationis. Minor probatur: nam accipio unam rem. Vocetur A, aut. A. eſt ſibi omnibus modis idem, aut non, per regulam contradictionis. Si dicatur, quòd ſic. Habeo propoſitum; nam de iſta. A. poſſunt haberi conceptus confuſus, & proprius, ſi cognoſcatur ſub ratione entis; & diſtinctus, ſi cognoſcatur ſub ratione propria. Et pari ratione poſſunt haberi conceptus communis, & propius. Si uerò dicatur, quòd. A, ſit idem realiter diſtinctum formaliter: accipio unam illarum formalitatum. Et petam de illa, ſicut petebam de toto. A. Si dicatur, quòd illa formalitas eſt ſibi omnibus modis idem. Habetur propoſitum: quia adhuc de illa poſſunt haberi prædicti cōceptus: quia uel formalitas eſt nihil, uel poteſt concipi ſub ratione entis, & conſimili ratione propria, utputa, ſub ratione talis formalitatis. Si uero detur ſecundum, uidelicet quòd illa formalitas adhuc habet aliquam non idemptitatem ex parte rei. Accipiam ſicut prius unum extremum illius non idemptitatis. Et petam de illa, ſicut petebam de tota formalitate: ergo erit proceſſus in infinitum in entibus realibus: quia realitates ſunt formalitates reales proponentes eas. Aut erit ſtandum in primis, uidelicet, quòd de quacunque re penitus indiſtincta poterunt haberi prædicti conceptus: ſed proceſſus in infinitum eſt uitandus. 3 De quibuſcunque poſſunt haberi conceptus explicitus, & implicitus, magis notus, & minus notus; de eodem poſſunt haberi diuerſi conceptus accipiendo conceptus pro ente rationis: ſed de eadē re omnimodè ſibi eadem, & indiſtincta poſſunt haberi prædicti conceptus: ergo, &c. Maior eſt nota, ſicut præcedentes. Minor probatur: quia diffinitio, & diffinitum ſunt penitus idem, nec diſtinguuntur realiter, nec formaliter, cum completa diffinitio includat quidquid reſpectus, & formalitatis eſt ipſius: aliàs non eſſet diffinitio completa; & tamen de diffinitione, & diffinito habentur prędicti conceptus: quia conceptus diffinitionis eſt explicitus, & magis notus conceptu diffiniti; & econuerſo; ergo, &c. SECVNDA concluſio probatur tripliciter. 1 Cui non repugnat diuerſitas conceptuum, non repugnat diſtinctio rationis; ſed uni, & eidem rei, quantumcunque ſimplici, & indiſtinctæ non repugnat diuerſitas conceptuum: ergo. Minor patet ex prima concluſione. Maior etiam patet: quia, cui non repugnat prius, nec poſterius, quod de neceſſitate ſequitur ad primum: ſed ad diuerſitatem conceptuū ſequitur neceſſariò diſtinctio rationis, cum conceptus diſtinguantur ratione: ergo. 2 Cui non repugnat eſſe extrema relationis rationis, ei non repugnat eſſe extremum, uel extrema diſtinctionis rationis; ſed uni, & eidem rei, quantumcunque ſimplici, & indiſtinctæ non repugnat eſſe extremum, uel extrema relationis rationis: ergo. Maior nota; quia ſicut relatio realis præſupponit diſtinctionem, ſiue non idemptitatem realem in ſuis extremis; ita relatio rationis præſupponit diſtinctionem, ſiue non idemptitatem rationis in ſuis extremis. Minor nota eſt ſecundum Ariſt. 5. Met. ubi dicit, quod quælibet res fundat idemptitatem ad ſe ipſam, quæ eſt relatio rationis: ergo, &cæt. *tex. c. 16.* 3 Diſtinctio minor non arguit neceſſariò diſtinctionem maiorem; ſed diſtinctio rationis eſt minor diſtinctione reali, uel non idemptitate reali: ergo. Maior patet de ſe; nam ſi diſtinctio minor neceſſariò arguat maiorem; tunc diſtinctio formalis arguet realem, quod tamen negant illi, qui fortè tenent oppoſitam concluſionem. Minor nota eſt ex terminis.

*Impugnatio quorundam.* SED CONTRA iſtas concluſiones arguitur ab aliquibus ſic. Cui repugnat prius, repugnat poſterius, quod neceſſariò præſupponit prius; ſed rei, ſiue realitati omni ſimplici, & indiſtinctæ repugnat diuerſitas conceptuum, quam præſupponit neceſſariò diſtinctio rationis: ergo rei repugnat diſtinctio rationis. Maior nota. Minor probatur tripliciter. 1 Sic. Idem manens idem ſemper facit idem in effectu; & per conſequens in conceptu. 2. de Generatione: & per conſequens de re ſimplici, & indiſtincta, cum ſcilicet permaneat idem, non poterunt diuerſa concipi. *tex. c. 56.* 2 Quando intellectus concipit diuerſa de re ſimplici, ſiue habet de ea diuerſos conceptus, uel terminatur ad unum, uel ad plura. Si ad plura, habetur propoſitum. Si ad unum, tunc non erunt diuerſi conceptus: quia unum intellectum non cauſat, niſi unum conceptum. 3 Illud neceſſariò requiritur ad diſtinctionem conceptuum, quod eſt totalis cauſa illius diuerſitatis, patet de ſe; ſed diuerſitas in obiecto eſt totalis cauſa diuerſitatis in conceptu. Minor probatur: quia ſicut ſe habet obiectum ad conceptum; ita diſtinctio in obiecto ad diſtinctionē in cōceptu; ſed ſi non eſſet obiectū, nō eēt conceptus: ergo ſi non eſſet diſtinctio in obiecto, non eſſet diſtinctio in conceptibus; ergo, &c. *Reſolutio rationum Aduerſariorum.* AD ISTAS rationes, per ordinem eſt dicendum. Cuius gratia eſt aduertendum, quod iſta diſtinctio rationis, quę immediatè fabricatur à ratione, aliquo modo oritur à natura rei; nec tamen propter hoc debet uocari diſtinctio ex natura rei: nam ullam diſtinctionem, uel non idemptitatem ponit in re ipſa: & ideo non debet dici diſtinctio ex natura rei, prout diuiditur contra diſtinctionem rationis. Oritur autem iſta diſtinctio, ſi uerè dicatur uno duorum modorum. Aliquando oritur ex natura rei neceſſitantis. Aliquando ex natura rei non repugnantis, cum non repugnat naturæ rei concipi diuerſimodè: & talis eſt diſtinctio diffinitionis, & diffiniti: quia non repugnat rei explicitè, & implicitè concipi. Hoc ſuppoſito, dico ad rationes.

AD PRIMAM cum diceretur. Cui repugnat prius, & poſterius, &cæt. Concedatur, ſed Minor eſt falſa, ſicut patet ex prima concluſione.

AD probationes. Ad primam, cum dicitur, idem manens idem, &c. Dico, quòd illa propoſitio dupliciter intelligi poteſt. Vno modo præcipuè poteſt intelligi, quod idem ſemper faciat idem, id eſt, eadem, ſiuè unum, ſiuè plura. Et iſte intellectus uerus eſt: & ideo licet obiectum ſit unum, & idem; poterit tamen ex ſe diuerſos conceptus, ſiue actus cauſare, id eſt mouere intellectum ad tales conceptus, uel ex natura rei rei neceſſitantis, uel ex natura rei non repugnantis, ut dictum eſt, ſed ſemper idem obiectum mouebit intellectum ad eoſdem conceptus, & non ad alios: ergo ratio non concludit. Ad ſecundum, cum dicitur, uel intellectus terminatur ad unum, uel ad plura. Dico, quòd terminatur ad unum tantum realiter, plura autem æquipollenter. Cuius gratia eſt aduertendum,



aduertendum, ꝙ non eſt inconueniens immò neceſſariū unum, & idem ſumi pluribus modis. Vnde ex parte rei rei æquipolleat in uirtute pluribus rebus: diuina namque eſſentia eſt omnibus modis una, & eadem, & æquipollet in uirtute; immò extendit ſe ad facta, & ad poſſibilia fieri: plura. n. poteſt facere diuina eſſentia exiſtens una, quàm omnia creata facta, & poſſibilia fieri, quantuncunque diuerſa. Et ideo diuina eſſentia, quæ realiter eſt una, poteſt dici, ut patet, ęquipollenter plura: hoc etiam reperitur in creaturis: una enim anima intellectiua exiſtens formaliter in corpore humano, ęquipollet uirtute diſtinctis rebus: tantum. n. facit ipſa ſola, quantum facerent anima uegetatiua, & ſenſitiua, ſi eſſent in compoſito: poteſt igitur iſta anima dici una realiter; plura autem æquipollenter. Et ita eſt in propoſito: quia idem unum obiectum ſimpliciter unum eſt, plura æquipollēter: quia uel de natura ſua intellectum neceſſitat ad diuerſos conceptus ita perfectè, ſicut eſſet diſtinctum ſecundum ſe, uel ad ſe realiter, uel ſaltem nō repugnat concipi diuerſis conceptibus, & diſtinctis, ut dictum eſt. Et cum dicitur, quòd unum intellectum nō cauſat niſi unum conceptum. Dico; quòd falſum eſt, ſi illud unum ſit plura æquipollenter, quod patet: quia tale unum poteſt cauſare plura in effectu: ergo multo fortius in conceptu. Ad tertium negatur Minor: eſt enim falſa ſimpliciter. Et propoſitio nulla eſt: quia ut dictum eſt, licet non poſſit eſſe aliquis actus, ſiue conceptus, niſi obiectum aliquo modo ſit; tamen poſſunt eſſe diuerſi conceptus ſine diſtinctione aliqua in obiecto: & ideo nō eſt uerum, quòd ſicut ſe habet obiectum adæquatum; ita diſtinctio in obiecto ad diſtinctionem in conceptu: patet igitur iſte articulus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT nunc uidere. Vtrum actus diſtinguantur per obiecta, & potentiæ per actus? Iſte ſecundus articulus ſicut præcedens continet duo dubia. Primum eſt. Vtrum actus diſtinguantur per obiecta?

Secundum eſt. Vtrum potentiæ diſtinguantur per actus? QVANTVM ad primam partem huius articuli hoc ordine ſic procedetur. Nam primo præmittam quaſdam diſtinctiones neceſſarias ad propoſitū concludendum. Secundo iuxtà membra iſtarum diſtinctionum ponam aliquas concluſiones, quas confirmabo aliquibus rationibus. Propter primum eſt aduertendum, quòd ſicut ſpecificatio eſt duplex, quædam intrinſeca, quædam extrinſeca, ut patet in primo articulo primæ concluſionis primi libri: ita ſuo modo eſt duplex diſtinctio quædam intrinſeca, quædam extrinſeca. Intrinſeca diſtinctio dicitur, quando aliqua res diſtinguitur ab alia per aliud, quod eſt de intrinſeca ratione ſui eo modo, quo aliqua ſpecies ſubſtantię diſtinguitur ab alia per differentiam ſpecificam, quę eſt de intrinſeca ratione ipſius. Et hæc diſtinctio intrinſeca oritur ex principiis conſtitutiuis intrinſecè, & formaliter. Extrinſeca aūt diſtinctio dicitur illa, quæ eſt, quando aliqua res diſtinguitur ab alia per aliquod, quod non eſt, nec pertinet ad rationem intrinſecam ipſius eo modo, quo una propria paſſio, ut puta, riſibilitas diſtinguitur, ab alia, ut puta, ab hinnibilitate: quia diſtinguitur ab ea per ſubiectum, quod tamen non eſt de intrinſeca ratione ipſius. Et hæc diſtinctio extrinſeca oritur ex principiis cōſtitutiuis extrinſecè, & materialiter: ſpecificatur. n. propria paſſio ſpecificatione extrinſeca per ſubiectum. Et ideo diſtinguitur extrinſece per ipſum. Hæc autem diſtinctio dicitur extrinſeca, non quia res in ſe non uerè diſtinguatur; ſed quia diſtinguitur per aliud, quod eſt extra rationem ipſius. Et hoc modo dicebatur ſpecificatio extrinſeca, ut ſupra patuit, hæc igitur diſtinctio eſt ad propoſitum neceſſaria, & prima. Secunda uerò diſtinctio eſt de diſtinctione actuum. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd de ipſis actibus animæ, de quibus pręſens eſt dubitatio, ſi bene attendamus, inuenimus quaduplicem diſtinctionem. PRIMO quidē inuenitur diſtinctio ſecūdum genus remotum, ſcilicet, in actibus diſtinctum, ſecundum quòd poſſumus dicere, quòd actus unius potentiæ diſtinguitur ab actu alterius potentiæ, puta, actus, qui eſt intelligere diſtinguitur ab actu, qui eſt uelle uel ſentire, & ſic de aliis. Voco autem iſtam diſtinctionem ſecundum genus remotum; non quòd iſti actus non ſint in eodem prædicamento; ſed quia habent maiorem diſtinctionem, quę poteſt eſſe inter actus ipſius animæ, ut patet intuenti.

SECVNDO inuenitur diſtinctio in actibus animæ ſecundum genus propinquum, ſecundum quem modum actus unius potentiæ poteſt eſſe diſtinctus ab actu eiuſdem potentiæ, dum modo illi actus ſint obiectorum diuerſorum generum: quia iſto modo diſtinguūtur actus intelligendi colores ab intellectu ſaporum. Voco iſtam diſtinctionem ſecundum genus propinquū: quia non eſt ita magna, ſicut prima. Iſti namque recipiuntur in eadem potentia. Et non eſt maior, quàm ſpecifica, quod patet: nam magis differunt actus intelligendi colorem, & actus intelligendi ſaporem, quàm actus intelligendi unum colorem differat ab actu intelligendi alium colorem. Cum ergo iſta ſit ſpecifica ſcilicet, ultima differentia de coloribus, & illa ſit maior iſta: relinquitur, quòd ſit diſtinctio ſecundum genus: & quia non eſt magna, ſicut prima, poteſt dici ſecundum genus propinquum. TERTIO inuenitur diſtinctio ſecundum ſpeciem, qui modus aliqualiter iam tactus eſt, puta, actus intelligendi album ſpecie differt ab actu intelligendi nigrum ſpecie, & ſic de aliis diſtinctis ſolum ſpecie. QVARTO modo inuenitur diſtinctio in actibus animæ ſecundum numerum, qui modus nunc dictus eſt, puta, quia actus intelligendi album in iſto tempore differt ab actu intelligendi album in alio tempore, quod probo: quia conſtat, quòd iſti actus habent aliquam diſtinctionem. Aut ergo ſpecificam, aut numeralem: non ſpecificam, quia ſunt in eadem potentia, & reſpectu eiuſdem obiecti ſecundum ſpeciem: ergo numeralem. Iſti ergo quatuor modi diſtinctionis principales in actibus animæ ſunt, & quamuis habeant multos gradus; omnes tamen reducuntur in iſtos quatuor, tanquam ad principales.

HIS ERGO premiſſis, cum quæritur. Vtrum diſtinctio actuum ſit ab obiectis? Pono quatuor concluſiones. Nam ſi quæratur de diſtinctione intrinſeca pono unam concluſionem, uidelicet. Quod actus ipſius animæ diſtinguuntur ſe ipſis, & per eſſentias ſuas intrinſecè & formaliter. Hæc concluſio probatur dupliciter. 1. Sic. Per quod aliquid conſtituitur in eſſe ſpecifico, & intrinſecè, & formaliter, diſtinguitur ab aliis intrinſecè & formaliter; ſed actus potentiarum animæ conſtituuntur in eſſe ſpecifico ſeipſis, & per eſſentias ſuas formaliter, & intrinſecè: ergo, &cæt. Maior eſt nota de ſe: quia idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum. Minor patet; nam nullum extrinſecum poteſt eſſe formale conſtitutiuum, & intrinſecum alicuius rei. 2. Sic, accipio illud, per quod tales actus adinuicem diſtinguuntur, quicquid ſit illud, & peto. Vel illud tale eſt eis intrinſecum, uel extrinſecum? Si intrinſecū habetur propoſitū. Si extrinſecū, ſequitur euidens contradictio: nā illud, quod diſtinguitur ab alio per aliquod extrinſecum, diſtinguitur extrinſecè, & non intrinſecè. Nos autem ponimus, quòd diſtinguatur intrinſecè: ergo euidenter implicatur; Et ſic relinquitur primum principale. SI AVTEM quæratur de diſtinctione extrinſeca: tunc ſecundum membra ſecundæ diſtinctionis pono plures concluſiones.

1 Si enim quæſtio quærat, de diſtinctione extrinſeca actuum animæ ſecundum genus remotum pono tres concluſiones. PRIMA eſt, quòd diſtinctio actuum ſecundum genus remotum non eſt totaliter ab obiectis. Hæc concluſio probatur una

ratione ſic. Illa diſtinctio quę neceſsariò præſupponit diſtinctionem formaliter potentiarum, non eſt totaliter ab obiectis; diſtinctio actuum ſm genus remotum eſt hmôdi: ergo. Minor patet per iam dicta de diſtinctione actuum ſecundum genus remotum. Maior uidetur nota: nam ſi talis diſtinctio actuum eſſet totaliter ab obiectis, poſita diſtinctione obiectorum poneretur talis diſtinctio actuum ſecundum genus remotum, ſiue tales actus eſſent eiuſdem potentiæ, ſiue non, quod falſum eſt ad intelligendum. SECVNDA concluſio eſt, quòd talis diſtinctio non eſt totaliter à potentijs, quòd probatur ſic. Illa diſtinctio, quæ neceſſariò præſupponit diſtinctionem obiectorum formalem, non eſt totaliter à potentijs; ſed diſtinctio actuum ſecundum genus remotum eſt huiuſmodi: ergo, &c. Maior patet, ſicut præcedens. Minor uidetur nota pro tanto: quia diuerſi actus genere remoto differentes non poſſunt terminari ad idem obiectum ſub eadem ratione formali, ut ſuppono ad præſens: probabitur enim inferius deo dante: ergo.

*Aduerſatur huic concluſioni Magiſter Gerardus. Sen. ord. Erem. D. Aug. 1. ſent. d. 1.*

SED CONTRA iſtam concluſionem eſt quidam reuerendus doctor qui dicit, quòd dinſtinctio actuum ſecundum genus remotum eſt totaliter à potentiis. Reſponſio fundamentalis ipſius eſt: quia iſti actus, ut dicit, habent tantam diſtinctionem, quantum ad potentias, quòd nullo modo poſſunt eſſe actus unius potentię, & tamen poſſunt eſſe actus unius obiecti: nam unam, & eandem rem poſſunt intelligere; & per conſequens talis diſtinctio debet reduci in cauſam in ipſas potentias, & non in aliquid aliud.

*Confutatio, atque impugnatio fundamēti præfati Doctoris.*

HAEC AVTEM concluſio non uidetur mihi totaliter uera, ut patebit in concluſione immediatè ſequentij, talis diſtinctio eſt aliquo modo ab obiecto, quamuis non totaliter. Et ideo arguo contra fundamentum huius doctoris ex fundamentis ſuis. Et quando ipſe dicit, quòd duo actus genere remoto differentes poſſunt eſſe unis obiecti. Vel intelligit, quòd poſſunt eſſe unius obiecti materialiter ſumpti; non tamen formaliter. Aut intelligit, quòd poſſunt eſſe unius obiecti formaliter ſumpti. Si intelligit primo modo; nihil uidetur facere ad propoſitum: nam bene conceditur, quòd ad talem diſtinctionem ipſorum actuum non requiritur diſtinctio materialis in obiectis: poteſt enim una, & eadem res intelligi, & diligi ſub eadē ratione materiali; requiritur tamen ad hanc diſtinctionem formalis diſtinctio obiectorum. Siuè iſta formalitas ſe teneat materialiter ex parte rei, & formaliter, & completiuè ex parte intellectus: quia de hoc uidebitur aliquid in. 3. huius. Si autem intelligit ſecundo modo, uidetur mihi repugnare dictis ſuis: ipſe enim dicit in eodem articulo, quòd iſti actus genere remoto differētes diſtinguūtur etiā ſpecie: quia omnia, quæ differunt genere, differūt etiam ſpecie: & ideo dicit, quòd quàmuis ſua diſtinctio ſecūdū genus remotum ſit à potentiis; ſua tamen diſtinctio ſecundum ſpeciem eſt ab obiectis. TVNC arguo. Aut iſti actus reſpiciunt unum, & idem obiectum ſecundum unam, & eandem rationem. Aut non. Si ſic: non poterunt diſtingui ſpecie ab obiectis: quia unum obiectum ſecundum eandem rationem formalem nō poteſt eſſe ratio diſtinctionis ſpecificæ ipſorum actuum, ut patet etiam per eum, ſcilicet in eodem articulo. Si uerò dicatur, quòd iſti actus non reſpiciunt idem obiectū ſecundum eandem rationem formalem: erit repugnantia in dictis ſuis, & habeo propoſitum: nam ſi ita eſt diſtinctio actuum ſecundum genus remotum, neceſſariò præſupponit diſtinctionem formalem obiectorum, & per conſequens eſt totaliter à potentijs. ITEM iſte met doctor in eadē quæſtione ſequenti dicit, quòd obiectum, ſi compararetur ad diuerſas potentias, puta, ad uoluntatem, & intellectum in ratione mouentis obijcit ſe eis ſub alia, & alia ratione: & ponit exemplum de obiecto fruitionis. HOC ſuppoſito, arguo ſic. Diſtinctio actuum non ſolum præſupponit obiectum in ratione mouentis; immò de neceſsitate in ratione terminantis; ſed in ratione terminantis obiicit ſe potentiis ſub alia, & alia ratione: ergo diſtinctio actuum præſupponit in obiecto aliam, & aliam rationem; & per conſequens nō erit totaliter à potentiis. Minor eſt ſua. Maior nota eſt: quia actus non habent eſſe completum antequàm terminentur ad obiectum; & per conſequens non habent eſſe diſtinctum; quia eſſe diſtinctum præſupponit eſſe; ſicut actus ſecundus præſupponit primū.

Item ſi iſti actus terminantur ad obiectum ſub alia, & alia ratione: non eſt bene dictum, quòd unum, & idē obiectum ſub alia ratione poſſumus intelligere, & uelle: hoc igitur non uidetur mihi totaliter uerum, ſalua reuerentia. Teneo igitur ſicut prius, quòd talis diſtinctio non eſt totaliter à potentiis. TERTIA concluſio eſt, quòd ad huiuſmodi diſtinctionem ipſorum actuum concurrunt potentię, & obiecta formaliter ſumpta, tanquàm duæ cauſæ partiales componentes, ſiue facientes unam cauſam totalem: eſt igitur talis diſtinctio actuum à potentijs, & obiectis formaliter ſumptis. Hæc autem concluſio: quàmuis aliqualiter pateat ex præcedentibus; probatur tamen una ratione tali. Illud, quo poſito, quocunque alio remoto, ponitur diſtinctio actuum ſecundum genus remotum: & quo remoto, quocunque alio poſito, remouetur talis diſtinctio; eſt totalis cauſa diſtinctionis talis; ſed poſita diſtinctione formali potentiarū, & poſita diſtinctione formali obiectiorum, ponitur diſtinctio actuum, ut de ſe patet, & potentiarum, uel obiectorum diſtinctione formali remota, remouetur neceſſariò talis diſtinctio actuum: ergo &c. Maior patet ex terminis. Minor nota per iam dicta: igitur ſequitur concluſio. SI AVTEM quæſtio quærat de diſtinctione actuum ſecundum genus propinquum, ſiue ſecundum ſpeciem; tunc pono duas concluſiones. Prima eſt, quòd diſtinctio actuum ſecundum genus propinquum eſt totaliter ab obiectis formaliter ſumptis. Secunda concluſio eſt, quòd diſtinctio actuum ſecundum ſpeciem eſt totaliter ab obiectis. Iſtas duas concluſiones ſimiliter probo duabus rationibus. PRIMO ſic. Illud, quod eſt cauſa pluriſicationis ſecundum genus propinquum, ſiue ſecundum ſpeciem, eſt cauſa diſtinctionis earum ſecundum genus propinquum, & ſecundum ſpeciem; ſed obiecta formaliter ſumpta, ſunt huiuſmodi: ergo. Maior nota: nam ſemper cauſa plurificationis aliquorum, eſt cauſa diſtinctionis ipſorum: Minor patet ex dictis: nam ut dictum eſt, actus diſtincti ſecundum ſpeciem, uel ſecundum genus propinquum numerantur ſecundum numerum obiectorum: ergo, &c. SECVNDO ſic. Diſtinctio actuum ſpecifica. Aut eſt per ipſos met actus. Aut per obiecta. Aut per aliquod connotatum diſtinctum ab ipſis: hæc patet per ſufficientem diuiſionē: ſed non poteſt dici, quòd hoc ſit per ipſos met actus: quia actus, ut dictum eſt in prima concluſione, ſe ipſis diſtinguuntur formaliter, & intrinſecè: modo autem loquimur de diſtinctione extrinſeca. Nec poteſt dici, quòd diſtinguantur per aliquod connotatum: quia connotatum nihil facit ad talem diſtinctionem, ut patebit inferius. Sed probo, quòd non diſtinguantur per potentias. Nam, ſi hoc eſſet; ſequeretur, quòd omnes actus, qui eſſent in eadem potentia, eiuſdem eſſent ſpeciei, & eiuſdem generis propinqui: ſiue, quòd eſſent ijdem ſecundum genus propinquum, ſiue ſecundum ſpeciem; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia nota eſt. Falſitas conſequentis ſuperius eſt oſtēſa: ergo relinquitur, quòd talis diſtinctio reducatur, ſicut in totalē cauſam, in obiecta formaliter ſumpta. SI VERO quęſtio quærat de diſtinctione actuum ſecundum numerum, pono quatuor concluſiones. Prima eſt, quòd diſtinctio numeralis ipſorū actuū non eſt totalis, uel totaliter à potētiis.

Secunda eſt, quòd talis diſtinctio non eſt totaliter ab obiectis. Tertia eſt, quòd iſta diſtinctio non poteſt eſſe ab obiectis, & potentijs ſimul: ita, quòd iſta duo concurrant, ſicut duæ cauſæ partiales ad conſtituendum unam cauſam totalem eo modo, quo dicebatur, quòd diſtinctio actuum ſecundum genus remotum eſt à potentijs, & ab obiectis formaliter ſumptis. HAE AVTEM tres concluſiones probantur una ratione tali. Illa diſtinctio, quæ poteſt ſtare cum unitate numerali obiecti, & potentiæ, non poteſt eſſe ab obiecto totaliter, nec à potentia, nec ab iſtis ſimul ſumptis; ſed diſtinctio iſtorum actuum eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet de ſe: nam ſicut eo ipſo, quòd diſtinctio ſpecifica ipſorum actuum eſt ab obiectis, requirit, ſiue præſupponit in obiectis diſtinctionem ſpecificam, ut patet ex iā dictis, ſic & diſtinctio numeralis iſtorum actuum præſupponit diſtinctionem numeralem in principijs diſtinctiuis. Minor patet: nam una, & eadē potentia numero, ut puta, intellectus, uel idem ſenſus de uno, & eodem ſubiecto numero in diuerſis potentiis poteſt habere diuerſos actus, qui tamen ſunt ad inuicem diſtincti ſecundum numerum, ut patet ex dictis: ergo, &c.

QVARTA concluſio, & ultima, quo ad iſtā partem, ꝙ diſtinctio numeralis iſtorum actuum eſt à potentijs, ſiue a potentia, ut connotat aliquid extrinſecum, ratione cuius interrumpitur ille actus: imaginor enim, quòd, ſicut motus alicuius mobilis, ſi nunquàm interrūperetur, ſemper idem motus eſſet numero: tamen quia aliquoties interrumpitur, cauſatur diſtinctio numeralis in motu: ſic etiam ſuo modo, ſi actus ipſius animę ſemper continuaretur ſic, quòd nunquàm interrumperetur: ſemper eſſet idem actus numero: ſed quia contingit actus interrumpi, cauſatur in eis diſtinctio numeralis. Et ideo dico, quòd talis diſtinctio eſt à potentia, ut connotat aliquod extrinſecum, ratione cuius interrumpitur actus. Hæc autem concluſio probatur ſic. Sicut ſe habent diuerſi intellectus ad idem obiectum in uno, & eodem tempore; ita ſe habet unus, & idem intellectus, ut connotat aliquod extrinſecum ad illud obiectū in alio, & alio tempore: hoc patet: quia hoc, quod faciunt diuerſi intellectus in eodem tempore, poteſt facere idem intellectus in alio, & alio tempore, connotando tamen aliquid extrinſecum, ſed diuerſi intellectus ſufficiunt ad diſtinctionem numeralem actuum reſpectu eiuſdem obiecti in eodem tempore, ut patet de ſe: ergo idem intellectus ſufficit ad iſtam diſtinctionē, connotando illud extrinſecum, ratione cuius interrumpitur actus eo modo, quo dictum eſt. Ex hoc apparet, ꝙ diſtinctio numeralis actuum poteſt prouenire ex parte potentię duobus modis. Vno modo, ſi una potentia feratur in idem obiectum alio, & alio tempore eo modo, quo dictum eſt. Alio modo, ſi diuerſæ potentiæ ſolo numero differentes, ferantur in unum, & idem obiectum, ſiue in eodem tempore, ſiue in diuerſis temporibus. Sic ergo patet, quid mihi uidetur dicendum, cum quærebatur. Vtrum diſtinctio actuum ſit ab obiectis?

QVANTVM ad ſecundam partem huius articuli ſecundi. Vtrum, uidelicet, potentiæ diſtinguantur per actus, ſuppoſitis diſtinctionibus prædictis in principio huius articuli: quia in parte faciunt ad propoſitum noſtrum. Et quantum ad illum ſecundum dubium pono quinque concluſiones. PRIMA eſt, quod potentiæ animæ, de quibus ad præſens loquimur, non diſtinguuntur per actus intrinſecè, & formaliter. Hæc concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. In eſſentialiter ordinatis ſecundum prius, & poſterius; poſterius non poteſt eſſe cauſa prioris diſtinctiua formaliter, & intrinſecè; ſed actus ſimpliciter ſunt poſteriores ipſis potentiis: ergo &c. Maior eſt nota de ſe: nam nullum poſterius poteſt eſſe conſtitutiuum prioris intrinſecè, & formaliter; & per conſequens nec diſtinctiuum. Minor patet: quia potentia eſt cauſa effectiua actus, uel ſaltem ſubiectiua. Quicquid detur; habetur, quòd præcedat ipſum: quia cauſa effectiua pręcedit effectum; etiā recipiens aliquo modo præcedit receptum: ergò &c.

2 Sic, Illud, quo remoto, potentiæ remanent diſtinctæ eſſentialiter, & intrinſecè, non eſt cauſa diſtinctiua potentiarum intrinſecè, & formaliter; ſed remotis actibus, potentiæ remanent diſtinctæ: ergo &c. Maior patet de ſe: quia remoto formali diſtinctiuo, neceſſariò remouetur diſtinctio. Minor patet: nam à dormiente remouetur actus uolendi, & intelligendi, & ſic de aliis: & tamen nullus diceret, quòd in dormiente potentię non diſtinguantur intrinſecè, & formaliter.

SECVNDA concluſio eſt, quòd potentiæ diſtinguuntur ſe ipſis per eſſentias ſuas formaliter, & intrinſecè. Hæc autem concluſio, ſicut prima, probatur dupliciter. 1 Sic. Illud, quo poſito, quocunque alio remoto per poſsibile, uel impoſsibile, potentiæ remanent diſtinctæ, & quo remoto, quocunque alio poſito, potentiæ non remanent in ſuo eſſe diſtinctiuo, eſt totalis cauſa diſtinctionis potentiarum formaliter: & intrinſecè; ſed poſitis eſſentijs potentiarum, amoto quocunque alio, remanent potentiæ adinuicem diſtinctę; remotis uero eſſentiis, nec remanent potentiæ, nec diſtinguuntur: quia non ſunt: ergo. Minor patet ex terminis. Maior uidetur nota: nā poſito per poſsibile, uel impoſsibile, quòd deus ſepararet intellectum, & uoluntatem ab anima: & annihilaret omnia alia; adhuc, nec intellectus eſſet uoluntas, nec econuerſo: immò tanta diſtinctione diſtinguerētur ad inuicem, ſicut modo: ergo.

2 Potentiæ ſe ipſis conſtituuntur in eſſe formaliter, & intrinſecè: ergo ſe ipſis diſtinguuntur formaliter, & intrinſecè. Conſequentia nota eſt: nam idem eſt principiū conſtitutiuum, & diſtinctiuum. Antecedēs patet: quia, ut pluries dictum eſt, nullum extrinſecum poteſt eſſe conſtitutiuum alicuius intrinſecè, & formaliter. TERTIA concluſio eſt, quòd potentiæ animæ non diſtinguuntur per actus materialiter, & intrinſecè. Et probatur dupliciter. 1 Sic. Potentiæ non conſtituuntur per actus extrinſecè, nec intrinſecè, ergo non diſtinguuntur per eos extrinſecè, nec intrinſecè. Conſequentia nota eſt per iam dicta. Antecedens probatur: nam in omni conſtitutione tam extrinſeca, quàm intrinſeca conſtituens oportet præcedere conſtitutum, quod patet de conſtitutione intrinſeca: genus enim, & differentia, quæ conſtituunt ſpeciem intrinſecè, præcedunt ipſam. Patet hoc idem de conſtitutione extrinſeca: nam ſubiectum, quod conſtituit ſpecificè propriam paſſionem ſpecificatione extrinſeca, eſt prius ea; actus autem non ſunt priores potentia. 2 Actus diſtinguuntur per potentias materialiter, & extrinſecè: ergo potentiæ non diſtinguuntur per actus extrinſecè, & materialiter. Conſequentia nota eſt: aliàs unum, & idem eſſet conſtituens, & conſtitutiuum reſpectu eiuſdem. Antecedens patet per iam dicta in prima parte huius articuli, ibi enim fuit probatū, quòd actus diſtinguuntur ſecundum genus remotum per potētias: & ſi non totaliter, ſaltem partialiter, diſtinguuntur etiā per eas numeraliter eo modo, quo dictum, eſt.

QVARTA concluſio eſt, quòd potentiæ animæ materialiter, & extrinſecè diſtinguūtur per obiecta propria, & adæquata formaliter ſumpta. Et hæc concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Sicut ſe habet ſciētia ad ſubiectum: ita potentia ad obiectum: ſed ſcientiæ diſtinguuntur materialiter, & extrinſecè per ſua ſubiecta adæquata formaliter ſumpta: ergo potentiæ diſtinguuntur ab obiecto formaliter ſumpto, & adæquato. Maior patet per locum à ſimili. Minor patet ex dictis in primo articulo huius libri, & per Philoſophum. 3. de de anima dicentem. Secantur ſcientiæ. &c. *tex. c. 38.* 2 Sic. Conſtitutiuum rei materialiter, & extrinſecè eſt ipſius diſtinctiuum materialiter, & extrinſecè; ſed obiectum eſt huiuſmodi reſpectu potentiæ: ergo. Maior eſt nota. Minor probatur ſic. Ex eo conſequitur potentia ſuam ſpecificationem, ex quo fit perfectior, & dignior allis potentiis: ſed hoc ineſt ſibi ab obiecto adæquato, formaliter ſumpto: ergo Maior huius patet: quia potentiam eſſe perfectiorem, & digniorem aliis, eſt ipſam habere altiorem gradum ſpecificum aliis. Minor patet per omnes doctores, qui dicunt, quod illa eſt perfectior potentia, cuius obiectum eſt perfectius.

QVINTA concluſio eſt, quòd potentiæ animæ diſtinguuntur

ſtinguuntur per actus manifeſtatiuè, & declaratiuè: nã ipſarum diſtinctio nobis per actus declaratur, & manifeſtatur, quod probatur dupliciter. 1 Sic. In habentibus ordinem eſſentialem prioritatis, & poſterioritatis; prius quo ad nos manifeſtatiuè, & declaratiuè eſt cauſa, ſiue ratio diſtinctionis poſterioritatis; ſed actus quo ad nos ſunt priores potentiis. 2. huius, & ſecundum expoſitionẽ doctoris noſtri: ergo. Maior nota eſt de ſe. Minor patet per Philoſophum, &c. 2 Sic. Illud, quod ducit in cognitionẽ entitatis, & unitatis potentiarum, ducit aliquo modo nos in cognitionem diſtinctionis ipſarum; ſed actus ſunt huiuſmodi: ergo. Maior patet pro tanto: quia ex quo per idem habet res eſſe, quod pertinet ad idemptitatem: & indiſtinctum eſſe à ſe, quod pertinet ad unitatem: & diſtinctum eſſe à quocunque alio. Neceſſariò, quod ducit nos in cognitionem entitatis, & unitatis aliquorum, ducit nos aliquo modo in cognitionem diſtinctionis ipſorum. Minor patet: nam, ſicut in cognitionẽ à priori cauſa ducit in cognitionem effectus; ita in cognitione à poſteriori effectus ducit in cognitionem cauſæ: ſed actus ſunt effectus potentiarum: nã potentiæ ſunt cauſam ipſorum, uel effectiua, uel fundatiua, uel ſubiectiua: quare &c. Sic igitur patent quinque concluſiones prædictæ.

*tex. c. 33.*

SED CONTRA has concluſiones arguitur per ordinem: & contra primam dupliciter. 1 Sic. Per quod aliquid reducitur de potentia ad actum, per illud diſtinguitur formaliter, & intrinſecè à quocunque alio; ſed per actus potentiæ reducuntur de potentia formaliter ad actum: ergo, &c. Maior patet: quia unumquodque diſtinguitur ſecundũ quòd eſt actu: & ideo per quod aliquid eſt actu, diſtinguitur à quocunque alio: quia actus eſt qui, diſtinguit, & ſeparat 7. Metaphyſicæ. Minor patet: nam, quàmuis ſecundum Philoſophum, obiectum reducat potentiam ad actum: nam. 2. huius dicitur, quòd ſenſibile reducit ſenſum de potentia ad actum: hòc tamen eſt ordinando potentiam ad actum, ſed actus, qui eſt formaliter in potentia, reducit ipſam formaliter de potentia ad actum: nam obiectum non eſt in potentia, nec informat ipſam. 2 Sic, ſecundum Commentatorem ſicut ſe habet materia ad formas ſenſibiles; ita intellectus ad formas intelligibiles; ſed materia ſpecificatur, & diſtinguitur per formas ſenſibiles: de ſe enim eſt totaliter indiſtincta: nam in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum: ergo intellectus ſpecificatur, & diſtinguitur per formas intelligibiles; ſed formæ intelligibiles ipſum intellectum ſunt informãtes, & ſunt ipſius actus: ergo. REPONSIO iſtarum. Ad primum, cum dicitur, per quod aliqd reducitur de potẽtia ad actũ, &c.

*Impugnatio contra prædicta cõcluſiones.*

*tex. c. 49.*

*Elicit. ex tex. c. 59.*

*3. de Anima. com. 5.*

*1. Met. tex. c. 17.*

Dico, quòd aliquid reduci de potentia ad actum poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd reducatur de potentia ſimpliciter ad actum ſimpliciter eo modo, quo per formam ſubſtantialem reducitur materia de potentia ad actnm. Alio modo poteſt intelligi, quòd aliquid reducatur de potentia ſecundum quid ad actum ſm quid: quando reducitur aliquid ad eſſe album. Si primo modo ſic intelligitur, concedatur Maior, quia, quod ſic educitur de potentia ad actum, de ſe nullum habet actũ: & ideo diſtinguitur per illud, per quod reducitur ad actum. Si uero intelligitur ſecundo modo, porpoſitio non habet ueritatem: nam, quod ſic reducitur ad actum, non excludit omnem actum; immò de ſe habet, & includit formaliter aliquem actum, per quem poterit diſtingui formaliter, & intrinſecè à quocunque alio, ſicut patet de homine, qui excluſa albedine, habet actum formalem per ſuam formam, per quam diſtinguitur à quoquoque alio. Et iſto ſecundo modo intellectus reducitur de potentia ad actum: quia non eſt pura potẽtia, ſicut materia: ideo ratio non concludit aliquid contra me.

Ad ſecũdum, cum dicitur; Sicut ſe habet materia &c. Dico, quòd ly ſicut poteſt eſſe nota, alicuius ſimilitudinis; uel poteſt eſſe nota omnimodæ ſimilitudinis. Si ſit nota alicuius ſimilitudinis uera eſt propoſitio: quia ſicut materia prima eſt in potentia ad omnes formas ſenſibiles; & eſt denudata omni forma, & omni actu; ita & intellectus, qui eſt in potentia ad omnes formas, eſt denudatus omni forma, & ſpecie intelligibili, & ad iſtum intellectum dicit Commentator illam auctoritatem. Si uerò ſit nota omnimodæ ſimilitudinis propoſitio eſt falſa: nam materia prima eſt pura potentia: & ideo excludit omnem actum; & per conſequens non habet aliquid, per quod diſtinguat: quia actus eſt, qui diſtinguit; intellectus autem non eſt pura potentia, ut dictum eſt: & ideo poteſt ſe ipſo, & per eſſentiam ſuam diſtingui à quocunque alio formaliter, & intrinſecè.

SECVNDO arguitur contra ſecundam concluſionem dupliciter. 1 Sic. Illa, quæ non habent eſſe ſe ipſis, non poſſunt diſtingui ſe ipſis formaliter, nec intrinſecè; ſed potentiæ animæ non habent eſſe ſe ipſis: ergo. Maior patet: quia ſicut ſe habet res ad eſſe; ita ad diſtingui: ex quo per idem res habet eſſe, &c. Et per cõſequens, quæ non habent eſſe ſe ipſis, non poſſunt diſtingui ſe ipſis. Item ſicut eſſe diſtinctum præſupponit eſſe; ita eſſe diſtinctiuum ſe ipſos præſupponit eſſe ſe ipſo. Patet igiẽ Maior. Minor probatur ſic, quia potentiæ aĩæ ſunt accidentia, accidentia autem non habent ſeipſis eſſe; immò habent eſſe per eſſe ipſius ſubiecti, ſiue ſubſtantię: quia accidentia non ſunt entia. 7. metaphyſicæ.

*2. Impugnatio contra ſecundam cõcluſ.*

*tex. c. 2.*

2 Sic. Si potentiæ animæ diſtinguerentur ſe ipſis. Aut diſtinguerentur ſe totis. Aut aliquo ſui, ſic, quòd habeant aliquid, in quo differant, & aliquid, in quo conueniant. Sed non poteſt dici primum, nec ſecundum: ergo nõ poſſunt diſtingui ſe ipſis. Minor probatur: nam ſi diſtinguerentur ſe totis, in nullo conuenirent; & per conſequens eſſet primo diuerſa, quod eſt falſum: nã quæ ſe totis differunt, & in nullo conueniunt, ſunt primo diuerſa: ſi autem in aliquo ſui conueniunt, & in aliquo ſui differunt: accipiatur illud, in quo differunt. Et & petatur. Aut illa, in quibus potentiæ differunt, differunt ſe totis? Aut aliquo ſui? Non ſe totis: quia eſſent primo diuerſa: in potentijs autem non ſunt aliqua primo diuerſa: ſicut nec ipſæ ſunt primo diuerſæ. Si aliquo ſui, petetur iterum: & ſic erit proceſſus in infinitum qui eſt uitandus: relinquitur ergo, quòd potentiæ non diſtinguuntur ſe ipſis. RESPONDEO ad primam iſtarum, cum dicitur, illa quæ non habent eſſe ſe ipſis. Dico, quòd hæc propoſitio habet ueritatem ſumpta uniformiter, ut puta, ſi dicatur ſic: illa, quæ non habent eſſe ſe ipſis formaliter, & intrinſecè, non poſſunt diſtingui formaliter, & intrinſecè; & ſi non habent eſſe materialiter, & extrinſecè, nõ poſſunt diſtingui materialiter, & extrinſecè ſe ipſis. Tunc dico ad minorẽ, quòd potentiæ animæ; ſicut aliqua accidentia, quàmuis non habeant eſſe ſe ipſis materialiter, & extrinſecè: quia requirunt ſubiectum, in quo recipiuntur; habent tamen eſſe ſe ipſis formaliter, & extrinſecè: aliàs non eſſent per ſe in prędicamento, quod eſt falſum: cum unaquæque res ponatur in prædicamento per rationem ſuam formalem. Et ideo bene concedo, quòd potentię animæ non diſtinguuntur ſe ipſis materialiter, & extrinſecè; diſtinguuntur tamen ſe ipſis formaliter, & intrinſecè.

Ad ſecundum, cum dicitur, quòd ſi potentiæ diſtinguerentur ſe ipſis, &c. Dico, quòd ſi uelimus tenere, quòd potentiæ animæ non ſint compoſitæ ex his, quàmuis ſint compoſitę huic: dicetur, quòd diſtinguuntur ſe totis ipſis: eſt tamen aduertendum, quòd diſtingui ſe totis poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd diſtinguantur ſe totis realiter, & conceptibiliter: ita, ꝙ nullo modo conueniant nec realitate, nec conceptibilitate. Alio modo poſſunt aliqua diſtingui ſe totis realitate: quia nulla realitas unius eſt realitas alterius; non tamen conceptibiliter: poſſunt enim conuenire in aliquo uno conceptu. Et iſto modo quæcũq; entia realia diſtincta realiter, diſtinguuntur ſe totis. Si ſecundo modo: ſic concedo, quòd ſe totis diſtinguuntur. Sed ſi primo modo intelligitur; ſic ipſæ potentiæ animę non diſtinguuntur: non tamen ſequitur propter hoc, quòd ſint primo diuerſa quia primo diuerſa nullo modo cõueniunt, nec realiter, nec



cõceptibiliter. Si uero uellemus dicere potẽtias animæ eſſe compoſitas ex his, adhuc poſſet ſolui ratio; ſed ad præſens non intendo tantum dilatare materiam: ſufficit enim, quòd ratio nihil concludit.

ARGVITVR contra tertiam concluſionem dupliciter. 1 Sic. Quod eſt aliquo modo diſtinctiuum potentiarum animæ: & non diſtinguit eas intrinſecè; uidetur neceſſariò eas diſtinguere extrinſecè; ſed potentiæ aliquo modo diſtinguũtur per actus, ut patet ex quinta concluſione: & actus non diſtinguunt potentias intrinſecè, ut patet ex prima concluſione: ergo, uidetur, quòd diſtinguant eas neceſſariò extrinſecè. Maior patet: quia omnis diſtinctio, uel eſt extrinſeca, uel intrinſeca; & per conſequens, uel eſſet diſtinctiuum, uel eſſet diſtinctum, uel erit intrinſecum, aut extrinſecum: quare, &c. 2 Sicut ſe habent actus ad obiecta; ita uidentur ſe habere potentiæ ad actus; ſed actus diſtinguuntur extrinſecè per obiecta, ut patet ex prima parte huius articuli: ergo potentiæ diſtinguuntur ſaltem extrinſecè per ipſos actus. Maior uidetur nota: nam ſicut potentiæ diſtinguũtur per actus; ita actus per obiecta. 2. de anima. Et confirmatur iſta ratio: quia ſi potentiæ non diſtinguerentur per actus extrinſecè, nec intrinſecè; ualde improprie loqueretur Philoſophus dicendo, potentias diſtingui per actus: ſicut actus per obiecta. RESPONDEO ad primum iſtorum, cum dicitur, quòd diſtinctiuum, quod non diſtinguit intrinſecè, diſtinguit extrinſecè. Dico, quòd iſta propoſitio ueritatem habet de his, quæ propriè diſtinguunt potentĩas: actus autem non propriè diſtinguunt; ſed diſtinctionem declarant, & manifeſtant, ut patet per primam concluſionem. Et non oportet, quòd ſi non diſtinguunt formaliter, & intrinſecè; diſtinguunt materialiter, & extrinſecè: quia tam diſtinctiuũ formaliter, & intrinſecè, quàm etiam diſtinctiuũ materialiter, & extrinſecè ſunt uerè, & propriè diſtinctiua, & per ſe: & ſic de eis loquitur, & ideo ratio non conuincit. Ad ſecundum cum dicitur, quòd ſicut ſe habent actus ad obiecta, &c. Dico, quòd ſi ly ſicut eſt nota omnimodę ſimilitudinis, propoſitio eſt falſa, quod patet euidenter: nam ſi ita eſſet, diſtinctio ſpecifica in obiectis argueret diſtinctionẽ ſpecificam in actibus: ita diſtinctio ſpecifica in actibus arguit diſtinctionem ſpecificam in potentiis, quod eſt euidenter falſum: poſſunt enim actus ſpecie diſtincti fundari in eadem potentia. Si uero ly ſicut ſit nota alicuius ſimilitudinis, uera eſt propoſitio: nam ſicut obiecta cognitione præcedunt actus. Ita etiam actus cognitione præcedunt potentiam. Et ad iſtum intellectum loquitur Philoſophus. 2. de anima, cum dicit prius eſt diffiniendum de obiectis: poſtea uero de actibus, & ultimo de potentiis: quia obiecta præcedunt actus, & actus potentias. Et ex hoc non ſequitur, quòd ita diſtinguantur potentiæ per actus: ſicut actus per obiecta. Aduertendum tamen, quòd per iſta uerba non intendo dicere, quòd ſolum obiecta præcedant actus cognitione, ſicut actus potentias: immò ſimpliciter ipſa obiecta ſunt priora ipſis actibus: ſed ſufficit, quòd ſit aliqualis ſimilitudo eo modo, quo dictum eſt. Per idem patet ad confirmationem Philoſophi: fuit enim Philoſophus loquutus ualde propriè iuxta materiam datam: ipſe enim uoluit prius eſſe determinãdum de obiectis, quàm de actibus, & de actibus prius, quàm de potentiis. Et probauit Philoſophus per hoc, quòd potentię diſtinguũtur per actus, & actus per obiecta eo modo, quo expoſitum eſt. Et quia ſermones inquirendi ſunt iuxta materiam, ipſe ualde propriè fuit locutus: ergo.

*3. Impugnatio cõtra 3. concluſ.*

*tex. c. 22.*

*tex. c. 33.*

ARGVITVR ſic contra quartam concluſionem dupliciter. 1 Sic. Propriæ paſsiones diſtinguuntur materialiter, & extrinſecè per proprium, & immediatum ſubiectum; ſed potentiæ ſunt paſsiones animæ, uel ſubiecti, in quibus fundantur, & non in obiectis: ergo diſtinguuntur per ſubiecta, & non per obiecta. Maior, & Minor uidentur notæ: ergo. 2 Sic. Si potentiæ diſtinguerentur per obiecta materialiter, & extrinſecè; tunc ad maiorem diſtinctionem obiectorum, ſequeretur maior diſtinctio potentiarum; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia nota eſt: quia maior diſtinctio in principiis diſtinctiuis arguit maiorem diſtinctionem in diſtinctis. Falſitas conſequentis patet: quia magis diſtinguuntur ſenſus uiſus, & ſenſus communis, quàm uiſus, & auditus: & tamen obiecta ſenſus communis, & potentiæ uiſiuæ magis conueniunt, quàm uiſus, & auditus: quia obiectũ uiſus eſt pars ſubiectiua obiecti ſenſus communis; ſed obiectum uiſus non eſt pars ſubiectiua obiecti ſenſus auditus; nec econuerſo.

*4. Impugnatio cõtra 4. concluſ.*

RESPONDEO ad primum iſtorum, cum dicitur. Propriæ paſsiones diſtinguuntur, &c. Dico, quòd propria paſsio, ſiue proprietas poteſt capi dupliciter, ut ſpectat ad propoſitum. Eſt enim quædã proprietas, quæ oritur ex propriis principiis ſpeciei; & talis eſt propria paſſio: quia competit uni, & ſoli, & ſemper, ut riſibilitas reſpectu hominis. Eſt alia proprietas, quæ, quàmuis oriatur ex principiis naturæ, ſiue ex principiis intrinſecis; non tamen oritur ex principiis ſpeciei; ſed ex principiis generis propinqui, uel remoti: & talis poteſt dici propria paſsio; non ita proprie, ſicut prima. De prima conceditur, quòd diſtinguitur per ſubiectum: quia per ipſum ſpecificatur. De ſecunda non oportet: quia talis poteſt competere ſecundum ſpeciem diſtinctis Et cum dicatur in Minori, quòd potentię ſunt proprietates, ſiue propriæ paſsiones animę uel ſubiecti, in quo fundantur. Dico, quod uerum eſt de ſecundo modo: non autem de primo: conſtat enim, quòd ſentire competit diſtinctis ſecundum ſpeciem; non autem intelligere, & uelle, cum ſint eiuſdem rationis in ſubſtantiis ſeparatis, & in nobis. Si uero non; tunc conceditur, quòd in quantum ſunt proprietates animæ intellectiuæ diſtinguũtur, & ſpecificantur materialiter, & extrinſecè per ipſam; ſicut per proprium ſubiectum. De hoc tamen ad præſens non intromitto me. Ad ſecundũ, cum dicitur, quod ad maiorem diſtinctionem obiectorum, ſequitur maior diſtinctio potentiarum. Concedo, quòd maior diſtinctio in obiecto formaliter ſumpto, arguit maiorem diſtinctionem potentiarum, non materialiter ſumpto. Et tunc ad Minorem, ſiue ad falſitatem conſequentis dico, quòd obiectum uiſus; & obiectum ſenſus communis formaliter ſumpta, magis diſtinguuntur per obiectum uiſus, & auditus. Nec probatio ualet: nam, quòd obiectum uiſus ſit pars ſubiectiua obiecti ſenſus communis; non oportet eſſe minorem diſtinctionẽ obiectorum formalem; ſed ſolum materialem: ideo ratio non conuincit.

QVINTO, & ultimo arguitur contra quintam concluſionem dupliciter. 1 Sic. Quòd nullo modo eſt diſtinctiuum potentiarum animæ, nullo modo eſt declaratiuum, ſiue manifeſtatiuum diſtinctionis ipſarum, ſed actus, ut patet ex prima, & ſecunda cõcluſione, nullo modo eſt diſtinctiuum poẽtiarum animæ: ergo. Maior eſt nota. Minor per iam dicta patet. 2 Diſtinctio in effectu non arguit diſtinctionem in cauſa: non. n. oportet dare tantam diſtinctionem in principiis, quantam in principiatis; ſed actus ſunt effectus potentiarum: ergo ex diſtinctione actuum nõ poteſt declarari, nec argui diſtinctio potentiarum.

*5. Impugnatio cõtra 5. concluſ.*

RESPONDEO Ad primum, cum dicitur, illud, quod non eſt diſtinctiuum, non poteſt eſſe diſtinctionis declaratiuum. Dico, quòd uerum eſt: ſi nullo modo habet ordinem ad diſtinctionem: lapis. n. quia nõ diſtinguit potentias, nec habet eſſentialem ordinem ad eas, non eſt declaratiuus diſtinctionis ipſarum. Si uero illud tale habet eſſentialem ordinem ad iſta diſtincta; propoſitio eſt euidenter falſa; effectus enim non eſt propriè diſtinctiuum ſuę cauſæ: cum præſupponat ipſam eſſe, & per conſequens diſtinctionẽ: quia habet eſſentialem ordinem ad eam. Deducit enim in cognitionẽ entitatis euedentis diſtinctionis ipſius, ut dictum eſt ſupra. Et iſto mõ actus comparantur ad potentias. Ad ſecundum, cum dicitur, quòd diſtinctio effectuum non arguit diſtinctionem in cauſa. Dico, quòd principium eſt duplex

eſt duplex naturale, & ſupernaturale. Si loquamur de principio ſupernaturali; concedo, quòd nulla diſtinctio in effectu arguit diſtinctionem in principio: quia principium tale eſt infinitę uirtutis. Si uero loquamur de principio, ſiue de cauſa naturali: quia talis eſt limitata, & finita: dico, quòd diſtinctio in effectu arguit diſtinctionem in cauſa: poteſt enim una cauſa producere multos effectus; ſed, ſicut dictum eſt ſuperius, quàmuis idē mouens, ſemper faciat idem, ſiue eadem, ſiue unum, ſiue plura; non tamen ſemper facit unum tantum. Et ideo ſecundum aliam diuerſitatem effectuum poſſumus arguere diuerſitatem in cauſa: ſic eſt in propoſito: nam à quacunque diſtinctione actuum non arguitur diſtinctio potentiarum: poſſunt enim duo actus diſtincti ſpecie, & etiam genere propinquo fundari in eadem potentia, ut ſuperius dictum eſt, ex diſtinctione actuum ſecūdum genus propinquum. Sed ex diſtinctione actuum ſecundum genus remotum arguitur diſtinctio potentiarum. Sic idem manens idem, non facit idem, ideſt unum ſolū; immò non faceret eadem, quod eſt falſum: rationes igitur non concludunt. Patet ergo, quid ſit dicendum de diſtinctione actuum, & potentiarum. Et hæc de ſecundo principali.

## ARTICVLVS TERTIVS.

RESTAT nunc uidere tertio. Vtrum potentiæ animæ diſtinguantur realiter inter ſe? Hoc enim quærebat quæſtio principalis. Et, quàmuis iſte articulus poteſt extendi ad potentias animæ uegetatiuæ, & ſenſitiuæ, & intellectiuę; ad præſens tamen reduco eum de potentiis animæ intellectiuæ: de his enim uidetur maius dubium, & controuerſia inter doctores. Et ad præſens non intendo inquirere. Vtrum intellectus agens ſit diſtincta potentia ab intellectu poſsibili? De hoc enim erit quæſtio principalis in tertio huius, deo dante. Intendo igitur iſtum articulum ducere, uel deducere tantum de tribus potentiis animæ intellectiuæ, quæ ſunt memoria, intellectus, & uoluntas; ſiue de partibus imaginis, quòd idem eſt. Et ſecundum hoc iſte articulus diuiditur in duas partes, ſicut pręcedentes. Prima eſt. Vtrum intellectus, & memoria ſint potentiæ realiter diſtinctæ. Secunda eſt. Vtrum intellectus differat realiter à uoluntate?

*Gotfred. quodl. 8. ar. 6. et. 9. art. 5.*

QVANTVM ad primam partem huius articuli dicunt aliqui doctores, quòd memoria, quæ eſt una pars imaginis eſt potentia realiter diſtincta ab intellectu. Hæc concluſio probatur una tali ratione. Intellectus agens eſt potentia realiter diſtincta ab intellectu poſsibili; ſed memoria eſt ipſe met intellectus agens: ergo, &c. Maior ſupponatur. Minor probatur. 1 Sic. Duo enim ſunt, quæ memoriæ ſpecialiter competunt. Primum eſt, quòd memoria continet ſpecies. Secundum eſt, quòd ex ea oritur, ſiue generatur intelligentia. Primum competit intellectui agenti; continet enim omnes ſpecies intelligibiles uirtualiter: quia eſt illud, quod eſt omnia facere tertio de anima.

*Tex. c. 18.*

Secundum etiam ſibi competit, quòd intellectus agens eſt illud, quod cauſat uniuerſale, quod eſt motiuum intellectus; & per conſequens ab eo oritur, & generatur intelligentia. 2 Sic. Intellectus agens uerè pertinet ad imaginem: ergo eſt ipſa met memoria. Probatur antecedens, & conſequentia. Conſequentia probatur ſic. Tres ſunt partes imaginis, ſcilicet intellectus, memoria, & uoluntas; ſed intellectus agens non eſt poſsibilis, nec uoluntas, ut ſupponitur nunc, erit ergo memoria, ſi pertinet ad imaginem. Antecedens probatur ſic. Imago quærenda eſt in ſuprema parte animæ, ſiue in ſupremis potentiis animę noſtræ, ſed intellectus agens eſt aliquid ſupremum ſimpliciter inter potentias animæ noſtræ: ergo uidetur uerè pertinere ad imaginem.

*Confutatio opinionis præmiſsæ.*

HAEC AVTTEM opinio uidetur falſa in ſe, & in ſuis motiuis. Et ideo de hoc pono tres concluſiones. Prima eſt, quòd in parte intellectiua uerè, & propriè ſit aliqua memoria: hoc enim ſupponitur in iſto articulo: Secunda eſt, quòd intellectus agens non pertinet propriè ad imaginem, Tertia eſt, quæ ſequitur ex iſtis, quòd intellectus agens eſt potentia realiter diſtincta à memoria.

*Vide hunc Doctorē. 1. ſent. d. 3. q. 1. art. 2.*

PRIMA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. In anima ſeparata reperitur uerè, & propriè imago trinitatis, nō minus, quàm coniuncta, & tamen non poteſt eſſe potentia ſenſitiua, aliqua formaliter: ergo in ipſa eſt uerè, & propriè memoria. Conſequentia nota eſt: nā ex quo eſt una pars imaginis, anima ſeparata: non eſſet imago trinitatis; ſi non haberet memoriam. Et ex quo in anima ſeparata nulla eſt potentia ſenſitiua: oportet, quòd memoria uerè, & propriè ſit in parte intellectiua; & non ſolum in anima ſenſitiua, ut aliqui imaginantur. Antecedens patet de ſe, quo ad ambas, partes: ergo. 2 Sic. Memoria nihil aliud eſt, quàm quædam potentia conſeruatiua ſpecierum: ergo &c. Maior patet. Minorē ponit Philoſophus tertio de anima, ubi dicit, quòd anima eſt locus ſpecierum nō tota, ſed intellectiua.

*Tex. c. 6.*

SECVNDA concluſio probatur dupliciter. Sic. Quælibet pars imaginis habet aliquem actum formalem reſpectu obiecti; ſed intellectus agens nullum habet actū formalem: ergo. Maiorem ponit expreſsè Magiſter Sententiarum primo libro, diſtinctione tertia, ubi dicit, quòd ſicut intellectus intelligit totum illud, quod uoluntas uult. Ita & memoria meminit totum illud, quod intelligit intelligentia. Minor patet de ſe: nam intellectus agens reſpectu obiecti tantum habet actum actualem, & nullum habet formalem: quare, &c. 2 Omnis potentia, quæ eſt in anima noſtra, quę pertinet ad imaginem, reperitur in angelis, ut cōmuniter dicitur, intellectus agens nō reperitur in angelis: ergo. Minor patet per cōmunem modum loquendi doctorum. Maior patet: quia eodem modo quærenda eſt imago in homine, & in angelis

TERTIA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Illæ potētiæ, quarum una habet actum aliquem formalē, diſtinguuntur neceſſariò realiter: ſed memoria, & intellectus agens ſunt hmōdi: ergo. Maior patet: quia, aliàs de uno, & eodē cōtradictoria uerificarentur, quod eſt impoſibile. 2 Illud non eſt ponendum in anima noſtra ad ſaluandam imaginem trinitatis, quod non ponitur in his, in quibus non minus reperitur perfectè imago, quàm in anima noſtra; & tamen non ponitur ibi intellectus agens, qui ſit memoria: ergo nec in anima noſtra oportet ponere intellectum agentem eſſe memoriā per illā cauſam. Maior eſt nota de ſe. Minor patet per iam dicta.

RESPONDEO igitur ad motiua ipſius, cū dicitur in ratione principali, quod memoria eſt ipſe met intellectus agens; patet ex dictis non eſſe uerū. Ad probationes. AD PRIMAM cum dicitur illa potentia attribuitur uerè, & propriè, &c. Conceditur, ſi illa, quæ memoriæ attribuuntur, alii potentiæ conueniant eodem modo. Et ſub iſto ſenſu negatur: quia memoria continet ſpecies, uel habitum loco ſpecierum formaliter, & ſubiectiuè; ſed intellectus agens continet ſolum uirtualiter, & effectiuè: & ideo non conuenit intellectui agenti officium memoriæ, niſi æquiuocè. Et ſic eſt fallacia æquiuocationis. Ad ſecūdū, cum dicitur, quòd intellectus agens uerè, & propriè pertinet ad imaginem; patet eſſe falſum ex dictis. Ad probationem cum dicebatur, quòd in ſupremis potentiis animæ noſtræ quærenda eſt imago Trinitatis: poteſt illud concedi: & tunc dicitur ad Minorem, quòd intellectus agens non eſt ſimpliciter perfectior potentia in anima noſtra; immò (ut credo) non eſt perfectior intellectu poſsibili: quia intellectus poſsibilis eſt formaliter intellectus; intellectus autem agēs non: nec habet aliquam aliam perfectionem huic æquipollentem: eſt tamen perfectior ſecundum quid: ſed de hoc in tertio aliquid dicetur. Et ideo ad præſens dimitto; tamen ne uideatur fuga, dico ad rationem, quòd illa Maior ſic debet intelligi: aliter non habet ueritatem, ſcilicet, quòd in ſupremis potentiis animę, in quibus conuenimus cum Angelis, quęrenda eſt imago



trinitatis; ſed intellectus non eſt huiuſmodi, ut patet ex dictis: ideo ratio non conuincit.

*Aegid. 1. Sent. diſt. 3. part. 2. q. 2 prin. art. 2. item. 2. Sent. diſt. 16. q. 1. Corp. q.*

EST ALIVS modus dicendi doct. noſtri Fratris Aegidij, quòd memoria, & intellectus ſunt eadē potentia naturaliter, conſequens diuerſa officia, & diuerſos actus, ſiue operationes, quę ſunt, tenere ſpecies, & habitualiter cognoſcere, & uti ſpeciebus; & actualiter cognoſcere: ſunt igitur una potentia realiter, diuerſa ſecundum rationem. Hanc autem concluſionem credo eſſe ueram: & ideo confirmo eam dupliciter. 1 Sic. Eiuſdem potentiæ eſt tenere habitum, & uti habitu: tenere ſpeciem, & uti ſpecie; ſed tenere ſpeciem, & habere habitum pertinet ad memoriam; uti autem ſpecie, & uti habitu pertinet ad intellectum: ergo intellectus, & memoria ſunt una potentia realiter, quantum ad illud, quod abſolutè importatur. Maior eſt nota: quia oppoſita eſt impoſsibilis totaliter, quòd una, & eadem potentia habeat ſpecies, & habitum: & alia utatur ſpeciebus, & habitu uidetur impoſsibile. Minor patet de ſe. 2 Habitus debet poni in tali potentia, quæ habet actum elicere; ſed habitus ponitur in memoria; & intellectus elicit actum: quare idem, quod prius. Maior patet propter duo. 1 Quia generatur habitus ex actibus: & ideo ponitur in illa potentia, quæ poteſt elicere actum. 2 Quia habitus non ponitur niſi ut eliciatur actus perfectior à potentia habituata, quod non poteſt fieri, niſi in illa potentia poneretur habitus, qui elicit actum. Minor patet: nam officium memoriæ eſt tenere habitum, uel ſpeciem officiū autem intellectus eſt uti prædictis: ergo, &c.

*Dubia aduerſus opin. Aegid.*

SED CONTRA hanc concluſionem occurrūt duo dubia. Primum eſt: quia, cum imago attendatur ſecundum potentias animæ correſpondentis tribus perſonis in diuinis, quæ quidem potentiæ ſunt memoria, intelligentia, & uoluntas: uidetur, quòd debeant realiter ad inuicem diſtingui, & ſeparari: quoniam perſonæ realiter diſtinguuntur ad inuicem: aliàs anima nullo modo eſſet imago dei. SECVNDVM dubiū eſt: quia ex fundamētis quæſtionis uidetur poſſe probari memoriam, & intellectum diſtingui naturaliter, & realiter. Arguitur ſic. Quæcunque diſtinguuntur, omni operatione intellectus circunſcripta, diſtinguuntur naturaliter, & realiter: aliàs eſſet dare medium inter diſtinctionem realē, & rationis, quod negat doctor noſter; ſed memoria, & intellectus diſtinguuntur, omni operatione intellectus circūſcripta; ergo.

*1. Sent. diſt. 30. q. 3. corp. q. in calce ferè.*

Pręterea ex dictis in iſta concluſione. Quæcunque potentiæ habent officia ſecundum actus diſtinctos præter operationē intellectus, diſtinguuntur, omni operatione circunſcripta intellectus: patet ex terminis; ſed memoria, & intellectus, ut patet ex fundamentis huius poſitionis, ſunt huiuſmodi: ergo, &c. Nam ad memoriam pertinet tenere ſpeciē, & habitualiter cognoſcere: ad intellectū uerò uti ſpecie, & actualiter cognoſcere: ergo non ſunt eadem realiter.

RESPONDEO Ad primum iſtorum ſic ad præſens: ſpectat enim ad tertium lib. ubi ſoluitur hæc ratio. Sed ſufficit ad præſens, quòd inter imaginem creatam, & increatam eſt tanta ſimilitudo, quòd ponūt quòd aliquæ potentię animę diſtingui realiter, & aliquę inter ſe idemptificari. Et cum hoc non obſtante hac ſimilitudine, adhuc anima erit imago dei. Ad ſecundū uerò reſpondeo. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd non eſt intētio doctoris noſtri attribuere aliquam operationem, ſiue aliquod officium memoriæ, quòd realiter non attribuitur intellectui, prout intellectus, & memoria nominant unam potentiam abſolutam: eſt enim una potentia abſoluta habens realiter duo officia; quorum unum eſt tenere ſpecies, & habitualiter cognoſcere. Secundum uero uti ſpecie, & actualiter cognoſcere. Iſta autem potentia, quæ realiter eſt una, habet duo nomina impoſita ab intellectu: nam intellectus comparat iſtam potentiam unam; ut habet unum officium; ad ſe ipſam; ut habet aliud officium. Et imponit ei diuerſa nomina, & uocat eam memoriam, inquantum habet continere ſpecies, & cognoſcere habitualiter. Et uocat eam intellectum, inquantum utitur ipſa ſpecie, & actualiter cognoſcit. Et iſto modo memoria, & intellectus ſunt duę potentiæ, uel dicuntur duæ ſolū ſecūdum rationem, una autem realiter. Nec eſt aliquod inconueniens: quia diſtinctio ſecundum rationem non arguit diſtinctionem realem; immò ſtat cum ea, ut patet ex primo articulo huius quæſtionis. Hoc ſuppoſito, patet quid ſit dicendum ad rationem: nam memoria, & intellectus non diſtinguūtur, omni operatione intellectus circunſcripta, ut patet ex dictis. Et cum probatur, quòd habent officia, & operationes diſtinctas: patet, quid dicendum: non enim potētia, quæ importatur nomine memoriæ, habet aliquod officium, quod non habeat illa potentia, quæ importatur realiter nomine intellectus, uel illa eadem potentia exiſtens una, habet diuerſa nomina iuxta diuerſitatem officiorum, & operationum ſuarum: & ideo ratio non conuincit. Et ſic patet, quid ſit dicendum ad primam rationem, & ſecundam, & totam primam partem huius articuli.

*Duran. 1. Sent. d. 3. q. 4.*

QVANTVM uerò ad ſecundum membrum huius articuli, ſcilicet. Vtrum intellectus, & uoluntas ſint duæ potentiæ realiter diſtinctæ? Dicunt aliqui doctores, quòd intellectus, & uoluntas dicunt unam rem abſolutam ſuperadditam naturæ humanæ, habentem, rationem duarum potentiarum propter hoc, quod eſt principium duorum actuum ſubordinatorum, ut ſunt intelligere, & uelle: ita, quòd intellectus, & uoluntas in nullo abſoluto differunt. Et confirmatur hæc poſitio rationibus, & auctoritatibus. 1 Prima ratio talis eſt. Sicut ſe habet appetitus naturalis ad naturam, quam cōſequitur; ita ſe habet intellectus ad intellectum: & ſenſitiuus ad ſenſitiuum; ſed appetitus naturalis non differt realiter à natura, quam conſequitur: ergo. Maior, & Minor patent: conſtat enim, quòd appetitus naturalis materiæ non differt à materia: nec appetitur grauis à grauitate. 2 Fruſtra ponuntur plura, ubi ſufficit unum, & una natura abſtracta, ſiue una potentia realiter ſumpta ſufficit ad percipiendum intelligere, uelle, & cognoſcere: ergo. Maior patet de ſe; ſi æquè bene poſsit fieri: deus enim, & natura nihil faciunt fruſtra. Minor probatur: quia actus genere differentes, ſi ſint ſubordinati, poſſunt eſſe ab eodem principio abſoluto; ſicut ab eodem lumine Solis fit illuminatio, & calefactio aeris: quia illuminatio, & calefactio ſunt actus ſubordinati; ſed intelligere, uelle, cogitare, appetere ſunt actus ſubordinati genere differentes: quia appetere ſenſitiuū præſupponit cognitiuum ſenſitiuum: appetere intellectiuū præſupponit intellectum: appetere, uelle præſupponit intelligere: ergo. 3 Præterea, Omnis uirtus nō cognoſcens formaliter fertur in ſuum obiectum naturaliter, & non liberè; ſed uoluntas in eligendo fertur in ſuum obiectum liberè, & naturaliter, prout naturale diſtinguitur contra liberum: ergo uoluntas erit, ut cognoſcens formaliter: ſed in ſuperiori parte animę, ubi eſt uoluntas, non eſt aliqua potentia cognoſcens formaliter, niſi intellectus: ergo intellectus, & uoluntas ſunt una, & eadem natura ſiue, potentia. Maior patet: quia omne agens liberum habet iudicare de actu ſuo: alioquin non dominaretur ſui; & per conſequens non eſſet liberum agens: potentia enim libera dicitur eſſe iudicatiua ſui actus; & per conſequens erit cognoſcens, ſiue iudicatiua. Minor conceditur ab omnibus. 4 Si intellectus eſſet diuerſa potentia à uoluntate abſolutè; ſequeretur, quòd deus poſſet facere, ſiue cauſare uelle, intelligere abſque eo, quod cognoſcere præcederet in intellectu; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet expreſsè per Beatum Auguſtinum. x. de trinitate, ubi dicit. Incognita diligere non poſſumus: quia nihil uolitum, niſi prius cognitum. Conſequentia patet; nam ſi intellectus, & uoluntas ſunt diſtinctæ naturæ abſolutè; uelle non diuideretur ab intelligere, tanquàm à ſuo ſubiecto, neque tanquàm à diſpoſitionibus ſubiecti: quia habent aliud, & aliud ſubiectum, nec per conſequens

*Cap. 2. Tom. 3.*

ſequens dependeret ab eo in genere cauſæ efficientis: ſed ita deus poteſt ſupplere: ergo poteſt cauſare uelle in uoluntate abſque hoc, quod cognitum præcedat in intellectu. CONFIRMATVR ſecundo hęc poſitio auctoritatibus Beati Auguſtini: quia iſte tres potentiæ ſunt una mens, una uirtus, una ſubſtantia; ſed reſponſum eſt ad eas in præcedenti concluſione: ideo ad præſens non admittantur. HAEC AVTEM opinio non uidetur mihi uera: ſed quia totus tertius de anima eſt in oppoſitum, ut uidebitur: ideo arguatur contra eam dupliciter. 1 Sic. Actus ſubordinati genere differentes ab eodem principio cauſati, ſiue agente ſecundum eandem rationem agendi; non poſſunt recipi in eodem paſſo ſecundum eandem rationem recipiendi: ſed intelligere, & uelle ſunt duo actus ſubordinati genere differentes, & cauſantur, uel poſſunt cauſari ab eodem agente ſecundum eandem rationem agendi: ergo non poſſunt in eodem paſſo recipi; ſed recipiuntur in ipſa anima: ergo alia eſt ratio recipiendi iſtum actum, qui eſt intelligere: & alia ratio recipiendi iſtum actum, qui eſt uelle: ſed conſtat, quòd ratio recipiendi intellectum eſt intellectio: ratio recipiendi uolitionem eſt uoluntas: ergo intellectus, & uoluntas non ſunt una, & eadem potentia. Maior uidetur nota de ſe: nam licet idem agens cauſet diuerſas operationes in diuerſis receptiuis, ut Sol, qui per eundem calorem exſiccat lutum, & liquefacit ceram: & idem receptiuum ſecundum eandem rationem recipiendi, ſeu receptiuam ſuſcipit diuerſas operationes à diuerſis agentibus, ſicut fuit declaratum quæſtione de extenſione formarũ articulo. 1

*Confutatio opinionis Durandi.*

Non eſt tamen intelligibile, quòd idem agens naturale per eãdem rationem ex parte rei moueat intellectum, & uoluntatem ad tales actus, & cauſet eos, ut inferius euidentius apparebit, ubi diſputabitur de obiecto intellectus, & uoluntatis ergo, &c. 2 Ille potentiæ, quarum una excedit aliam ſimpliciter, & abſolutè, perfectionaliter diſtinguuntur ab inuicem, neceſſariò realiter: ſed uoluntas neceſſariò excedit intellectũ pfectionaliter: ergo. Maior patet ex terminis: aliàs una, & eadem potentia excederet ſeipſam in perfectione, quod implicat. Minor uidetur nota: quia, ut ſuppono ad præſens, beatitudo principaliter, & principalius conſiſtit in actu uolũtatis, quàm intellectus, quod non eſſet, ſi uoluntas nõ excederet intellectum ſimpliciter in perfectione. Et confirmatur iſta Minor ſic. Ibi eſt potentia ſimpliciter perfectior, cuius actus perficit actum alterius potentię; ſed actus uolũtatis perficit actum intellectus: ergo. Aſſumptũ probatur per Beatum Auguſtinum dicentem, nullum bonum perfectè cognoſcitur, quod non perfectè amatur, & per conſequens amor perficit cognitionem. RESPONDEO ad rationes alterius opinionis. Ad primum dico, quòd non eſt ſimile de appetitu naturali, & cognitiuo; quia appetere eſt perfectior actus in cognoſcẽtibus, quàm in rebus naturalibus. Et quia ad perfectiorem actum plura requirũtur, quàm ad imperfectiorem: idcirco non oportet, quòd ſi forma naturalis ſufficit ad principiãdum actum talem, &c. Nec ualet ſi dicatur contra iſtã ſolutionẽ, quòd ad principiãdum actum perfectiorẽ ſufficit, quòd potentia quæ ordinatur ad talẽ actum ſit perfectior. Non ſufficit: quia plura ordinãtur ad ipſum; nõ.n. quæcũque perfectio ſufficit ad principiandum actus genere remoto differentes, cuiuſmodi ſunt illi, ut dictum eſt prius; ſed in rebus creatis tales actus neceſſariò principiantur à diuerſis potentiis. Ad ſecundũ dico, quòd Minor eſt totaliter falſa. Et exemplum, quod adducitur ad probationem, non eſt ad propoſitum; immò magis ad oppoſitum: nam eo ipſo, quòd aer ab eodem lumine Solis illuminatur, & calefit: oportet dare in aere aliam, & aliam rationem recipiẽdi: quia lumen recipitur per diafaneitatem, in qua cõuenit cum corporibus ſupercęleſtibus; calefactionem etiã recipit ipſe aer per aliam, & aliam qualitatem, in qua cõuenit cum elemẽtis. Sic à ſimili in propoſito; per aliam rationem recipit actum intelligendi, & per aliam actum uolendi: ex quo talis actus poteſt cauſari ab eodẽ agente per eandem rationẽ agendi. Ad tertium, cum dicitur, omnis uirtus non cognoſcens formaliter. Dico, quòd hæc propoſitio ueritatem habet de agẽte principali: omne enim agẽs principale non cognoſcens, fertur in obiectum naturaliter; non liberè; ſed non eſt uerum de potẽtia, quæ non eſt agens principale; ſed ratio agẽdi adhoc, quòd in ſuũ obiectum feratur liberè, ſufficit, quòd ſit cognoſcens, uel imperet uirtuti cognitiuæ: uolũtas autem imperat intellectui, qui eſt cognoſcens formaliter: non ſicut agens principale, ſed ſicut ratio agẽdi: agens autem principale ipſa anima eſt, uel homo cognoſcens formaliter, non tamen per eandem potentiam, per quã fertur, eſt uolens: ideo ratio non conuincit. Ad quartũ negatur conſequentia, quàmuis aliqui doctores non haberent pro inconuenienti, quòd deus poſſet facere actũ uoluntatis ſine actu inellectus. Et ſi hoc eſſet uerum, diceretur ad argumentũ, quòd illud intelligitur ſecundum ordinem naturalem; ſed quia hoc eſt mihi ualde dubium: nego conſequentiam. Et dico ad probationem, quòd ipſe arguit ex inſufficienti: manifeſtæ enim ſunt cauſę, propter quas repugnat uni rei eſſe ſine alia: deus enim non poteſt facere unum correlatiuum ſine alio: & tamen unũ non eſt ſubiectum alterius, nec diſpoſitio ſubiecti: non ergo poteſt fieri dilectio: ſine cognitione: quia cognitio eſt conſeruatiua dilectionis: uel propter connexionem potentiarum: quia ſe præſupponunt neceſſariò, ſicut relatio, & fundamentum: & ideo non poteſt fieri ſine eo; quia ſuppoſito, quòd realiter diſtinguerentur. Quid ergo? Peccat ergo iſta ratio per fallaciam conſequentis. Ad auctoritates Beati Auguſtini reſponſum eſt iã, quid ſit uerum de quæſtione. AD RATIONES principales patet, quid ſit dicendum per iam dicta in corpore quæſtionis. Et cum obiicitur in ſecũda ratione, quòd alimentum eſt obiectum potentiæ nutritiuæ, augmentatiuæ generatiuæ: Dico, quòd quamuis iſtæ potentiæ habeant unum obiectum materialiter ſumptum, habent tamen aliud, & aliud formaliter ſumptum: nam nutrimentum reſpicit quid; augmentatiua quantum, generatiua ſuperfluum alimentum, ut dicitur in ſecundo huius. Nutrit in eo, quòd quid; augmentat in eo, quòd quantum.

*10. de Trin. Cap. 2. Tom. 3.*

*Tex. c. 47.*

## QVAESTIO V.

### An potentię originentur ab anima?

CONSEQVENTER quæritur. Vtrum potentiæ originentur ab anima? Et uidetur, quòd non. 1 Si potentię animæ originarentur ab anima; ſequeretur, quòd unum & idem reſpectu eiuſdem eſſet actiuũ, & paſsiuum; cõſequens eſt falſum: ergo. Probatur conſequentia: nam ſi potentiæ originarẽtur ab anima, anima ſe haberet actiuè reſpectu ſuarum potentiarum: & quia in ipſa fundantur ſubiectiuè, habet ſe paſsiuè reſpectu ſuarum potẽtiarum. Et ſic unum, & idem reſpectu eiuſdem eſſet actiuũ, & paſsiuum. 2 Pręterea, ſubiectum non poteſt eſſe cauſa effectiua ſuæ proprię paſsionis: ſed proprietates animæ ſunt proprietates, ſeu paſsiones propriæ ipſius animæ, &c. Minor patet ex quæſtione præcedenti. Maior uidetur nota 2. Phyſicorum. ubi dicitur quòd materia non coincidit cum aliis cauſis; & per conſequens, quæ fundantur in aliquo ſubiectiuè, non cauſantur ab eo effectiuè: cum ergo propria paſsio fundetur in in proprio ſubiectiuo ſuo, non poterit ab eo cauſari effectiuæ. IN CONTRARIVM eſt, quòd cõiter dicitur, ſcilicet quòd potẽtia animæ fluunt ab eſſentia animæ, quod non eſſet uerum, nec anima haberet cauſalitatem aliquam effectiuam reſpectu ſuarum potentiarum; & per conſequens originantur ab ipſa aĩa. RESPONDEO in iſta quæſtione tria ſunt, uidenda. 1 Verũ unum, & idem reſpectu eiuſdem poſsit eſſe actiuum, & paſsiuum? Quia hoc tangit primum argumentum. 2 Vtrum ſubiectum habeat aliquam cauſam effectiuam ſupra ſuas proprias paſsiones? Quia hoc tangit ſecundum argumentum. 3 Quod quærit quæſtio principalis.

*Tex. c. 70.*



### ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum, ſunt diuerſi modi dicendi. Dicunt enim quidam doctores, quòd impoſsibile eſt unum, & idem reſpectu eiuſdem eſſe actiuum, & paſsiuum. Vnde ſecundum eos eſt impoſsibile aliquid per illud, quod eſt ſuſceptiuum, per illud ſit actiuum, ſeu cauſa effectiua reſpectu eiuſdem. Vlterius etiam dicunt, quòd illud, quod eſt idem ſubiecto, quantuncunque habeat plura eſſentialiter differentia, impoſsibile eſt, quòd per unum ſe habeat paſsiuè, & per aliud actiuè reſpectu eiuſdem. Ponunt ergo dicti, doctores duas concluſiones. Prima eſt, quòd impoſsibile eſt unum, & idem reſpectu eiuſdem eſſe actiuum, & paſsiuum. Secunda eſt, quòd impoſsibile eſt unum, & idem ſubiectum continens plura eſſentialiter diuerſa, habere ſe actiuè reſpectu unius illorum, & paſsiuè per aliud reſpectu eiuſdem. Et quàmuis multæ rationes adducantur ad probandam primam concluſionem; potiſsimè tamen, & pro fundamento illorum adducuntur duæ, quarum prima talis eſt. 1 Si unum, & idem eſſet actiuum, & paſsiuum, reſpectu eiuſdem; ſequeretur, quòd idem ſecundum idem, reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & impotentia, quod eſt impoſsibile; immò implicat: ergo. Falſitas nota eſt ad ſenſum. Et probatur: nam impoſsibile eſt unum, & idem eſſe ens, & non ens reſpectu eiuſdem; ſed quod eſt potentia ad aliquid eſt nõ ens reſpectu illius, quod autem eſt in actu, eſt ens reſpectu eius, quòd eſt actu: ergo &c. Conſequentia nota eſt: nam eſſe paſsiuum, inquantum paſsiuum, eſt in potentia: & eſſe actiuum, inquãtum actiuum, eſt in actu, & per conſequens; ſi idem eſſet actiuum, & paſsiuum reſpectu eiuſdem, & aliquid eſſet in actu, & impotentia reſpectu eiuſdem: quare &c. 2 Si idem eſſet actiuum, & paſsiuum reſpectu eiuſdem; ſequeretur, quòd eiuſdem ad ſeipſum eſſet relatio realis; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis probatur: quia relatio realis requirit duo extrema realia; ſicut relatio rationis duo extrema rationis: duo extrema realia non poſſunt eſſe ſine diſtinctione reali, quæ non poteſt eſſe eiuſdem ad ſe ipſum; quare &c. Conſequentia patet: quia actiui, & paſsiui eſt relatio realis ſicut mouentis, & moti, ſicut habetur. 5. Metaphyſicæ ca. de aliquid. Multæ alię rationes adducuntur ad hoc; ſed ſolutis iſtis duabus rationibus, omnes aliæ ſunt ſolutæ.

*Tex. c. 20.*

*Probatio ſecundæ concluſionis.*

ITEM ISTAS eaſdem rationes adducunt iſti doctores ad probandum ſecundam concluſionem, ſcilicet, quòd impoſsibile eſt unũ, & idẽ ſubiectum, in quo non ſunt partes ſitu diſtinctę, & ſubiecto, eſſe actiuũ & paſsiuum reſpectu eiuſdem; ſeu reducere ſe de potentia ad actum, quod idem eſt, quantumcunque ſint in eo diſtincta aliqua eſſentialiter: quia ſecundum eos forma non agit, ſed totum aggregatum: ergo totum ſecundum quòd totum, eſt, quod agit, totum, ſecũdum quòd totũ, eſt, quod patitur. Et ſi idem eſſet actiuum, & paſsiuum, quantumcunque ponerentur in eo plura, & diuerſa eſſentialiter, adhuc ſtaret, quòd idem ſecundum quòd idem, eſſet in actu, & impotentia; & ſequeretur, quòd eiuſdem ad ſe ipſum eſſet relatio realis: quia totum agit, uel totum patitur: & inter agens, & patiens eſt relatio realis: in his principaliter ſtat uigor, & fundamentum huius poſitionis. EST ALIVS modus dicendi aliorum doctorum dicentium unum, & idem ſecundum eſſentiam poſſe eſſe effectiuum, & ſuſceptiuum reſpectu unius, & eiuſdem: & hoc dicunt pręcipuè de uoluntate reſpectu actus uolendi, & de ſubiecto reſpectu ſuarum paſsionum. Ad ponendum autem hoc de uoluntate, mouentur: quia uidetur eis, quòd aliter tolleretur libertas uoluntatis, & poteſt formari prima ratio illorum. Sic. 1 Si uoluntas non eſſet cauſa effectiua actus uolendi, tolleretur, libertas uoluntatis; & per conſequens periret meritum, uel demeritum; conſequens eſt abſurdum: ergo, & antecedens. Conſequentia uidetur nota: quia ſi actus uolendi cauſaretur ab alio, quàm à uoluntate, iam uoluntas non eſſet domina ſui actus; nec per conſequens libera: ergo uoluntas erit cauſa effectiua actus uolendi. Et cum ſit ipſius receptiua: unum, & idem per eſſentiam erit actiuum, & paſsiuum reſpectu eiuſdem. 2 Ad ponẽdum autem hoc de ſubiecto reſpectu paſsionum mouentur ex dicto communi, quod dicitur, quòd ſubiectum eſt cauſa propriæ paſsionis. Aut oportet ponere quædam in ſubiecto eſſentialiter differentia, ut per unũ iſtorum ſit cauſa effectiua, & per aliud receptiua.

*Secunda opinio.*

Secundũ non poteſt dari: quia tunc quæreretur de illis paſsionibus; & ſic eſſet proceſſus in infinitum: relinquitur ergo primum; & per conſequens habetur propoſitum. ISTI AVTEM modi dicendi, quamuis ſint magnorum doctorum, non tamen uidentur mihi poſſe ſtare: & ideo quantum ad hoc pono duas concluſiones oppoſitas eis. Prima eſt, ſcilicet quod unum & idem ſubiectum, ſecundum tamen diuerſa per eſſentiam reſpectu unius, & eiuſdem poteſt eſſe actiuum, & paſsiuum: & poteſt ſe reducere de potentia ad actum, quo prius carebat: ſi ponatur, quòd aliquis per intellectum agentẽ actiuè, & per intellectum poſsibilem paſsiuè ſe reducat de potentia intelligendi ad actum. Secunda concluſio eſt, quòd idem ſubiectum per eſſentiã non uidetur poſſe eſſe actiuum, & paſsiuum, propriè loquendo, reſpectu alicuius actus, quo prius carebat.

*Confutatio opinionum præcedentium.*

PRIMA concluſio probatur dupliciter ſic. 1 Omnis operatio immanens eſt ſubiectiuè ſui principii actiui: ſed ſunt multę operationes immanẽtes: ergo multæ operationes immanentes ſunt ſubiectiuè ſui principij actiui; & per conſequens ſubiectum reſpectu talium operationum erit actiuum, & paſsiuũ. Maior huius propoſitionis patet expreſſe. 9. Metaphyſicæ & ſecundo ethicorum, ubi ponitur differẽtia inter actionem immanentem, & tranſeuntem. Ex quibus uerbis apparet quòd omnis actio immanens eſt ſubiectiuè ſui principij actiui, ſiue manet ſubiectiuè in principio actiuo, quę eſt Minor. Item apparet per eundem ibidem: ipſe enim oſtẽdit, ſeu diuidit operationem in tranſeuntem, & immanentem; & per conſequens oportet dare aliquã, uel aliquas operationes immanentes, & aliquam, & aliquas operationes tranſeuntes: aliàs ſua diuiſio eſſet in aliquid, & nihil, quod eſt inconueniens. 2 Sic omnis operatio, quæ non tranſit in materiam exteriorẽ, fundatur ſubiectiuè in eo, à quo cauſatur effectiuè; ſed multæ ſunt operationes, quæ non tranſeunt in exteriorẽ materiam: ergo, multæ ſunt actiones, quæ fundantur ſubiectiuè in his, à quibus effectiuè cauſantur; & per conſequens unum, & idem reſpectu talium actionum erit actiuum, & paſsiuum. Maior nota eſt ex terminis; nam ex oppoſito prædicati deſtruitur ſubiectum: nam ſi actio non fundatur ſubiectiuè in eo, à quo cauſatur effectiuè, neceſſariò tranſit in materiã exteriorẽ, cuius oppoſitũ ſupponebatur. Minor patet de ſe, & per Philoſophum, qui diuidit actionẽ in tranſeuntem in materiam exteriorem, & non tranſeuntẽ in materiam exteriorem, ut ſupra. 9. Metaphyſicę. SECVNDA concluſio poteſt probari tripliciter; ſed non uidentur mihi rationes ita efficaces, ſicut primæ duæ, quæ dicuntur à tenentibus primam uiam: nam directè probant iſtam concluſionem. 1 Si unum, & idem eſſet in actu, & in potentia reſpectu unius, & eiuſdem, ſiue actiuum, & paſsiuum eo modo, quo ponunt tenentes ſecundam uiam

*Tex. c. 16. cap. 5.*

*Tex. c. 16.*

uiam de neceſsitate unum, & idem ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem eſſet actiuum, & paſsiuum: eſſet in actu, & impotentia: nam per illud idem, per quod ageret, reciperet, & pateretur; hoc autem eſt impoſsibile. 2 Iterum non poſſet uitari, quin eiuſdem ad ſe ipſum eſſet relatio realis tamen illi differentiam aſsignant ibi rationem agendi, & rationem recipiendi, ſeu patiendi; hoc eſt impoſsibile: eſſet enim relatio realis inter extrema nullo modo realiter diſtincta, ſiue diuiſa. RESTAT reſpondere ad rationes aliarum opinionum. Et primo ad rationes primæ opinionis. AD primum, cum dicitur: eſſet enim idem, ſcilicet, ſecundum idem in actu, & potentia. Nego conſequentiã, quòd idem eſſet in actu, & potentia ſecundũ idem; immò ſecundum diuerſa: ex quo ponuntur diuerſa eſſentialiter: unum, quod ſit ratio agẽdi: aliud, quod ſit ratio patiendi, ſiue recipiendi. Et quando probant; immò forma non agit, nec patitur; immò compoſitum. Ratio non uidetur ualere: quia aliud eſt eſſe illud, quod agit, uel patitur: & aliud eſt eſſe rationem agendi, uel patiendi, ſecundum quam aliquid agit, uel patitur. Vnde quàmuis aggregatum agat, uel patiatur; non tamen eſt idem, ſecundum quod agit, uel patitur: ſed hoc eſt aliquod principium actiuum, uel paſsiuum, quod eſt ratio agendi, uel patiendi in aggregato: alioquin ſequeretur, quòd idem ſumptum ſecundum quaſcunque partes diuerſas non poſſet ſe ipſum mouere: quia ſi forma non ageret propriè, uel pateretur, ſed compoſitum, ſiue totum, ut pars quantitatiua quæcunque, uel organica non eſt propriè, quod agit, uel patitur. Vnde non uidetur oculus uidere, ſed homo per oculum: propriè enim ſolum ſuppoſitum eſt, quod agit, uel patitur: nam actiones ſunt ſuppoſitorum. Si ergo idem eſſet, quod agit, & patitur: & idem, ſecundum quòd agens, agit, & patiens patitur; ſequeretur, quòd ſi idem ſuppoſitum moueret ſe, quòd idem moueret, & moueretur ſecundum idem, quod apparet manifeſtè eſſe falſum in animalibus: & ideo ratio non concludit contra me, quàmuis neceſſariò concludit contra illos, qui ſunt ſecũdæ opinione, ut dictum eſt. Ad ſecundum cum dicitur, quòd eiuſdem ad ſeipſum eſſet relatio realis. Dico, quòd eiuſdem ad ſe ipſum ſecundum aliam, & aliam rationem tenentes ſe ex parte rei, ſiue ſecundum diuerſa per eſſentiam, quorum unum eſt ratio agendi, alterum ratio patiendi, bene poteſt eſſe relatio realis: nam una res, ut includit rationem agendi, differet realiter à ſe ipſa, ut includit rationem patiendi: ſi ratio agendi, & patiendi differant realiter: & ideo reſpectus actiui, & paſsiui: mouentis, & moti hoc modo non ſunt oppoſiti, nec incompoſsibiles in eodem ſubiecto, uel circa idem ſubiectum: ſunt tamen oppoſiti, & incompoſsibiles circa eandem eſſentiam præciſè ſumptam, non includentem plura differentia eo modo, quo arguebatur contra ſecundam concluſionem, & opinionem. Et ideo ratio arguit contra eos, & non contra me. AD RATIONES ſecundæ opinionis reſpondeo. Et primo ad primam, cum dicitur, quòd uoluntas eſt cauſa effectiua ſui actus, & receptiua eiuſdem actus uolendi; aliàs non eſſet libera. Concedo, quòd uoluntas eſt cauſa effectiua ſui actus, & receptiua eiuſdem; non tamen ſecundum idem, ſed ſecũdum aliud, & aliud. CVIVS gratia eſt aduertẽdũ, quòd ſicut oportet dare intellectum agentem, qui ſit ratio agendi reſpectu actus intelligendi, & intellectum poſsibilem, qui ſit ratio receptiua eiuſdem actus: ita oportet dare de neceſsite uoluntatem agentem, quæ ſit ratio agendi reſpectu actus uolendi, & uoluntatem paſsiuam, quæ ſit ratio receptiua talis actus. Et ne hoc uideatur extraneum, poteſt probari per rationem illam, per quam probat Philoſophus, quòd ſit dare intellectum agentem: arguit enim ſic Philoſophus. In omni natura, in qua eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, eſt dare unum, quod eſt omnia facere; ſed in natura intellectuali eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, ſcilicet, intellectum poſsibilem, qui poteſt omnem rationem, aut actum intelligendi recipere: ergo erit unum dare intellectum, qui erit omnia facere. Per iſtam rationem nihil addito, nihil remoto, poteſt probari, quòd eſt dare uoluntatem agentem: accipiatur enim eadem Maior, & inferatur Minor: ſed in natura uolitiua eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, ſcilicet, uoluntatem, quæ poteſt omnem actum uolendi recipere: ergo oportet dare unam uoluntatem agentem, quæ poteſt omnia facere. EST tamen aduertendum, quòd non ponitur uoluntas agens ad illuſtrandum, uel illuminandum obiectum uoluntatis: hoc enim ſufficienter fit per ipſum intellectum; ſed ponitur uoluntas agens in anima noſtra, ut ſit in ea ratio agendi reſpectu actus uolendi, ſicut intellectus agens eſt ratio agendi reſpectu actus intelligendi. Et de hoc, deo dante, patebit in. 3. huius.

*Solutio rationum Aduerſariorum.*

*1. Metaph. in proem.*

*tex. c. 17. & 18.*

Ad ſecundum dicetur immediatè in ſequenti articulo. Et hæc de primo principali.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT Secundo uidere. Vtrũ ſubiectũ habeat quam cauſam effectiuam, ſupra ſuas proprias paſsiones? Quia hoc tangebat ſecundum argumentum.

ADHOC dicunt aliqui doctores, quòd ſubiectum uerè, & propriè eſt principium originans, ſiue cauſa effectiua ſuæ paſsionis. Quod poteſt probari ex dictis eorum tripliciter. 1 Sic. Impoſsibile eſt, quòd ſubiectum, & ſua proprietas æquè immediatè oriãtur à generante: aliàs nullo modo ſubiectum præcederet ſuam propriam paſsionem: cauſabuntur ergo ordine quodam; ita quòd unum producitur alio mediante. Aut ergo ſubiectum produceretur mediante paſsione propria, aut econuerſo. Primum non poteſt dari: quia tunc proprietas præcederet illud, cuius eſt proprietas, quod eſt impoſsibile: relinquitur ergo ſecundum, ſcilicet, quòd proprietas producitur mediante ſubiecto, & per conſequens eſſentia ſubiecti erit immediata cauſa productiua ſuæ propriæ paſsionis. 2 Si ſubiectum non eſſet principium originans, ſiue cauſa effectiua ſuæ propriæ paſsionis; ſequeretur, quòd propria paſsio non de neceſsitate conſequeretur ſuum ſubiectum; conſequens eſt contra totam Philoſophiam: ergo. Conſequentia probatur: quia illud, quod eſt tantum ſuſceptiuum alicuius accidentis, non imponit neceſsitatẽ illi accidenti, quod patet de nigredine, & albedine, & aliis accidentibus communibus, quæ ſolum reſpiciunt ſubiectum, ut receptiuum eorum. Si ergo propria paſsio nullo modo cauſaretur à ſubiecto effectiuè, tantum reſpiceret ipſum, ut receptiuum; & per conſequens non conſequeretur ipſum de neceſsitate, quod eſt inconueniens. ETSI dicatur ad iſtam rationem, quòd ſubiectum non imponit neceſsitatem eſſendi propriæ paſsioni; ſed generans ſimul utrumque producendo. ARGVITVR contra hoc. Et uidetur, quòd ſolutio hæc non datur ſufficienter: quia ſi ſubiectum nullam neceſsitatem imponit paſsioni: ideo, quantum eſt de ſe non, habet neceſſariam habitudinem ad ipſam, nec repugnat ei eſſe ſine propria paſsione: nam ſi non poteſt eſſe ſubiectum ſine propria paſsione: eo, quòd generans ſemper generat utrunque; hoc per comparationem ad ſubiectum uidetur eſſe per accidens; non ergo haberet per ſe ſubiectum neceſſariam habitudinem ad propriam paſsionem, quod eſt inconueniens. 3 Si ſubiectum nullam cauſalitatem effectiuam haberet ſupra ſuas proprias paſsiones; ſequeretur, quòd propriæ qualitates non poſſent agere, ut inſtrumentum formarum ſubſtantialium, conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis nota eſt de ſe: nam cum dictæ qualitates agant, ut inſtrumentum eſſentialium formarum, & ſubſtantialium,

*Henrici Gãdauenſis quodlib. 10. q. 5.*

*Solutio ad prædictam rationem.*

*Impugnatio ſolutionis.*



ſtantialium, neceſſariò agunt, ut inſtrumentum formarum ſubſtantialium: nam talis actio non competit, nec conuenit de ſe ipſis qualitatibus. Conſequentia probatur quia nõ poteſt dici, ꝙ dictæ qualitates agant, ut inſtrumentum eſſentialium formarum ſubſtãtialium, niſi ſint ab eis effectiuè, uel recipiant ab eis aliquam uirtutem. Non poteſt dici, quòd recipiant ab eis aliquam uirtutem diſtinctam realiter ab ipſis; ſi ergo non cauſabuntur aliquo modo ab ipſis effectiuè, non uidetur aliqua cauſa: quare agant, ut inſtrumentum earum.

*Confutatio præfatæ opin.*

HAEC OPINIO non uidetur mihi totaliuera. Et deo quantum ad iſtum articulum pono duas concluſiones. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd efficiens, ſiue originans poteſt capi dupliciter. Vno modo ſtrictè, uel propriè, ut dicatur efficiens, ſiue originans, illud ſolum, quod directè agit, uel facit eo modo, quo faber eſt cauſa efficiens cultelli. Alio modo capitur largè, & indirectè per modum cuiuſdam connexionis, & reſultationis eo modo, quo inferius declarabitur. Prima concluſio, quod ſubiectum non poteſt eſſe propriè, & directè principium originans ſuæ propriè paſsionis. Secunda concluſio, quòd ſubiectum indirectè, per modum cuiuſdam connexionis, & reſultationis poteſt eſſe principium originans ſuæ paſsionis. PRIMA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Si ſubiectum propriè, & directè eſſet cauſa effectiua ſuæ paſsionis; ſequeretur, quòd unum & idem, & ſecundum idem eſſet actiuum, & paſsiuum reſpectu eiuſdem; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet ex articulo præcedenti: nam ſi unum, & idem ſecundum idem eſſet actiuum, & paſſiuum reſpectu eiuſdem; unum, & idem ſecundum idem reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & in potentia, & fundaret reſpectus oppoſitos, & incompoſsibiles; cuiuſmodi ſunt reſpectus mouentis, & moti, actiui, & paſsiui; quod impoſsibile eſt. Conſequentia patet: nam inter ſubiectum, & propriam paſsionem non mediant aliquæ proprietates: ita, quòd una illarum eſſet ratio agendi, alia ratio patiendi: quia pari ratione peteretur de iſtis proprietatibus. Vtrum cauſarentur ab ipſo effectiuè, aut non? Si non: eadem ratione ſtandum eſſet in prima proprietate. Et ideo dicendum, quod non cauſabatur effectiuè à ſubiecto. Si ſit, uel inter ſubiectum, & proprias paſsiones mediant aliæ proprietates, uel non. Si ſic: erit proceſſus in infinitum. Si non: ergo idem ſecundum quòd idem reſpectu eiuſdem erit actiuum, & paſsiuum, quòd eſt totaliter impoſsibile. NEC ualet, ſi dicatur ad iſtam rationem, quòd idem ſecundum idem nõ eſſet propter hoc actiuũ, & paſsiuum: quia ratio agendi, & producendi dicta accidentia, eſt forma: ratio uero patiendi materia: nam licet hoc poſſet aliquem colorem habere de quantitate, quæ non recipitur in materia mediante forma ſubſtantiali; nullum tamen colorem poteſt habere de accidentibus, quæ conſequuntur rem ex parte formæ: talia enim accidentia recipiuntur mediante forma ſubſtantiali; & per conſequens forma ſubſtantialis reſpectu talium accidentium non ſolum erit ratio agendi; immò ratio recipiendi: nunc autem ita eſt, quòd propria paſsio conſequitur ſubiectum ratione formæ: oritur enim ex principiis ſpeciei; ſpecies autem ſumitur à forma: & ideo in propoſito illa ſolutio magis eſt contra eos, quàm pro eis. 2 Ad principale ſic. Si ſubiectum eſſet principium effectiuum ſuæ propriæ paſſionis; ſequeretur, quòd forma ſubſtantialis eſſet immediatum principium ſuæ operationis, conſequens eſt falſum ergo. Falſitas conſequentis probata eſt in primo articulo. 3. quæſtionis iſtius ſecundi. Conſequentia probatur. Vel ſubiectum producit ſuam propriam paſſionem immediatè, uel mediante aliqua alia proprietate. Si immediatè: habetur oppoſitum. Si mediante quadam alia proprietate: quæretur de illa. Vtrum ſit à ſubiecto producta effectiuè, uel non? Si ſic, quæretur, ſicut prius; & erit proceſſus in infinitum. Si non: pari ratione erat ſtandum in primis, uel dicendum, quòd ſubiectum non eſt cauſa effectiua ſuæ paſsionis.

*Euaſio.*

NEC ualet, ſi dicatur, quòd iſtam rationem ego ſolui in illa quæſtione ſcilicet. Vtrum potentiæ animæ differant realiter ab anima; ibi namque in ſolutione primi argumenti ad principale dixi, quòd non erat ſimile de accidentibus permanentibus, & fluxibilibus, & ideo ſuppoſito, quòd forma ſubſtantialis ſit immediatum principium accidentium permanentium, ut puta, quòd anima eſſet principium ſuarum potentiarum: non tamen propter hoc ſequebatur, quòd eſſet immediatum principium ſuæ operationis, ſiue alicuius accidentis non permanentis, ex quibus non uidetur ſequi aliquod inconueniens, quòd anima ſit immediatum principium ſuarum potentiarum: & forma ſubſtantialis ſit immediatum principium ſuæ actionis reſpectu accidentium permanentium: nam licet iſta uerba dixerim: non dixi aſſerendo animam eſſe principium effectiuum propriè, & directè ſuarum potentiarum; ſed dixi, SI, ita, quòd ſuppoſito, quòd ita eſſet, non eſſet ſimile de potentiis, & actibus, ſiue accidentibus non permanentibus propter cauſam ibidem aſsignatam; bene tamen uolo animam immediatè aliquo modo eſſe principium ſuarum potentiarum, quo modo non eſt principium actuum, nec accidentium fluxibilium, ut ſtatim apparebit in probando ſecundam concluſionem, & ideo iſta dicta non tollunt rationem prędictam; immo ſi bene inſpiciantur, fortificant ipſam: patet igitur prima concluſio. SED propter declarationem ſecundę concluſionis eſt aduertendum, quòd ſicut non ſolum illud, per quod ſubiectum ſubeſt formæ; ſicut per quantitatem ſubeſt aliquid figuræ, dicitur principium paſsiuum, uel paſsiuè ſe habere ad formam illam; immò etiam illud, per quod diſponitur tale principium paſsiuum ad recipiendum talem formam, dicitur paſsiuè ſe habere ad illam formam. Verbi gratia, mollities ceræ, quia diſponit ceram ad recipiendum figuram ſigilli, licet non ſit illud, in qua recipitur figura ſigilli in ratione recipiendi: quia propriè loquendo ratio recipiendi figuram ſigilli eſt quantitas, alio tamen modo; quia diſponit ſubiectum, dicitur eſſe ratio recipiendi figuram: & dicitur ſe habere paſsiuè reſpectu figuræ. Sic ſuo modo non ſolum dicitur principium originans, & effectiuum illud, quod propriè, & principaliter agit, & efficit: immò etiam poteſt dici principium originans, ſiue effectiua cauſa illud, quod quodam ordine, & quadã neceſſaria connexione producit aliud. Vt ſi aliquod totum continuum moueatur à motore extraneo: conſtat, quòd totus motus, & quælibet pars eius eſt ab extrinſeco motore, qui totum continuum mouet & à ſolo illo eſt totus motus; ſicut à communicante eſſe effectiuè toti motui, uel mobili; mediante motu: quia tamen quodam ordinem naturę uirtus motoris per prius attingit partem motus, qui eſt in parte mobilis magis ſibi propinqua, & illa mediante attingit partes motus, quæ ſunt in remotioribus partibus mobilis poteſt dici, quod motus remotioris partis ſecundum quandam connexionem, & conſequentiam naturalem originatur, & efficitur à motu partis propinquioris. Sicut ſi figatur clauus in aliquo corpore, & aliquis non poſſet illud corpus trahere, niſi per clauum, ipſum capiendo; licet ipſe ſolus eſſet, qui effectiuè traheret, & clauum, & corpus: & qui effectiuè communicaret motum toti mobili; tamen largè, & indirectè ſecundum reductionem quandam ad genus cauſæ efficientis, motus aliarum partium poſt clauum dicerentur originari à motu claui, clauus diceretur per modum cuiuſdam connexionis trahere corpus. Ita ſuo modo imaginor de ſubiecto, & propria paſsione: cum enim ex ſubiecto, & propria paſsione fiat unum per ſe in ſecundo modo dicendi per ſe; una pars, puta, ſubiectum propriè, & ſtrictè loquendo de cauſa efficiente, non eſt cauſa alterius partis; immò generans, uel creans (ſi à ſolo deo ſit) eſt cauſa efficiens propriè utriuſque

partis, & totius; poteſt tamen dici una ſecundum quandam reductionem ad genus cauſæ efficientis originari uel erumpere ab altera, inquantum uirtus agentis non attingit partem poſteriorem, puta, paſſionem; niſi mediante priori, idest, ſubiecto propter connexionem connaturalem ipſorum, ſicut dictum eſt de motu prioris partis mobilis reſpectu partis poſterioris; & de motu claui reſpectu corporis, quod trahitur clauo mediante: nunquàm enim generans poteſt efficere paſſionem, nec eam attingere effectiuè, niſi prius attingendo ſubiectum, poſtea quodam ordine efficientia generantis attingit propriam paſſionem. Iſto ergo modo intelligo primam concluſionem, ſcilicet, quòd ſubiectum indirectè, & per modum cuiuſdam connexionis, & reſultationis poteſt dici principium originans, ſiue cauſa effectiua ſuę paſſionis. PROBO ergo dupliciter ſic.

1 In habentibus ordinem prioritatis, & poſterioritatis ſic, quòd poſterius non poteſt naturaliter dici attingi ab aliquo effectiuè, niſi priore mediante, prius poteſt dici indirectè per modum cuiuſdā cōnexionis principium originans poſterioris; ſed ſubiectum, & ſua proprietas habent talem ordinem naturalem ad inuicem, quòd propria paſſio non poteſt attingi effectiuè ab aliquo agente; ergo. Maior, & Minor huius patent: ergo.

2 Sic. Si ſubiectum nullam cauſalitatem haberet ſupra ſuas proprietates; ſequeretur, quòd non plus dependerent, quàm quodcūque aliud accidens cōmune; conſequens eſt falſum: ergo. Patet conſequentia: quia ſolum dependeret ab ipſo materialiter, & ſubiectiuè, ſicut aliqua accidentia. Ad uitandum ergo illud inconueniens oportet dicere, quòd ſubiectum eſt aliquo modo principium originans ſuæ proprietatis. Sed non eſt principium propriè, & directè; ſicut probaui in prima concluſione; relinquitur ergo, quòd ſit principiū origās, indirectè, per modum cuiuſdam connexionis eo modo, quo dictum eſt. Et iſto modo ſaluatur commune dictum omnium Doctorum, & Philoſophorum dicentium, quòd propriæ paſſiones fluunt à ſubiectis; non quidem proriè, & directè; ſed indirectè, & per modū cuiuſdam cōnexionis, & reſultationis eo modo, quo expoſitum eſt. Hoc autem dico, quaſi dubitatiuè, & dando aliis materiam cogitandi. RESTAT reſpondere ad rationes alterius opinionis. AD primum, cum dicitur, quòd impoſſibile eſt ſubiectum, & propriam paſſionem æquè immediatè cauſari à generante. Conceditur, & ex hoc non arguitur, quòd ſubiectum ſit cauſa effectiua ſuæ propriæ paſſionis, propriè, & ſtrictè loquendo: ſed bene arguitur, quòd indirectè, ut dictum eſt de conditione motus prioris partis mobilis reſpectu motus poſterioris partis mobilis: & de clauo reſpectu corporis, qđ trahitur ipſo mediante. Ad ſecundum, cum dicitur, quòd propria paſſio non de neceſſitate ſequitur ſubiectum. Nego: proprietas enim de neceſſitate ſequitur ſubiectum: nō quia ſubiectum imponat neceſſitatem eſſendi paſſioni propriè, ſicut cauſa efficiens propriè paſſionem; ſicut nec etiam motus primæ partis mobilis; neceſſariam tamen connexionem habet ſubiectum cum propria paſſione: ſicut habent partes motus diuerſarum partium eiuſdem mobilis: quia efficacia agentis extrinſeci non eſt nata attingere paſſionem, non præſuppoſita attingentia ſubiecti, nec poteſt attingere ſubiectum, niſi conſequenter ordine naturæ attingendo paſſionem per talem unitatem, quam per ſe ſic habent; & per connexionem, quam non habent aliqua accidentia cum ipſo ſubiecto: conſequitur ergo propria paſſio de neceſſitate ſubiectum: non quia propriè, & ſtrictè loquendo, ſit cauſa effectiua ipſius: ſed quia eſt eius principium originans per modum cuiuſdam connexionis. Ad tertium dico, quòd talis connexio ſufficit ad hoc, quòd unum agat in uirtute alterius: nec oportet, quod unum ſit cauſa effectiua alterius propriè, & ſtrictè: & ideo rationes non conuincunt.

## ARTICVLVS TERTIVS.

RESTAT ergo uidere tertio. Vtrum potentiæ animæ originantur ab ipſa anima? Cuius gratia eſt aduertendum, quòd difficultas huius articuli dependet ex articulo præcedenti: ideo quantum ad iſtum articulum pono quatuor concluſiones. Prima eſt, quòd potentiæ animæ non originantur ab anima, nec etiam effectiuè, loquendo propriè, & ſtrictè de cauſa efficiente. Secunda eſt, quòd anima eſt primum originans ſuarum potentiarum indirectè per modum cuiuſdam connexionis, & reſultationis. Tertia, quòd potentiæ animæ ſenſitiuæ, & uegetatiuæ uerè, & propriè, & directè, cauſantur effectiuè à generante. Quarta, quòd potentiæ animæ intellectiuæ propriè, & directè producuntur à ſolo deo creāte effectiuè. PRIMA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Nulla proprietas naturalis propriè, & directè cauſatur effectiuę ab eo, in quo recipitur ſubiectiuè; ſed potentiæ animæ ſunt proprietates naturales animę, & fundantur in ea ſubiectiuè: ergo, &c. Maior patet ex articulo præcedenti. Minor patet ex quęſtione præcedenti.

2 Proprius, & immediatus effectus naturalis alicuius cauſę efficientis debet aſſimilari ſuæ cauſæ: ſed potentiæ animæ non aſſimilantur eidem: ergo. Maior patet: quia omne agens naturale intendit ſibi aſſimilare paſſum. Minor patet: quia potentiæ animæ ſunt accidentia: anima autem eſt ſpiritualis ſubſtantia: quare.

SECVNDA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Subiectum eſt cauſa effectiua ſuarum proprietatum indirectè, & per modum cuiuſdam connexionis, & conſequenter naturaliter; ſed potētiæ ſunt proprietates connaturales ipſius animę; ergo &c. Maior, & Minor patent per iam dicta. 2 Illud, ad cuius eſſe ſequitur aliud, de neceſſitate eſt aliqua cauſa illius; ſed ad eſſe animę ſequitur de neceſſitate eſſe potentiæ: ergo anima eſt aliquo modo cauſa dictarum potentiarum. Tunc ulterius. Aut eſt cauſa propriè, & directè. Aut eſt cauſa indirectè per modum cuiuſdam connexionis. Non primo modo, ut probatum eſt: ergo ſecundo modo. Minor huius nota eſt de ſe. Maior patet: quia cauſa eſt ad cuius eſſe &c. TERTIA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Potentiæ animæ ſenſitiuæ aut cauſantur effectiuè ab anima, in qua recipiuntur fundatiuè, aut à generante educente animā ſenſitiuam de potētia materiæ. Sed non producūtur effectiuè ab anima propriè, & directè, ut probatum eſt in concluſionibus prædictis: ergo relinquitur, quòd cauſantur ab ipſo generante. Maior patet ex ſufficienti diuiſione. 2 Generans dādo naturā, dat illa, quæ ſequuntur naturam: ergo generans educēdo animam ſenſitiuam de potentia materiæ, dat ei naturam: ergo dat illa, quæ de neceſſitate ſequuntur animam ſenſitiuā: ſed potētiæ ſunt hmōdi: ergo, &c. Tota ratio patet ex terminis. Solum probatur primum antecedens, ſcilicet, quòd dans formam, dat omnia, &c. Hoc autem probatur ſic. Aut generans producit effectiuè accidentia illa, quæ neceſſariò conſequuntur naturam. Aut non. Si ſic, habeo propoſitum. Si non. Tunc ulterius; aut dat uirtutem illi naturæ ad producendo illa accidentia: aut non. Si non: tunc illa accidentia nullo modo producuntur. Si uero dat ei uirtutem: aut diſtinctam à ſubſtantia illius formæ, uel naturæ: uel non. Si non: ergo per talem uirtutem non poterit producere illa natura talia accidentia, cum nulla ſubſtantia poſſit eſſe immediatum principium ſuæ operationis, ut dictum eſt ſupra. Si uerò dat ei uirtutem diſtinctam à ſubſtantia ſua: tunc inter ſubiectum: & propriam paſſionem mediabit iſta proprietas accidentalis, quod eſt inconueniens. Et ēt pari ratione peteretur de illa uirtute, ſicut de prima proprietate: & ſic eſſet proceſſus in infinitum: relinquitur ergo primum uidelicet, quòd generans ſit cauſa productiua talium accidentium.

*Scilicet. q. 3. huius lib. art. 1.*

QVARTA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Aut potentiæ animæ intellectiuæ cauſantur



ab ipſa anima. Aut à generante. Aut ab ipſo deo creante. Non ab anima, ut probatum eſt. Non à generante: quia non extendit ſe ſua uirtus ad cauſandum tales potentias: ergo relinquitur tertium. 2 Quod poteſt produci uirtute agentis naturalis, poteſt corrumpi ab agente naturali; ſed potentiæ animæ intellectiuæ non poſſunt corrumpi ab agente naturali: ergo nec poſſunt ab eo effectiuè produci; & per conſequens producuntur à ſolo deo. Maior, & Minor patent de ſe: ergo &c. Patent igitur prædictæ concluſiones.

*Dubitationes aduerſus determinatas concluſiones.*

TAMEN CONTRA iſta concurrunt quædam dubia, & ſpecialiter contra primam concluſionē, & ipſius probationes. Cum ad dubia, quæ poſſunt oriri contra concluſionem, reſponſum eſt in præcedenti articulo. Contra igitur rationes arguitur quadrupliciter. Contra primam dupliciter. Et contra ſecundam dupliciter. CONTRA primam ſic. 1 Nulla proprietas cauſatur effectiuè ab eo, in quo recipitur ſubiectiuè; ſed intelligere, & uelle ſunt proprietates animæ, & fundantur in ea ſubiectiuè: ergo non cauſantur ab anima effectiuè. Cuius contrarium eſt ſuperius probatum. 2. Cōtra minorē, ubi dicitur, quòd potentiæ animæ fundantur in anima ſubiectiuè. Hoc uidetur falſum de potentiis ſenſitiuis, quæ fundantur in organo corporali; & per conſequens non ſunt in eſſentia animæ: tales .n. potentiæ non originantur ab anima per modum connexionis; ſed à toto compoſito: quia, ut probatum eſt ſuperius in quæſtione de extenſione formarum, non ſunt proprietates animę; ſed totius compoſiti: ergo. CONTRA ſecundā probationem arguitur dupliciter. 1 Sic. Creatura eſt proprius effectus immediatus ipſius dei; & tamen non aſſimilatur ei ſic, quòd ſit eiuſdem rationis cum eo; ſicut arguit iſta ratio, ergo, illa Maior eſt falſa, quæ dicit, quòd proprius, & immediatus effectus alicuius cauſæ neceſſariò ſimilatur illi cauſę. 2 Sic. Sol eſt cauſa iſtorum inferiorum: & tamen non eſt eiuſdem rationis cum illis: ergo illa Maior eſt falſa. Antecedens patet: quia iſta inferiora ſunt effectus proprii naturales Solis: & tamen certum eſt, quòd non ſunt eiuſdem rationis cum eo, nec aſſimilantur ei hoc modo: hæc igitur Maior haberet fortè ueritatem in cauſis uniuocis; ſed in æquiuocis nullo modo uidetur habere ueritatē.

*Solutio dubitationum.*

SED ISTIS non obſtantibus dico, quòd rationes concludunt in materia data. Et ideo reſpondeo ad obiecta. AD PRIMVM dico, quòd, ſicut ſuperius dictum eſt, in probando potentias animæ eſſe realiter diſtinctas ab anima, actus non poſſunt dici propriæ paſſiones animæ: quia continuè deſinunt eſſe, & per conſequens non poſſunt dici proprietates propriè loquendo: nam proprietates ſunt proprię paſſiones, ut hic loquimur. Maior ergo illius rationis uera eſt. Sed Minor, quæ aſſumitur eſt falſa: intelligere namque, & uelle ſunt proprietates animæ: quia proprietas inſeparabiliter conſequitur ſubiectum: ideo ratio nihil concludit. Ad ſecundū dico, quòd, ſicut ſuperius uiſum eſt in quæſtione de extenſione formarū, aliqua ſunt accidentia, quæ ſequuntur compoſitum ratione ſolum materię: quædam ſolum ratione formę: quędam ratione utriuſque: & ut ibi dicebatur, illa accidentia, quę ſequuntur rem ratione utriuſque partis, afficiunt quamlibet partem, & fundantur ſubiectiuè in toto, & in qualibet parte: nunc autem ita eſt, quòd potentię organicæ ſequuntur compoſitum ratione utriuſque partis, ut ibidem fuit declaratum, & principalius ratione animæ, quàm ratione corporis: & ideo ſic fundantur ſubiectiuè in toto; quód etiam afficiunt; & fundantur ſubiectiuè in qualibet parte, & principalius fundantur in anima: ſed in ipſa fundantur radicaliter. Et ideo tales potentiæ dicuntur principalius originari ab anima, quàm à toto compoſito: quàmuis poſſent dici originari à cōpoſito: ſed non ita propriè. Ad tertium, & quartum dico, quòd ſi bene inſpiciantur cōtrouerſiæ poſitæ in illa materia, obiectiones non habent hic locum. Prima non: nam quàmuis creatura ſit effectus proprius, & immediatus dei: non tamen naturalis, idest, naturaliter productus: producitur enim à deo ſupernaturaliter, ut de nihilo, ad quod attingere non ualet aliqua actio naturalis. Secunda obiectio autem non conuenit: nam, quāuis Sol producat aliquos effectus, qui non ſunt eiuſdem rationis, uel quæcunque cauſa ęquiuoca: quia immediatè nulla ſubſtantia, ut ſuperius eſt probatum, poteſt eſſe immediatum principium ſuæ actionis: producit igitur Sol ſuos effectus, mediante calore ſuo, & luce, quæ diſtinguuntur realiter ab eo, ſicut potentiæ animę ab anima. Et ideo iſte rationes non deſtruunt rationes primas principales. Patet igitur quid mihi uidetur dicendum, quantum ad iſtum articulum, & quantum ad quæſtionem totam. AD RATIONES principales patet etiam, quid dicendum per iam dicta in primo, & ſecundo articulo.

## QVAESTIO VI.

### An ſenſus ſit ſuſceptiuus ſpecierū ſine materia?

VTRVM ſenſus ſit ſuſceptiuus ſpecierū ſine materia? Et uidetur, quòd non. Species rerum ſenſibilium habet in aere uerum eſſe reale: ergo ſenſus non eſt ſuſceptiuus ſpecierū ſine materia. Conſequentia nota uidetur pro tanto: quia tunc dicitur paſſum, ſiue potentia recipere ſpecies ſine materia, quando non recipit ea ſub illo modo eſſendi reali, ſub quo erant in ſuo ſubiecto: ergo per oppoſitum. Quando ſpecies recipitur ſub eſſe reali, quod habebat in ſubiecto, non dicitur recipi ſine materia. Sed ſi ſpecies rerum ſenſibilium habent in aere uerū eſſe reale, reciperētur in ſenſu ſub eſſe reali, quod habebant in ſubiecto: non ergo recipientur ſine materia: patet igitur conſequentia. Antecedens probatur ſic. Illud, quod habet eſſe in medio, omni operatione intellectus circunſcripta, habet in eo uerum eſſe reale; ſed ſpecies rerum ſenſibilium habent eſſe in medio, omni operatione intellectus circunſcripta: ergo. Maior patet per Philoſophum 6. metaphyſicæ, qui diuidit ens in reale, & rationis. Et uocat ens reale, quod non habet eſſe à ratione. Minor patet de ſe: ergo. Pręterea. Si ſenſus eſſet ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia, ſpecies recepta in ſenſu, aut cauſaretur effectiuè ab obiecto, uel in ipſo ſenſu: hæc patet per ſufficientem diuiſionem. Non poteſt dici, quòd cauſaretur ab obiecto: quia ſemper agens eſt præſtantius, & nobilius patiente ut dicitur 3. huius, ſubiectum aliquod eſt nobilius ſenſibili: quia ſenſibile eſt magis materiale, ſenſus magis immaterialis, & ſpiritualis: & omne tale eſt nobilius: nō ergo poteſt dici ſpecies in ſenſu effectiuè ab obiecto cauſari. Nec poteſt dici effectiuè cauſari à ſenſu: quia ſenſus ſecundum Philoſophum 2. huius eſt purè paſſiuus; & per conſequens non eſt dare ſenſum aliquem agentem, qui ſit cauſa effectiua huiuſmodi ſpecierum: non ergo poteſt dici ſpecies ab aliquo cauſari; & per conſequens ſenſus non eſt ſuſceptiuus talium ſpecierum ſine materia. IN OPPOSITVM eſt Philoſophus in litera. Reſpondeo, in iſta quæſtione tria ſunt uidenda. Primum eſt. Vtrum ſpecies, ſiue intentiones rerum ſenſibilium habeant in medio eſſe reale, uel tantum intentionale? Quia hoc tangit primum argumentum. Secundum. Vtrum ſit dare aliquem ſenſum agentem, qui habeat uirtutem aliquam effectiuam reſpectu talium ſpecierum? Et hoc tangit ſecundū argumentum. Tertium, quòd quærit quæſtio principalis.

*Tex. c. 4.*

*Tex. c. 19.*

*Tex. c. 51. 52. 53.*

*Tex. c. 121. 138.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum, ordine hoc procedetur.

procedetur. Quia primo ponetur quædã opinio cũ motiuis ſuis, quæ directè opponitur concluſioni doctoris noſtri. Secundo declarabitur opinio doctoris noſtri, & ſimul cum hoc impugnabitur opinio ei contraria. Tertio, & ultimo ſoluentur rationes alterius opinionis. Eſt igitur quædam opinio, quæ ponit per ordinem duas concluſiones. *Heru. 2. Sẽ. diſt. 15. q. 1* Prima eſt, quòd lumen in aere habet uerum eſſe reale, & idem intelligendum eſt de ſpecie coloris, & cuiuslibet alterius ſenſibilis in medio. Secunda eſt, quòd impoſſibile eſt duo lumina, ſiue duę intentiones ſolo numero differentes eſſe in eodem ſubiecto, ſiue in eadem parte aeris. Iſte autem doctor in ponendo iſtas concluſiones hoc ordine procedit: quia primo arguit contra ſe. Et ſecundo probat concluſiones ſuas. Tertio ſoluit rationes contra ſe factas. 1 Arguit igitur primo ſic. Impoſſibile eſt plures formas ſubſtantiales ſolo numero differentes, *A. l. reales.* eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ſed plura lumina ſunt in eadem parte aeris, ſiue medij: ergo. Maior nota eſt de ſe. Minor probatur. 1 Si ponatur quædam tabula perforata, & ponantur duo lumina, ſiue duæ candelæ ex utraque parte forationis; illa lumina proijcient radios ſuos ultra foramen, & in ipſo foramine ſimul concurrent; & per conſequens uidetur, quòd in foramine ſint duo lumina ſolo numero differentia. 2 Hoc idem probatur ex experientia. Si ponatur uirga, uel baculus inter duo luminaria, ſtatim faciet umbrã ex utroque latere: hoc autem non eſſet, niſi ex utraque parte priuaretur lumen unius luminaris, & dimitteretur lumen alterius luminaris: ergo. 3 Hoc idem apparet de intentionibus coloris, quæ, quantum ad hoc, ſunt eiuſdem rationis cum lumine: nam cum per idem medium à diuerſis uideantur diſtincta alba; ita, quòd illud, quod uidetur ab uno, non uidetur ab alio: oportet, quòd in medio ſint diuerſæ intentiones albi: alioquin ſi non eſſet, niſi una, illa duceret quemlibet uidentem in cognitionem utriuſque albi, quod eſt contra ſuppoſitum.

SECVNDO ad principale arguitur ſic. Nulla forma realis multiplicatur in inſtanti; ſed lumen multiplicatur in inſtanti: ergo. 3 Sic. Omnis forma realis poteſt manere abſente ſuo agente; ſed lumen non manet abſente ſuo agente: ergo non eſt forma realis. HOC facto declarat iſte doctor intentionẽ, ſiue poſitionem ſuam, dicens, quòd eſſe intentionale poteſt capi dupliciter. Vno modo, prout diſtinguitur contra ens reale: ſic, quòd eſt tantum ens rationis; ſicut eſt uniuerſalitas, uel aliud tale. Et ſic impoſſibile eſt lumen eſſe tale ens intentionale: quia aliquam entitatem habet in re extra animam. Alio modo poteſt capi intentionale illud, quod eſt repræſentatiuum alterius. Sicut ſi imago Herculis diceretur intentio eius; ſed intẽtio ſic dicta habet uerum ens reale exiſtens in genere determinato, ut probabitur ſtatim. Et iſto modo lumẽ dicitur habere eſſe intentionale in ipſo medio uerè, & propriè, & habere eſſe reale in eo. Probatur ergo aſſumptum ſcilicet, quòd lumen, & quodlibet aliud, quod ſic habet eſſe intentionale habeat tantam entitatem, quòd ſit in aliquo genere determinato: quia hoc negatur ab aliquibus. Hoc autem ſic probatur. Philoſophus 6. metaphyſicæ diuidit ens reale, quod condiuiditur enti rationis in 10. prædicamenta; *tex. c. 4.* ſed lumen nõ pertinet ad illud ens, quod tãtum eſt ens rationis: quia, ut dictum eſt, ponit aliquid extra animam: ergo lumen pertinet ad ens, quod diuiditur in 10. prędicamenta; ſed ens, quod diuiditur in 10. prædicamenta diuiditur in ea ſufficienter: ita, quòd ſub ente reali impoſſibile eſt dare aliquod ens, quod non ſit in aliquo prędicamento: alioquin diuiſio illa eſſet inſufficiens: quia impoſſibile eſt aliquod contineri ſub aliquo communi; quin contineatur ſub aliquo membrorum ipſum diuidentium, ſi ſufficiẽter diuidatur. Vt impoſſibile eſt dare aĩal, quod non ſit rationale, uel irrationale: oportet ergo dicere, ꝙ lumen ſit in aliquo prædicamento. ET SI dicatur ad iſtam rationem, *Tacita reſponſio.* quòd lumen eſt in prædicamento per reductionem, ſicut punctus, uel unitas. Et ideo non oportet, quòd ſit ens reale, quod ſimpliciter eſt in prædicamento. ARGVITVR contra hoc dupliciter. *Impugnatio.* Primo probatur, quòd lumen per ſe, & non per reductionem eſt in prædicamento.

Secundo oſtenditur, quòd poſito quòd haberet eſſe in prædicamento per reductionem: adhuc tamen habebit uerum eſſe reale. PRIMVM probatur ſic. Illud cui conuenit ratio generis generaliſsimi eſt per ſe, & directè in prædicamento; ſed lumini conuenit ratio generis generaliſsimi: ergo. Minor patet de ſe: quia eſt qualitas. Maior patet: quia illud dicitur eſſe in prędicamento; ſicut ſpecies prædicamenti, cui conuenit ratio generis generaliſsimi. Minor patet, quia qualitas eſt forma, ſecundum quam quales eſſe dicimur; *Cap. de Quali.* ſed ſecundum lumen aer dicitur lucidus, & illuminatus: ergo erit per ſe in genere qualitatis, & in iſta ſpecie. 2 PROBATVR ſecundum ſic. Illud, quod eſt in prędicamento ſicut principium rei exiſtentis in prædicamento, habet ſimpliciter uerum eſſe reale; ſed lumen, ſi habet eſſe in prędicamento per reductionem, ſicut punctus, uel unitas, habet eſſe in prædicamento, ſicut principium rei exiſtentis: ergo. Maior patet: quia materia, & forma, punctus, & unitas, quæ iſto modo ſunt in prædicamento habent uerum eſſe reale. Minor eſt nota de ſe: ergo, &cæ. Patet igitur prima concluſio, uidelicet; quòd lumen in medio habet uerum eſſe reale, & quod dictum eſt de lumine, intelligendum eſt de ſpeciebus colorum in medio, quæ, quantum ad hoc, ſunt eiuſdem rationis cum lumine.

DEINDE probatur ſecunda concluſio, uidelicet, quòd impoſſibile ſit duo lumina numero differentia eſſe in eadem parte aeris, ſiue duo intentiones. Et arguitur. Sicut ſe habet accidens ad eſſe ſubiecti; ita unitas, & pluralitas accidentis ſe habet ad unitatem, & pluralitatem ſubiecti; ſed eſſe cuiuſcunque accidentis dependet ab eſſe ſubiecti: quia accidentia, *7. Metaph. tex. c. 2.* non ſunt entia, niſi quia entis: ergo unitas, & pluralitas accidentis cuiuſcunque dependet ab unitate, & pluralitate ſubiecti: cum igitur lumen, & intentiones ſint accidentia; unitas, & pluralitas ipſorum ſumetur ab unitate, & pluralitate ſubiecti, id eſt, medij: igitur non poterunt duo lumina ſolo numero differentia, ſiue duę intentiones eſſe in eadem parte aeris. ET confirmatur iſta ratio ſpecialiter de lumine, & de intentionibus huiuſmodi: Quia quanto magis dependet accidens à ſubiecto, tanto minus poteſt habere pluralitatem, niſi à pluralitate ſubiecti; ſed lumen, & iſtę intentiones magis dependent à ſubiecto; cum habeant entitatem debiliſsimam: ergo minimè poſſunt plurificari in eodem ſubiecto. NEC uidetur ualere, ſi dicatur ad iſtam rationem, *Confutatio eiuſdem reſponſi.* quòd lumen, & huiuſmodi intentiones habent pluralitatem ab agente, ſiue ab obiecto: quia ab eodem dependent in eſſe, & in fieri: quia conſtat, quòd omnis forma, quæcunque ſit in aliquo ſubiecto, dependet ſubiectiuè, & ſubſtantiuè à ſubiecto, in quo eſt: & tamen ſemper dependet ab aliqua cauſa effectiua conſeruante, quæcunque ſit illa: eadem ergo ratione, qua tales formæ poſſent plurificari in eodem ſubiecto per diuerſitatem agentium conſeruantium, poſſent, & quæcunque aliæ formę à diuerſis agentibus cauſatæ plurificari in eodem ſubiecto, quod patet euidenter falſum: duæ enim albedines à quocunque, uel quibuſcunque cauſarentur eſſe ſimul in eodem ſubiecto, eſt omnino impoſſibile; patet igitur ſecunda concluſio. CONCLVSIONIBVS ſic probatis, reſpondet iſte doctor rationibus, quas contra ſe adduxit. AD primum, cum dicitur, quòd impoſſibile ẽ plures formas reales eſſe ĩ eodẽ ſubiecto. Dico, ꝙ Minor eſt totaliter falſa, ut patet ex ſecũda cõcluſione. Et ad probationes reſpondet. AD primam dicendum, quòd illa lumina non faciunt duo lumina in illo foramine tabulæ, ſed unum tantum: ſicut duæ albedines nõ cauſant in medio duas ſpecies, ſed unam tantũ, ut inferius patebit.



Ad ſecundũ conceditur, quòd baculus poſitus in medio facit duas umbras unã ex una parte: & aliam ex alia: non quidem propter hoc exiſtẽtibus duabus luminaribus in toto medio, aſſerit, quòd unum lumen ſit ex una parte, & aliud ex alia, ut imaginatur illa ratio: ſed quia ex utraque parte, ut prius dat lumẽ magis extenſum, facit ille baculus, quòd ſit lumen magis remiſſum. Ad tertium uerò dicitur, quòd illa rõ procedit ex falſa imaginatione: imaginatur enim, quòd color cauſet quandam intentionem in medio, & nihil plus faciat: & iſta intentio ſic cauſata ſit primum agens, quod principaliter mouet oculum: hoc autem eſt falſum; immò color eſt, qui mouet totum, quicquid ei ſecũdum rectam lineam opponitur, quàm ſe extẽdit ſua uirtus. Ita & aer, & oculus, & totum, quòd ei directe opponitur, reſpicit ipſum colorem, & unum mobile. Vnde color eſt, qui totum medium unà cum oculo immutat: & quia talis immutatio ſit ſecundum rectam lineam; ideo color non immutat ad uidendum, niſi illum oculum: qui ei opponitur ſecundum rectam lineam. Et quia unum album opponitur uni oculo, & aliud alii: ideo exiſtente eodem medio unus oculus uidet unum album, & alius oculus uidet aliud album non propter diuerſas intentiones exiſtentes in eodem medio: ſed propter hoc quòd unus oculus opponitur ſecundum rectam lineam uni albo, & alius alii. Et ideo unus oculus mouetur ab uno albo, & alius ab alio. AD ſecundam rationem dicitur, quòd Maior eſt falſa: quia ſecundum Philoſophum in de ſenſu & ſenſuato tota aqua poteſt calefieri: ita quòd non una pars ante aliam; ſed minus intenſum præcedit magis intenſum. Vnde ad hoc, quòd forma habeat eſſe reale, uel intentionale, non refertur, utrum fiat in inſtãti, uel in tempore. AD tertium dico, quòd tam illa forma, quæ manet in abſentia agentis, quàm illa, quæ non manet, poſſunt eſſe reales: alioquin cœlum non poſſet manere, niſi conſeruante ſuo agente immediato, qui eſt deus, & eſſet ens intentionale, quod nullus diceret. Figura ẽt quam cauſat ſigillum in aqua, eſt ita realis, & ens reale; ſicut figura, quam cauſat in cera: & tamen una non manet ad abſentiam agentis, & alia manet. Vnde ſic manere, uel non manere nihil facit ad propoſitum, hæc eſt igitur opinio huius doctoris cum ſuis motiuis. RESTAT ergo ſecundo declarare, *Dilucidatio opinionis Aegidii.* quantum ad iſtum articulum, opinionem doctoris noſtri Aegidij, ſicut eam intelligo. Cuius gratia eſt aduertendum, quod eſſe intentionale poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, ſicut dicebatur in opinione prædicta, prout diſtinguitur ſimpliciter contra eſſe reale. Et ſic dicuntur habere eſſe intentionale illa, q̃ ſolum habẽt eſſe per operationem intellectus, *Commentator. 1. phyſi. com. 5.* ut genus, & ſpecies, & uniuerſaliter intentiones logicæ. Et iſto modo lumen & ſpecies colorum in medio non ſunt huiuſmodi, ut patet de ſe. Alio modo dicitur habere aliquid eſſe intentionale; quia habet debile eſſe reale. Verum, quia nõ omne, quod habet debile eſſe reale dicitur habere eſſe intentionale. Idcirco ulterius eſt aduertendum, quòd aliquid habere eſſe reale debile poteſt intelligi dupliciter. Vno modo: quia non habet totum eſſe ſuum ſimul, ſiue permanens; ſed in quadam ſucceſsione, ſicut motus, uel tempus. Quæ ſic habent eſſe reale debile, non dicuntur habere eſſe intentionale. Et ſuppoſito per hoc quod hoc diceretur habere aliquo modo eſſe intentionale; lumen tamen, & ſpecies coloris in medio non dicuntur hoc modo habere eſſe intentionale, quia eſſe ipſorum eſt totum ſimul, tamen conſiſtunt intentione. Alio modo dicuntur habere aliqua debile eſſe reale: quia ſuum eſſe conſiſtit in comparatione ad aliud, & hoc modo dicuntur relationes habere debile eſſe reale, immò ſecundum Commentatorem *12. Metaph. com. 19.* relatio inter alia prædicamenta minimè habet de entitate. Sed nec quæ ſic debile habent eſſe reale, dicuntur propter hoc habere eſſe intentionale. Et ulterius ſuppoſito, quòd relationes dicerentur habere eſſe intentionale; lumen tamen, & ſpecies colorum in medio, ſiue in aere nõ dicerentur ꝑꝑ hoc habere eẽ intentionale: quia quàmuis ſpecies in medio exiſtentes, ducant in cognitionem ſuorum obiectorum, & repræſentent ipſa formaliter; ſuum eſſe tamen formaliter, & intrinſecè non conſiſtit in aliud ſe habere: quia non ſunt in prædicamento relationis per ſe. TERTIO modo dicuntur habere aliqua debile eſſe reale; quia ad ſui exiſtentiam requirunt præſentiam ſuæ cauſæ proximæ, & immediatæ. Sed quia non omnia, quæ ad ſui exiſtentiam requirunt præſentiam ſuę cauſæ proximę, & immediatæ, dicuntur habere eſſe intentionale: eſt adhuc ulterius notãdum, quòd cauſa, ut ad præſens ſpectat, poteſt capi dupliciter. Eſt enim quædam naturalis, quædam ſupernaturalis: illa enim, quę ad ſui exiſtentiam requirunt cauſæ ſupernaturalis præſentiam, ẽt ſi ſit proxima, & immediata: non dicuntur propter hoc habere eſſe intentionale; aliàs cœlum, & intelligẽtiæ, & omnes creaturæ à deo productæ immediatè dicerentur habere eſſe intentionale, quòd eſt euidenter falſum. Illa autem, quæ ad ſui exiſtentiam requirunt præſentiam ſuæ cauſæ naturalis proximæ, & immediatę adhuc ſunt in duplici genere: quædam enim ſic requirunt præſentiam ſuæ cauſæ naturalis proximæ, & immediatæ, quòd non deficiunt à ratione propriæ ſpeciei, nec ſunt pręciſè illud, quo anima tendit in cognitionem illius cauſæ: & quæ ſic ad ſui exiſtentiam requirunt præſentiam ſuæ cauſe naturalis, non dicuntur habere eſſe intentionale; immò habent uerũ eſſe reale, & hoc modo lumen Lunę, & lumen ſtellarum dicuntur, & præciſè requirunt Lumen Solis illuminantis: nullus tamen propter hoc diceret, quòd Luna, & ſtellæ haberent eſſe intentionale, nec lumen in eis exiſtens.

Aliqua uero ſunt habentia ita debile eſſe reale, quòd non ſolum ad ſui exiſtentiam requirunt præſentiã ſuæ cauſæ naturalis proximæ, & immediatæ: immò una cum hoc deficiunt à perfectione propriæ ſpeciei, & propriè loquendo ſunt illud, quo anima tendit in cognitionem alterius. Et quæ ſic habent debile eſſe reale, dicuntur habere eſſe intentionale: quia deficiunt à ratione propriæ ſpeciei, nec ſunt per ſe, & directè in prædicamento: nec ſunt ulterius principium alicuius rei exiſtentis in prædicamento per ſe; ſed tantum illud, quo anima tendit in aliud: & ideo non dicuntur habere eſſe reale, ſed intentionale, cui tamen alludit expoſitio uocabuli. Intentionale enim dicitur, quo in aliud tenditur, & iſto modo lumen, & ſpecies colorum in medio dicuntur habere eſſe intentionale: requirunt namque ad ſui in exiſtentiam ſuæ cauſæ naturalis proximæ, & immediatæ præſentiam: dependet enim ſpecies in medio ab obiecto, & quãtum ad eſſe, & quantum ad fieri, ſic, quòd nullo modo habent eſse, niſi ad præſentiam obiecti. Deficiunt etiam à ratione, & perfectione propriæ ſpeciei: nullus enim diceret, quòd albedo ſecundum ſuum eſſe, quod habet in ſubiecto, & ſecundum eſse, quod habet in medio ſint directè, & propriè, & per ſe eiuſdem ſpeciei propter imperfectum eſse talium ſpecierum, niſi uellet quis negare ſenſum, & rationem: lumen etiam, & ſpecies colorum in medio ratione ſui eſse imperfecti non terminant actum animæ: ſed propriè loquendo ſunt illud, quo anima tendit in obiectum: non enim uidetur ſpecies colorum in medio: ſed mediante ſpecie coloris uidetur ipſemet color, & terminat actum uiſus; nec lumen, quod eſt in medio, propriè dicitur terminare actum uiſus; ſed mediante lumine potentia uiſiua fertur in obiectum. Habent igitur lumen, & ſpecies coloris in medio eſſe intentionale, & non reale eo modo, quo expoſitum eſt. Et iſto modo intelligenda ſunt uerba doctoris noſtri, quando dicit lumen, & ſpecies in medio habere eſse intentionale: non tamen propter hoc intendit negare ab iſtis intentionibus entitatem aliquam realem extra animam, ut poteſt patere ex dictis. Eſt tamen ulterius aduertendum, quòd in prædictis intentionibus eſt dare gradus: non enim omnis intentiones habent eſſe in medio æquè debile reale. Sed quædam habent magis forte, quædam uerò magis debile, ut patet de ſe. HIS IGITVR ſuppoſitis iuxta doctrinam doctoris noſtri pono duas

conclusiones contrarias duabus cõcluſionibus alterius opinionis. Prima eſt, ſcilicet, ꝙ huiuſmodi lumen, & ſpecies coloris in medio non habent eſſe reale, ſed intentionale. Secunda eſt, quòd duo luminaria, ſiue duæ ſpecies ſolo numero differentes poſſunt eſſe in eadem parte aeris, ſiue in uno, & eodem ſubiecto; ita, ꝙ ſpecies in medio numerantur numeratione obiecti, & non ſubiecti. PRIMA cõcluſio probatur quadrupliciter. 1 Sic. Omnis forma, quæ ad ſui exiſtentiam requirit ſuæ cauſæ naturalis proximę, & immediatæ præſentiam, & deficit à perfectione proprię ſpeciei, habet eſſe intentionale, & propriè loquendo nõ dicitur habere eſſe reale; ſed lumen, & ſpecies coloris in medio ſunt huiuſmodi: ergo. Maior, & Minor patent ex dictis. 2 Illud, quo anima ſic tendit in cognitionem alterius, propriè loquendo, & non poteſt actum aliquem terminare, dicitur habere eſſe intentionale, & non debet dici habere eſſe reale: lumen, & ſpecies coloris in medio ſunt hmõdi ergo. Maior, & Minor etiam patent ex dictis. 3 Vnumquodque agens introducit formam in materiã ſecundum cõditionem, & diſpoſitionem materiæ: ſed medium non eſt diſpoſitum, nec aptum natum recipere ſpecies colorum, ſiue lumen ſecundum modum eſſendi realem, quem habent in ſuis ſubiectis: ergo hmõi ſpecies, & lumẽ non habẽt in medio eſſe reale. Maior huius rationis patet per Philoſophum ſecundo huius: non enim quæcunque forma introducitur in quamcunque materiam: ſed determinata forma in determinatam, & diſpoſitam materiam. Minor probatur: nam propria, & perfecta diſpoſitio ſubiecti ipſius coloris eſt habere eſſe opacum, & terminatum ut patet in lib. de ſenſu, & ſenſato: ubi dicitur, quòd color eſt extremitas perſpicui in corpore terminato. Propria autem, & perfecta diſpoſitio ſubiecti ipſius lucis eſt eſſe denſum: unde nihil lucet niſi denſum. Et ideo ſtella, & quilibet Planeta lucens, eſt denſior pars cœli, uel ſui orbis. Medium autem, ſiue aer non eſt corpus denſum, nec habet eſſe opacum, ſiue terminatum. Et ideo non eſt ſubiectum aptum natum, ſiue diſpoſitum ad recipiendum lumen, ſiue ſpecies colorum ſecundũ ſuũ eſſe reale, quod habent in ſuis propriis ſubiectis.

*Vide Durã. 2. Sent. d. 13. q. 2.*

*tex. c. 26.*

*Cap. 2.*

*Ex Auer. 2 cœli. c. 42. Et ĩ de ſubſtãtia orbis cap. 2.*

*Vide Aegidiũ in exam. par. 2. cap. 12. tex. c. 75.*

4 Si lumen, & ſpecies colorum in medio haberent eſſe reale; ſequeretur, ꝙ ſenſibile poſitum ſupra ſenſum faceret ſenſum; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet, ſecundo huius. Conſequentia probatur: quoniam ſpecies multiplicantur per medium uſque ad organum uiſus, & recipiuntur in oculo, ſecundum quòd ſunt in medio. Si igitur haberent eſſe reale in medio, ſicut in ipſo ſenſibili, eſſent in ſenſu; & ſenſibile ſuper ſenſum facerent ſenſum. SECVNDA concluſio probatur ẽt quadrupliciter. 1 Sic. Illa ſunt eſſentialiter diuerſa, quorum uno totaliter deſtructo, remanet reliquum in ſuo eſſe completo; ſed ſpecies duorum obiectorum in medio ipſo ſic ſe habẽt, ꝙ una earum totaliter deſtructa, altera remanet, uel remanere poteſt in ſuo eſſe completo: ergo. Maior patet: quia eius contradictoria euidenter implicat. Minor ẽt ſatis euidenter eſt clara: nam ſi oculus ſimul uideret album, & nigrum, uel duo alba; Si alterum iſtorum corrũperetur, uel remoueretur; remoueretur, ſiue corrũperetur ſpecies illius, quæ erat in medio: & tamen remaneret ſpecies alterius in ſuo eſſe completo: quia adhuc uiſus alterum iſtorum uideret, & iudicaret, ſicut prius.

ET confirmatur iſta ratio: quia in ſpeculo appoſito duobus corporibus apparẽt duæ imagines diſtinctę; & ſi una corrumpatur, altera remanet, uel remanere poteſt: quare, &c. Iſtam rationem in materia iſta puto inſolubilem. 2 Accipio duas ſpecies duorũ ſenſibilium, ut puta, albi, & nigri. Et peto. Aut utraque ſpecies remanet in medio ſub ſuo eſſe diſtincto, & nulla corrumpitur? Aut utraque corrumpitur, & nulla remanet? Aut una corrumpitur, & alia remanet? Patet per ſufficientem diuiſionem. Si detur primum, habetur propoſitum: quia in medio habent eſſe diſtinctæ. Si uerò detur ſecundum. Aut utraque corrumpetur ſic, quòd nulla remanet in medio? Aut utraque corrumpetur ſic, ꝙ fiet una ſpecies media. Patet etiam per locum à ſufficienti diuiſione. Si detur primum, tollitur totaliter ſpecies à medio; & per conſequẽs nihil uidebitur, quod eſt contra ſenſum. Si detur ſecundum, tunc illa media non erit eiuſdem rationis cum extremis; ſicut rubeum non eſt eiuſdem rationis cum albo, & nigro: & ſic non faceret directè cognitionem albi, & nigri. Si uerò detur tertium, uidelicet, quòd una corrumpatur, & altera remanet: tunc uidebitur illud ſenſibile, cuius erat illa ſpecies, quæ corrumpitur: quia nullam ſpeciem habet in medio: cuius oppoſitum patet ad ſenſum. Nullo igitur modo duæ ſpecies in medio poſſunt fieri una ſpecies numero. 3 Si ſpecies diuerſorum ſenſibilium in medio eſſent una ſpecies numero; ſequeretur, ꝙ ſenſus, ut puta, uiſus non poſſet cognoſcere diuerſitatem graduum diuerſarum formarum uiſibilium, uidelicet, magis album, & minus albũ; conſequens eſt falſum, & contra ſenſum: ergo. Conſequentia probatur. Vna ſpecies numero non habet gradum, & gradum, ſaltem pro eodem tempore: ergo, ſi ſpecies illæ diuerſorum ſenſibilium eſſent una ſpecies numero; tunc uiſus non cognoſceret diuerſitatem formarum, ſiue graduum earũ: ergo. 4 Illæ formæ, quæ non extenduntur extenſione materiæ, non numerantur numeratione ſubiecti; ſed lumen, & ſpecies in medio non extenduntur extenſione medij: ergo, &c. Maior nota. Minor probatur. Illæ formæ, quæ non educuntur de potentia materiæ, non extenduntur extenſione materiæ: hæc patet ex dictis in tertia concluſione ſuperius de extenſione formarum: ſed ſpecies in medio non educuntur de potentia materiæ: quia, quod educitur de potentia materiæ, educitur per motum, & trãſmutationem: hęc autem, propriè loquendo, non eſt motus, nec tranſmutatio: ergo, &c.

PATET IGITVR ſecunda concluſio; & per conſequens concluſiones alterius doctoris non eſſe ueras rationes. Etiam illæ, quas adducit contra ſe, non ſunt ſolutæ. Et ideo arguo contra ſolutiones. Prima nanque ratio ſtat in uigore ſuo: nam minor, quam ipſe negat, eſt totaliter uera, ut patet ex iſta ſecunda concluſione immediatè probata. Nec probationes illius minoris ſunt ſufficienter ſolutæ. PRIMA quidem probatio non ſoluitur; immo ſolutio ſumit unum falſum, uidelicet, ꝙ lumen duarum candelarum in eodem foramine eiuſdem tabulæ eſt unum lumen, & non plura: hoc enim eſt falſum, quod ſic probatur. Illa ſunt eſſentialiter plura, ſiue diuerſa, quorum uno diminuto ſecũdum entitatem, aliud augumentatur entitatiuè; ſed lumina cauſata à diuerſis luminaribus in eodem foramine ſic, ſe poſſunt habere, ꝙ unũ diminuetur, & aliud augumentabitur ſimul, & ſemel: ergo, &c. Maior patet: nam aliàs unum, & idem ſimul, & ſemel augumentaretur, & diminueretur, quod implicat. Minor probatur. Nam ſi ex utraque parte tabulæ ponatur ignis; ſic, ꝙ unus continuè augumentetur, & alius continuè diminuatur: lumen in foramine ignis augmentati augumentabitur: lumen uerò alterius diminuetur in eodem foramine: lumina igitur iſta non ſunt unum lumen, ſed plura. SECVNDA probatio etiam non eſt ſoluta: immò magis uidetur propoſitum confirmare: dicitur enim in ſolutione illius primæ, ꝙ baculus poſitus in medio duarum candelarum, facit duas umbras: non propter hoc, quòd auferat lumen unius candelæ ex una parte, & lumen alterius ex alia; ſed lumen, quod erat ibi magis intenſum, habet eſſe magis remiſſum. Iſta igitur reſponſio habet pro inconuenienti, ꝙ lumẽ unius candelæ auferatur, alio manente, ex quo ſunt unum lumen; ſed amota una candela ex toto, alia manente, aufertur totaliter lumen unius, manente lumine alterius: ergo non poſſunt eſſe unum lumẽ; immò neceſſariò plura: hæc igitur ſolutio confirmat propoſitum. TERTIA etiam probatio nullo modo ſoluitur: totaliter enim eſt impoſſibile, quòd ſpecies duorum colorum in medio ſit una ſpecies numero. Et, quàmuis hoc ſatis appareat ex dictis in ſecunda concluſione; tamen roboratur adhuc una ratione tali. Si ſpecies duorum ſenſibilium eſſent in medio, & fierent una ſpecies numero: ſequeretur, ꝙ ſenſus uidendo duo ſenſibilia, ut puta, album, & nigrum: uel duo alba: non iudicaret illa diuerſa; immò unum; conſequens eſt contra ſenſum: ergo. Conſequentia probatur: quia quæ uidentur per unum principium formale ab eadem potentia formaliter ſumpta, uidentur, ut idem, & non, ut diuerſa; ſed iſta uiſibilia uidentur per idem principium formale, & per eandem ſpeciem, & ab eadem potentia: ergo ſenſus non iudicaret iſta diuerſa; ſed unum. Prima igitur ratio non eſt ſoluta. SECVNDA etiam non ſoluitur: quia exemplum, quod adducitur de aqua nihil eſt ad propoſitum: nã aliud eſt forma introduci in inſtãti: & aliud eſt, ꝙ forma ab oriente ad occidens ſe multiplicet in inſtanti. Primum quidem à nullo negatur. Secundum uerò nulli conuenit, niſi habenti eſſe intentionale. Et ideo iſta inſtantia nihil uidetur facere ad propoſitum. Et poſito, quòd eſſet ad propoſitum, magis uidetur facere contra eum, quàm pro eo: nam quamuis forma illa, puta, caliditas, uel frigiditas introducatur in inſtanti; præceſſit tamen motus, & tranſmutatio: lumen autem, & ſpecies in medio, nulla tranſmutatione præcedenti, in inſtanti ſe multiplicant: & ideo non uidentur habere eſſe reale; ſed intentionale eo modo, quo expoſitum eſt.

*Impugnatio ſolutionũ Heruei.*



TERTIA etiam ratio; ſi bene intelligatur, non ſoluitur: eſt tamen aduertendum, quòd illa ratio non eſt ſic formanda abſolutè; ſed debet, ſicut ratio fuit deducta in arguendo contra iſtam opinionem, formari ſic. Omnis forma, quæ ad ſui exiſtentiam, &cæt. Eſt prima ratio adducta ad probandum primam concluſionem principalem. ſ. quòd ſpecies habet eſſe intentionale in medio. Require ſuperius eam. Et ſi iſto modo deducatur ratio, nullo modo ſoluitur, nec inſtantiæ ſunt ad propoſitum, ut patet intuenti. Iſta igitur opinio non uidetur in aliquo uera. ET IDEO reſtat reſpondere ad rationes iſtius doctoris. Ad primam, cum dicitur, uel dicebatur. Illud, cui conuenit ratio generis generaliſsimi. Dico, quòd competere alicui rationem generis generaliſsimi poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd competat ei per ſe, & directè: & iſto modo ſolum conuenit eis, quæ ſunt per ſe in prędicamento. Alio modo, ꝙ indirectè competat alicui, & per reductionem: & iſto modo cõuenit illis, quæ per reductionem habent eſſe in prædicamento: nam eodem modo, quo aliqua ſunt in prædicamento, competit eis ratio prædicati. Et tunc dico ad minorem, quòd lumini bene conuenit ratio qualitatis iſto ſecundo modo. Et dico ulterius, quòd non ſolum illa, quæ ſunt in genere per ſe; ſed etiam illa, quæ ſunt in genere per reductionem, ut puta intentiones, ſi ſint bene fortes, poſſunt denominare. Et ideo lumen denominat aerem, & aer poteſt dici illuminatus; ſed propter hoc non habetur, quòd ſit qualitas per ſe: aliquo tamen modo concideretur. Ad ſecundum, cum dicitur, illud, quod eſt in prędicamento, ſicut principium rei, &c. Conceſſa Maiori: negatur Minor: lumen enim non eſt principium rei exiſtentis per ſe in prædicamento; immò eſt quidam effectus cauſatus à re exiſtente in prædicamento ſecundum eſſe debile, ut dictum eſt. Vnde iſte doctor decipitur in iſta ratione: imaginatꝛ enim, ꝙ omne illud, quod eſt in prædicamento per reductionem, eſt principium, quod eſt per ſe in prędicamento; ſicut materia, & forma, punctus, uel unitas, quod falſum eſt: nam aliquid eſt in prædicamento iſto modo per reductionem: & aliquid aliud alio modo. ſ. quod cauſatur à re exiſtente in prædicamento ſecundum eſſe debile eo modo, quo dictum eſt. Et ideo ratio peccat per fallaciam conſequentis.

*Solutio rationum Heruei.*

AD rationem probantem ſecundam concluſionem; quando dicebatur eſſe accidentis, &c. Quàmuis poſſet negari Maior, ſi abſolutè loquatur de unitate, & & pluralitate: quia eſſe habitus ſcientifici dependet à ſubiecto, in quo ponitur talis habitus: quia eſt forma realis; unitas tamen ſpecifica non dependet hoc modo à ſubiecto; immò ab obiecto, uel ex ſubiecto ex quo: concedo tamen propoſitionem in materia data uniformiter ſumptam: & tunc dico ad Minorem, quòd eſſe luminis, & ſpeciei eſſe in medio non dependet à ſubiecto; immò ab obiecto: in hoc differunt formæ reales ab intentionalibus: quia formæ reales ſolum dependent ab obiecto, ſiue ab agente, quãtum ad fieri: à ſubiecto uerò, quãtum adeſſe, & conſeruare. Formæ uerò intentionales totaliter dependent ab obiecto, & quantum ad eſſe, & quantum ad fieri, & ideo ſequitur, quòd ſuam unitatem & pluralitatem habeant ab eodem. Eſt tamen aduertendum, quòd non intendo propter hoc excludere, quin aliquæ formæ reales requirant præſentiam obiecti, eo modo, quo dictum eſt ſupra. Nec confirmatio huius rationis aliquid concludit; immò concludit oppoſitum; quia illæ formæ non dependent magis à ſubiecto: immò ab obiecto, ut dictum eſt multotiens. RESPONDEO igitur ad illam rationem, quam adducebat contra iſtam ſolutionem: quia quàmuis omnis forma tam realis, quàm intentionalis dependat aliquo modo ab efficiente; tamen non eodem modo, ut patet ex prædictis: nam formæ reales dependent, quantum ad fieri: intentionales, quantum ad eſſe, & quantum ad fieri.

Et ideo non ſequitur, ſi iſtæ numerantur numeratione obiecti, & non ſubiecti, quòd illæ etiam eodem modo numerentur: quia illę formæ, ſcilicet reales magis dependent à ſubiecto, & minus ab obiecto: intentionales totum per oppoſitum. Sic igitur patet ueritas doctoris noſtri, & falſitas opinionis contrariæ.

VERVM quia ſolutio dubiorum eſt manifeſtatio ueritatis. Ideo contra dicta adducam rationes aliquorum doctorum, quibus ſolutis, magis apparebit ueritas quæſtionis, uel concluſionis. Arguunt igitur diuerſi doctores contra concluſionem doctoris noſtri, & ſpecialiter contra ſecundam concluſionem: quia eſt magis dubitabilis. 1 Arguitur ſic. Numeratio accidentis oportet, quòd ſit ab aliquo coniuncto: nihil enim numeratur per aliquod, quod eſt ſeparatum ab eo; ſicut nihil formaliter eſt unum per illud, quod eſt ſeparatum, ut patet, 7. metaphyſicæ: obiectum autem, à quo generatur ſpecies intentionalis, eſt quid ſeparatum ab ea: ergo ſpecies non poteſt ab obiecto numerari; ſed ab unitate ſubiecti; ſicut alia accidentia. 2 Si ſpecies intentionalis in medio numeraretur ab obiecto, & non à ſubiecto; contingeret contradictoria uerificari de eodem; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet: quia poteſt eſſe, quòd idem obiectum facit ſpeciem ſuam in diſtinctis mediis, ut puta, in diuerſis ſpeculis, quorum unum eſt in uno loco, & aliud in alio: uerum eſt ergo dicere, quòd illud ſpeculum, & quicquid eſt in eo, eſt hic, & non alibi; ſed per te eadem imago numero eſt in alio ſpeculo: ergo hæc imago erit alibi, & non erit alibi: quod implicat, niſi tu dicas, quòd imago nullo modo eſt in ſpeculo, quòd eſt euidenter falſum. Vel niſi tu dicas, quòd ſunt diuerſæ imagines numero. Et ſic habebitur propoſitum: quia cum obiectum ſit unũ, & idem, non numeratur numeratione obiecti, ſed ſubiecti. Et poteſt clarius deduci iſta ratio: nam amoto uno ſpeculo, non manet imago, quæ erat in eo; & poteſt manere imago, quæ erat in alio, manente alio: ergo eadem imago numero maneret, & non maneret, quod euidenter implicat. 3 Arguitur per experientiam: nã in uno ſpeculo non apparet, niſi una imago uiſibilis oppoſiti, quod ſpeculum ſi frangatur, nulla numeratione facta ex parte uiſibilis oppoſiti; in qualibet parte ſpeculi oppoſiti fracti apparet diſtincta imago: ſicut ergo accidentia numerantur à ſubiectis, ſaltem realia, in quibus habent eſſe, ſic intentionalia. 4 Arguitur ab aliis ſic. Si ſpecies in medio numeraretur numeratione obiecti, & non ſubiecti; ſequeretur duo contraria ſimul, & ſemel eſſe in eodem; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: quia ſpecies albi, & ſpecies nigri

*Impugnatio Aduerſariorum contra opinionem Aegidii.*

*Tex. c. 52.*

cies nigri ſunt contrariæ:ſi ergo huiuſmodi ſpecies manent diſtinctæ in eadem parte medii; erunt duo contraria ſimul in eodem. Aſſumptum probatur, ſcilicet, quòd ſpecies albi, & ſpecies nigri ſunt contrariæ: quia iſtæ ſpecies ſunt eiuſdem rationis cum ſuis obiectis: cum de neceſsitate ſint in aliquo prædicamento, & non poſſunt eſſe in aliquo, nec in aliqua ſpecie, quàm ſenſibilia, à quibus cauſantur, niſi habeant eſſe fixum: cum igitur album, & nigrum ſint contraria, & ſpecies earum ſunt cōtrarię: patet igitur conſequentia. 5 Sic. Sicut ſe habet uitas ſubiecti ad unitatem ſpeciei; ita ſe habet diuerſitas ad diuerſitatem: hæc patet, quia; ſicut diuerſitas eſt cauſa agētium diuerſitatis alicuius effectus, ita unitas agentis eſt cauſa unitatis effectus; ſed unitas obiecti non arguit unitatem ſpeciei: poteſt enim unum, & idem obiectum diuerſis medijs, puta, in aere, & in aqua cauſare diuerſas ſpecies. NEC pōt dici, quòd iſtæ ſpecies ſint una numero: nam ſequeretur; quòd in diſtinctis ſubiectis eſſet unū, & idem accidens numero, quod falſum eſt. 6 Etiam ex eodem fundamento: ſi ſpecies numerantur numeratione obiecti; ſequeretur, quòd ſpecies ſenſibilis, generata in medio hodie, & heri, facta interruptione, eſſet una ſpecies numero; conſequens eſt falſum; quia generatum, & corruptum nō ſunt unum numero. Conſequentia probatur: quia idem ſenſibile numero generauit utraſq;. Et ſicut unitas ſenſibilis ſufficeret ad unitatem ſpeciei ſenſibilis; ita ſpecies, quāuis eſſe ſuum eſſet interruptum, eſſet una ſpecies.

*Confutatio cuiuſdam reſponſi.*

7 Accipiantur duo alba, & probetur, quòd ſpecies iſtorum non poſſent eſſe diuerſæ, ſeu diſtinctæ in eadem parte medii: quia ſecundum Commentatorem xij. Metaphyſicæ, ab eodem agente in eadem materia non poſſunt procedere diuerſi effectus. Et hoc intelligendū eſt, quòd ſi agens agit ſecundum unam rationem agendi. Et materia patitur, ſiue recipit etiam ſecundum unam rationem recipiendi; ſed hoc eſt unum, & idem ſubiectum, ut ſupponitur: quia eadem pars medij, & etiam agens eſt unum: quia licet in numero ſint diuerſa alba; conueniunt tamen in forma albi, per quam agunt: & ſi nōn agunt, ut diuerſa; ſed, ut unum. 8 Et ultimo. Quanto aliqua accidentia magis dependent à ſubiecto, tanto magis numerātur numeratione ſubiecti, ſpecies intentionales magis dependent à ſubiectis, quàm formæ reales: ergo. Maior patet de ſe. Minor probatur: quia quanto accidentia ſunt debilioris entitatis, uel eſſe: tanto magis dependent à ſubiectis: hæc eſt cauſa, quare accidentia dependent à ſubiectis, & non ab accidentibus: quia accidentia habent eſſe debile, & nō ſunt per ſe entia: quanto ergo aliqua habent eſſe debile, tanto magis dependent à ſubiecto; ſed formæ intentionales habent eſſe debiliſsimum per comparationem ad formas reales: ergo. HIS igitur non obſtantibus, dicendum; ſicut prius, & reſpondendum per ordinem ad prædicta. AD primum cum dicitur numeratio accidentalis oportet, quòd ſit ab aliquo coniuncto, &c.

*Com. 44. itē. 2. de ge. tex. c. 56.*

Dico, quòd accidentia, ſiue formæ accidentales, quædam habent in ſuis ſubiectis eſſe fixum, & non dependēt in eſſe, & fieri ab ipſis agentibus: quædam uerò non habent eſſe fixum in ipſis ſubiectis ſecundum ſe, ſed dependent in eſſe, & fieri ab ipſis agētibus. Propoſitio ergo habet ueritatem in formis, habentibus in ſubiecto eſſe fixum, quales ſunt formæ reales: non autem ueritatem habent dē formis, quæ dependent ab agente ſecundum eſſe, & fieri; & non habent ſecundum ſe eſſe fixum in ſubiecto: quia ſolum habent ibi eſſe ad præſentiam obiecti; cuiuſmodi ſunt formæ intentionales. Et ideo ratio nihil concludit. Ad ſecundum, quando dicebatur, quòd cōtingeret contradictoria uerificari. Negatur conſequentia. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd plura requiruntur ad unitatem, quam ad diuerſitatem: & plura requiruntur ah hoc, quòd aliqua ſint idem, quàm ad hoc, quòd ſint diuerſa. Nam, ſicut ſuperius dictum eſt, idem agens ſecundum eandem rationem agendi poteſt agere diuerſa in diuerſis receptiuis, uel in eodem receptiuo ſecundum diuerſas rationes recipiendi: & etiam in eodem receptiuo ſecundum eandem rationem recipiendi poſſunt cauſari diuerſa à diuerſis agentibus, & ab eodem ſecundum diuerſas rationes agendi: ſufficit ergo ad diuerſitatem effectuum diuerſitas, uel ex parte agentis, uel patientis. Ad unitatem uerò effectus requiritur unitas ex parte agentis, & recipientis: plura igitur requiruntur ad unitatem effectus, quàm ad diuerſitatem quoruncūque: & ideo ad hoc, quòd ſpecies in medio ſit una numero, requiritur unitas obiecti, & ſubiecti: unitatem enim formæ ſequitur tam unitas ſubiecti, quàm unitas agentis, ſiue obiecti: ſed ad hoc, quod tales formæ ſint plures, & diſtinctæ ſufficit diuerſitas, ſiue pluralitas in ſubiecto, uel in obiecto: nā ſi ſubiecta ſint plura, quàmuis agens ſit unum, erunt formæ plures, & diſtinctæ: & ſi ſubiectum eſt unum, ſi obiecta, ſiue agentia ſint plura, neceſſariò formæ erunt plures, & non una. Quādo ergo dicit doctor noſter, quòd ſpecies in medio numeratur numeratione obiecti, & non ſubiecti: intelligit ſic, ꝙ non de neceſsitate unitas, & pluralitas talium ſpecierum ſequitur unitatem, & pluralitatem ſubiectorum eo modo, quod ponebant tenentes uiam oppoſitam. Nō tamen propter hoc intendit negare pluralitatem huiuſmodi ſpecierum: quando ponitur pluralitas ſubiectorū, etiam ſi maneat unitas in obiecto. Hoc igitur ſuppoſito, facile eſt reſpondere ad rationem: nam imagines in diuerſis ſpeculis non ſunt una, ſed plures. Et ideo nulla habetur cōtradictio. Ad tertium patet etiam, quid dicendum, quia eodem modo ſoluitur cūm ſecundo.

Ad quartum, cum dicitur, ꝙ contraria eſſent ſimul in uno, & eodem. Negatur conſequentia, nec probatio aliquid ualent. Formę enim intentionales non contrariantur adiniuicem; ſicut formæ reales: quia deficiūt à ratione, & perfectione propriæ ſpeciei, ut dictum eſt. Et quando dicitur, ꝙ ſunt eiuſdem ſpeciei cum ſuis obiectis. Dicendum, ꝙ non ſunt eiuſdem rationis per ſe, & directè; ſed ſolum per reductionem, & indirectè: quia iſto modo ſunt in genere: & ideo non oportet, quòd cōtrarientur adinuicem, ſicut eorum obiecta contrariantur. Ad quintum, cum dicitur, ſicut ſe habet unitas ſubiecti, &c. Patet quid dicendum per ſolutionem ſecundæ rationis: non enim ſic ſe habet ad unitatem unitas, ſicut ad diuerſitatem diuerſitas: quia plura requiruntur ad unitatem, quam ad diuerſitatem, ſicut dictum eſt.

Ad ſextum, quando dicebatur, quòd ſpecies generata heri, & hodie ſenſibilis, non eſſet una numero. Nego conſequentiam: & ad probationem eſt aduertendū, ꝙ ad diuerſitatem talium ſpecierum non ſolum ſufficit diuerſitas ſimpliciter obiecti, uel ſubiecti; ſed etiam ſufficit diuerſitas obiecti ſecundum quid, uel etiam ipſius ſubiecti Vnde licet agens ſit unum, & idem: & etiam ſubiectum ſit unum; ſi tamen agens, uel ſubiectum non ſe habent continuè eodem modo ad medium; forma non continuabitur ſine corruptione: & ideo non erit una. Hoc nanque patet, ſi quis reſpiciat ſe in ſpeculo manente eodem obiecto, & ſubiecto, deſinat eſſe imago per mutationem obiecti, uel ſubiecti de loco ad locum: & ſi poſtea ponatur in eiſdem locis, poſtea generabitur imago alia numero à prima propter cauſam prædictam. Sicut ergo ad diſtinctionem numeralem actuum ſufficit eadem potentia, ut connotat aliquod extrinſecum, ratione cuius interrumpitur actus, ut dictum eſt ſupra, ita ſuo modo ad diuerſitatem talium formarum ſufficit diſtinctio in obiecto, uel ſubiecto, ut connotat aliquod extrinſecum, ratione cuius interrumpitur, & diſcontinuatur talis actus. Ad ſeptimum dico, quòd cum in medio cauſantur ſpecies duorum alborum, quamuis materia, ſiue ſubiectum ſit unum agens; tamen non eſt unum, ut aſſumitur: nec illa duo alba agunt per unā, & eandem rationem agendi; Et quando dicitur, quòd agūt ſecundum eandem formam ſpecificam: quia conueniūt in forma albi, per quā agunt. Dico, quòd illa forma ſpecifica non eſt una ſimpliciter in diuerſis indiuiduis; ſed ſolum una ſecundum conceptum. Albedo tamen in uno albo to-



talìter diſtinguitur ab albedine in alio albo: & quia duo alba agunt ſecundum eſſe reale: idcirco agūt, ſecundum quòd ſunt aliud, & aliud, & non; ſecundum ꝙ ſunt aliquo modo unum. Ad ultimum patet, quid ſit dicendum ex dictis. Formæ nanque intentionales non magis dependent à ſubiecto, quàm, ab obiecto; immò totum oppoſitum. Hæc eſt differentia inter formas reales, & intentionales; quia reales magis dependent à ſubiecto, quàm ab obiecto: & ideo numerantur numeratione ſubiecti. Formæ uerò intentionales magis dependent ab obiecto: & ideo numerantur numeratione obiecti eo modo, quo dictum eſt. Nec probatio ualet; immò debet concludere oppoſitum: namque ſua exiſtentia dependet à præſentia obiecti: idcirco habent ita debile eſſe: & ideo ſua principalis dependentia eſt ab obiectis. Rationes igitur iſtæ non uidentur conuincere, nec aliquid concludere. Et hæc de primo principali ſufficiant

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT ſecundo uidere de ſecundo articulo quæſtionis, uidelicet. Vtrum ſit dare aliquem ſenſum agentem, qui habeat uirtutem aliquam effectiuam reſpectu harum formarum intentionalium? Quia hoc uidetur tangere ſecundum argumentum quęſtionis.

Quantum ad iſtum articulum teneo concluſionem affirmatiuam. ſ. quòd oportet dare ſenſum agentem neceſſariò. Ad declarandum hanc concluſionem hoc ordine procedetur: nam primo declarabitur modus ponendi ſenſum agentem, & ad quid deſeruiat. Secundo probabitur hæc concluſio rationibus, & auctoritatibus.

Tertio, & ultimo mouebuntur circa dicta aliqua dubia, quibus ſolutis, apparebit ueritas, articuli huius.

QVANTVM ad primum eſt notandum, quòd ſecundum intentionem Commentatoris in ſecundo, & tertio de anima in diuerſis locis, & ſecūdum doctorē noſtrū quolibet tertio. Sicut ſe habēt phātaſmata ad intellectum, ſic ſuo modo exteriora ſenſibilia ad ſenſum: nā ſicut à phantaſmate, quod eſt intelligibile in potentia, nō pōt immediate cauſari ipſa intellectio, ſiue actus intelligendi, cuius ratio eſt: quia non eſt proceſſus de imperfecto ad perfectum, niſi per medium; & maximè, ſi perfectum, & imperfectum ualde ſunt contraria. De ualde nāque imperfecto ad ualde perfectum non eſt proceſsus niſi per medium, uel ſine medio modo perfecto; phantaſma autem, quantum, ad intelligibilitatem, eſt imperfectum: quia ſolum eſt intelligibile in potentia: ipſa uerò intellectio, ſiue ipſe actus intelligendi multum habet de huiuſmodi actualitate; ſpecies autem intelligibilis habet ſe medio modo: quia non dicit tantam actualitatem, quā tam dicit ipſa intellectio: nec dicit tantam potentialitatem, quantam dicit ipſum phantaſma: ergo à phantaſmate, quod eſt intelligibile tantum in potentia ad intellectionem, per quam ſumus actu intelligentes, non eſt trāſitus niſi per medium. ſ. per ſpeciem intelligibilem, per quam ſine intellectione ſumus intelligentes in habitu.

*cō. 59. 60. Com. 18. & 36. Quæſt. 13.*

Sic etiam ſuo modo ſenſibilia exteriora ſunt intentiones in potentia tantum: in ſenſu aūt intentiones in actu, & ſub eſſe ſpirituali, & immateriali. Et ideo non eſt poſsibile, quòd ab intentione in potētia immediatè cauſetur intentio actu tanta actualitate, ut eſt in ſenſu: ſed prius cauſetur ſpecies in medio, & mediante ſpecie, quæ eſt in medio cauſatur ſpecies, quę eſt in ſenſu, quæ eſt ipſe actus ſentiendi: nam ſecundum Auguſtinum, ſpecies in uiſu eſt ipſa uiſio: in medio autem habet eſſe ipſa ſpecies magis ſpiritualiter, quàm in re ſenſibili; & in ſenſu adhuc magis ſpiritualiter, quàm in medio. Et ideo à ſenſibili, quod eſt in potentia tantum, ad intentionem, quæ eſt in ſenſu, per quam ſumus actu ſentientes; non eſt trāſitus, niſi per medium, uidelicet, per ſpeciem exiſtentem in medio, quæ tenet medium inter iſta, ut patet ex prędictis. EST tamen ulterius aduertendum, quòd ſicut phantaſmata: quia ſunt intelligibilia in potētia, & nō in actu, non poſſunt mouere intellectum poſsibilem ad actum intelligendi, niſi in uirtute alicuius agentis reducentis ea de potentia ad actum. Et ideo ponimus intellectum agentem eſſe illud, in cuius uirtute phantaſmata mouēt intellectum poſsibilem. Ita ſuo modo exteriora ſenſibilia, ut dicit Commentator 2. de Anima in illo cap. Determinatis autem his. Sunt intentiones in potentia, & non in actu. Si ergo, quod eſt in potentia tale, non mouet niſi in uirtute alicuius agentis reducentis de potentia ad actum ſenſibilia, quæ ſunt intentiones in potētia, non facient intentiones in actu ſenſus, niſi uirtute alicuius agentis: oportet ergo dare ſenſum agentem in cuius uirtute ſenſibile, quod eſt in potentia intentio, faciat intentionem in actu in ſenſu ipſo. Sicut dabamus intellectum agentem, in cuius uirtute phantaſmata, quæ ſunt intelligibilia in potētia reducit de potētia ad actū intellectū poſsibilem. APPARET ergo modus ponendi ſenſum agentem: & ad quid deſeruiat: nam ad hoc idē deſeruit ſenſus agens reſpectu ſenſibilium, ad quod intellectus agens reſpectu phantaſmatum, ut patet ex dictis. Sicut .n. phantaſmata mouent intellectum poſsibilem in uirtute intellectus agentis; ſic ſenſibilia, quæ ſunt intentiones in potentia, faciunt in ſenſu intentionem in actu in uirtute ſenſus agentis; reducentis ea de potentia ad actum. Hæc eſt expreſsè intentio Commentatoris in 2. & 3. de anima. Dicit enim in ſecundo, quòd Ariſtoteles tacuit hoc in ſenſu: quia latet, & apparet in intellectu: & ideo non tacuit in intellectu. Et in 3. tangit iſtam quæſtionem, & dimittit eam inſolutam dicens, quòd indiget magna perſcrutatione, quod non diceret, niſi intentionis ſuæ eſſet dare ſenſum agentem. Beatus etiam Auguſtinus uidetur dare, & probare ſenſum agentem in 2. de trinitate. Et hæc de primo.

*II. diſtin. Cap. 2. Tom. 3.*

*Com. 51.*

*Com. 59. Com. 60.*

*Com. 5. 18. 36.*

*Cap. 2. & 3. Tom. 3.*

SECVNDARIO, quantum ad iſtum articulum probo iſtam concluſionem aliquibus rationibus.

1 Sic. Secundum Philoſophum in tertio de anima. In omni natura in qua eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, eſt dare aliud, quod eſt omnia facere; ſed in natura ſenſitiua eſt dare ſenſum, qui eſt omnia fieri, qui poteſt dici poſsibilis, uel paſsiuus: ergo in natura ſenſitiua eſt dare ſenſum, qui eſt omnia facere, qui poteſt dici agens, ſiue actiuus. Tota ratio eſt Philoſophi in tertio huius: quia Philoſophus adducit eam ad probandum intellectum agentem; hic autem adducitur ad probādum ſenſum agentem. Minor huius rationis habet ueritatem in ſenſu, ſicut in intellectu: nam ſicut eſt dare intellectum, qui eſt omnia fieri: eo, quòd poteſt omnem actum intelligendi recipere; ſic eſt dare ſenſum, qui eſt omnia fieri qui poteſt omnem actum ſentiendi recipere, ergo, &c.

*Tex. c. 17.*

2 Omnis operatio uitalis debet eſſe à principio uitali: non ſolum receptiuè; immò etiam effectiuè. Hæc patet: aliter agens, inquātum agens eſſet ignobilius paſſo: & patiens inquantum patiens eſſet præſtantius agēte, quod eſt expreſsè contra Philoſophum in tertio huius. Aſſumptum patet: quia principium uitale nobilius, & præſtantius eſt non uitali; ſed ſenſibilia exteriora non ſunt principium uitale, & ſentire eſt operatio uitalis: ergo præter ſenſibilia exteriora oportet dare aliquod principium effectiuum reſpectu huius operationis; hoc autē principium effectiuum non poteſt eſſe, niſi ſenſus agens: ergo. 3 In omni actione æquiuoca requiritur aliqod agens commune, præter particulare, & econuerſo: ſed actio ſenſibilis in ſenſu eſt æquiuoca: ergo præter agentia particularia, cuiuſmodi ſunt ſenſibilia, oportet dare aliquod agens commune: & tale agens commune erit ipſe ſenſus agens, uel aliquis, qui concurret effectiuè ad omnem actum ſentiendi: ſicut intellectus agēs ſuo modo ad omnem actum intelligendi. Maior patet inductiuè in omni actione inductiua mundi, nec poterit dari inſtantia in aliquo. Minor probatur: nam tunc dicitur actio ęquiuoca, quando non introducitur forma in materia ſub modo eſſendi eiuſdē rationis; ſub quo erat in agēte: hæc patet de ſe: quia tunc agens, uel actum; producens, & productum non ſunt eiuſdem rationis; ſed forma ſenſibili s

*Tex. c. 19.*

ſenſibilis non introducitur in ſenſu ſub modo eſſendi eiuſdem rationis, ſub quo erat in ipſo ſenſibili; quia in ſenſibili erat ſub modo eſſendi reali, in ſenſu autem ſub modo eſſendi intentionali: ergo, &c. Patet igitur. Maior, & per conſequens tota ratio. 4 Forma intentionalis, ſecundum quòd eſt in organo, eſt magis ſpiritualis, quàm ſecundum quod eſt in ſubiecto: tunc arguitur ſic. Illa ſpiritualitas formę intentionalis, aut prouenit ex parte materiæ in qua recipitur: aut ex parte agentis, à quo producitur. Non poteſt dari primum, ut, uidelicet, dicatur quòd diuerſimodè habeat eſſe forma ſenſibilis, & in obiecto ſenſibili, & in ſenſu propter diuerſitatem materiæ, uel ſubiecti, in quo recipitur: ita, quòd ſenſibile habet eſſe materiale, uel materialiter: quia ſenſibile ē et eſt quid materiale, & non ſpirituale: In ſenſu uerò dicitur habere eſſe ſpirituale: quia ſenſus eſt materia ſpiritualis. Et ideo recipit ſpiritualiter: nam ſi ita eſſet, forma eſſet propter materiam, & nobilitaretur pp nobilitatem materiæ: haberet. nāq; eſſe nobile, quia accipitur in materia nobili. Et materia non eſſet propter formam, nec nobilitaretur propter nobilitatem formę, hoc autem eſſet totaliter inconueniens, & contra rationem, ſcilicet, quòd forma ſit propter materiam, & non materia propter formam: non ergo poterit talis ſpiritualitas prouenire ex parte materiæ, in qua recipitur ipſa forma: prouenit ergo ex parte agentis, à quo producitur. Sed talis ſpiritualitas non poteſt eſſe ex obiecto ſenſibili: quia obiectum ſenſibile eſt purum materiale. Nullum autem purum materiale uirtute propria poteſt eſſe cauſa alicuius ſpiritualis: quia ageret ultra ſuā ſpeciem. Iſta igitur ſpiritualitas non poteſt eſſe in illa ſpecie, niſi ab aliquo agente præter ſenſibile, & ſenſum: & hoc erit ſenſus agens, uirtute cuius ſenſibile poterit huiuſmodi ſpeciem cauſare in ipſo ſenſu: quare, &c.

*Com. 60.* Hanc rationem tangit Commentator in ſecundo de anima. 5 Nullum ſenſibile in potentia poteſt mouere ſenſum ad actum niſi in uirtute ſecundum diuerſitatem alicuius agentis, ipſum reducentis de potentia ad actum: hæc uidetur nota ex dictis: nam ſicut nullum intelligibile in potētia poteſt mouere intellectum ad actum intelligēdi niſi uirtute alicuius agētis, ipſum deducentis de potentia ad actum, ita ſuo modo uidetur dicendum de ſenſu. Sed obiectum exterius eſt ſenſibile in potentia; ſicut phantaſma intelligibile in potentia, ut patet ex dictis ī prima parte huius articuli: ergo obiectum ſenſus non poterit ſentiri, niſi uirtute alicuius agētis, reducentis ipſum de potētia ad actum eo modo, quo dictum eſt: hoc autem eſt ſenſus agens; ſicut reſpectu phantaſmatum dicitur intellectus agens. Iſtam rationē

*Com. 59. & 60.* tangit Cōmentator, ut ſupra. 6 Senſibilia non ſufficiunt ad mouendum ſenſum: ergo præter ſenſibilia oportet dare aliquod agēs, in cuius uirtute poſsint ipſa ſenſibilia mouere ſenſum: & hoc erit ſenſus agens. Cōſequentia nota eſt. Nam, ſi non poſſunt mouere propria uirtute, & debent mouere neceſſariò; oportet, quòd moueant uirtute alicuius agentis. Antecedens eſt Commē

*Com. 60.* tatoris ſecundo de anima, qui expreſsè dicit, quòd ſenſibilia non ſufficiunt ad mouendum ſenſum; ſicut nec phātaſmata ad mouendum intellectum: quare, &c. Sic igitur uidetur probata dicta concluſio, quæ confirmari poteſt auctoritatibus claris ipſius Commentatoris; ſufficiant tamen ad præſens auctoritates prędictæ ſuperius

*Opinio Aegidii quodlib. 3. q. 13.* in prima parte huius articuli. A D maiorē tamen declarationem harum rationum eſt ulterius aduertendum, quòd aliqui doctores conantur ſoluere dictas rationes. Doctor namque noſter uidetur ſoluere primam rationem quolibet. tertio, ubi iſtam quęſtionem diſputat à propoſito: & per ſolutionem illius uidentur ſolui omnes aliæ. Dicit igitur doctor noſter in prædicta quęſtione, quòd quamuis in omni natura, quando damus aliquod paſſum; oportet, quòd demus aliquod agens: tamen hæc duo, quorum unum eſt agens, aliud uerò patiens: unum, quòd eſt omnia fieri, aliud, quòd eſt omnia facere: aliquando congregantur in uno, & ſunt partes, uel uirtutes, ſicut intellectus agens, & poſsibilis congregantur in uno, & eodem ſubiecto, uel in eadem eſſentia animæ; aliquando autē nō congregātur in uno, nec ſunt partes, nec uirtutes ipſius. Quod poteſt euidēter ad ſenſum demonſtrari: nam in artificialibus ars eſt illud, quod eſt omnia artificialia facere; materia uerò hæc eſt omnia artificialia fieri. Ars autem, & materia non congregantur in uno; immò ars habet eſſe ualde ſeparata à materia: non ergo poſſumus arguere, quòd ſicut damus materiam in artificialibus, quæ eſt omnia fieri, quòd ita oportet dare materiam, quæ eſt omnia facere: nō enim damus materiam agentem; ſed damus aliquod ſeparatū à materia, ut artem, quæ eſt omnia facere. Si ergo arguatur: quid, ſi organum artis, ut puta, ſerra, ſecuris, uel quodlibet aliud inſtrumentum non poteſt mouere materiam ſecundum ſe? ergo oportet dare aliquam uirtutem actiuam in materia, in cuius uirtute organum artis moueat materiam? Plana eſſet ſolutio; diceretur quidem, quòd in materia non eſt potentia actiua, nec eſt dare materiam agentem: ſed eſt dare aliquod agens ſeparatum, ut puta, artem, in cuius uirtute organum artis inducit materiam artificialium ad formam artis. Sic igitur in propoſito in ſenſu non eſt uirtus actiua, in cuius uirtute moueatur ſenſus, ſi ſenſus mouetur ab ipſo ſenſibili: ipſum tamen ſenſibile eſt intentio in potentia: oportet ergo aliquod ſuperius agens, in cuius uirtute ſenſibile moueat ſenſum: illud autem agens non dabimus in ipſo ſenſibili, ſicut nec agens, in uirtute cuius organum agit in ipſam materiam, dabimus in ipſa materia. Et concludit. Dabimus igitur duplex agens in ſenſu. Vnum, quaſi organum, quod non ſufficit ad mouendum ſenſum, ut ſunt ipſa ſenſibilia, quæ ſunt intentiones in potentia. Aliud, quaſi principale, in cuius uirtute hæc ſenſibilia mouent intentionaliter. Iſtud autem agens principale non eſt ſenſus agens; ſed eſt motor cœli, ſiue anima cœli. Vnde ſicut iſta ſenſibilia immutant materialiter in uirtute corporis ſupercæleſtis; ita immutant intentionaliter, & ſpiritualiter in uirtute motorum cœli; agens ergo principale, in uirtute cuius ſenſibilia mouent ſenſum, eſt motor cœli, ſiue anima eius. Et quia tale agens eſt ſeparatum; non mœretur dici ſenſus: quia ſenſus non dicit uirtutem ſeparatam; ſed uirtutem in materia: motor igitur cœli, quamuis ſit agens, non poteſt dici ſenſus: quia non eſt uirtus materialis, nec organica, cuiuſmodi eſt ſenſus. Eſt igitur intentio doctoris noſtri, quòd ſenſibilia: quia ſunt intentiones in potentia, nō poſſunt mouere ſenſum uirtute propria: ſed oportet neceſſariò dare aliquod agens, uirtute cuius moueāt ipſum ſenſum; illud tamen agens non eſt ſenſus agēs; ſed eſt motor cœli: nam, ſicut hæc ſenſibilia immutant, & alterant ipſam materiam uirtute cœli: quia eſt ipſum alterans non alteratum; ita ſuo modo immutant ipſum ſpiritualiter, ſeu intentionaliter in uirtute motoris cœli: non oportet igitur propter hoc dare ſenſum agentē.

*Vide Aegydium in corpore q. præallegatæ circa mediū.*

*Solutio rationum aduerſantium opinioni Aegidii.*

H I S autem præſuppoſitis, de facili reſpondetur, & ſoluitur illa prima ratio; & per conſequens omnes ſequentes. Quando dicitur, quòd in omni natura, &c. Dici debet, quòd in omni natura eſt dare iſtas duas differentias, quòd ſicut eſt dare ibi aliquid, quod eſt omnia fieri; ita & aliquid, quod eſt omnia facere; ſed illud, quod eſt omnia facere non ſemper coniungitur in eodem cum illo, quod eſt omnia fieri; nec ſemper ſortitur illud nomen cum eo: nam ſi materia in artificialibus eſt omnia fieri; non dicemus, quòd materia agens ſit omnia facere. Sed eſt dare aliquod agens ſeparatum, ut artem, quæ eſt omnia facere: ſic etiam in propoſito: nam licet ſenſus ſit omnia fieri, non oportet dare ſenſum, qui ſit omnia facere; ſed eſt dare aliquod agens, ut puta, motorem cœli, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum.

Soluitur autem ex dictis. Secunda ratio: quia datur principium uitale, ſcilicet motor cœli. Soluitur nihilominus tertia ratio: quia datur agens commune: quia motor cœli pręter ſenſibilia. Quarta ratio etiam ſoluta eſt: quia ſpiritualitas formę ſenſibilis erit ab



lis erit ab iſto agente principale, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum. Quinta ratio eſt ſoluta: nā datur agens, in cuius uirtute ſenſibile in potentia poteſt mouere ſenſum. Soluitur etiam ſexta ratio: quia ſenſibilia non ſufficiunt ad mouendum ſenſum; ſed datur motor, ut in eius uirtute moueant. Soluuntur iterum auctoritates: quia hæc fuit intentio Auguſtini, & Commentatoris, & non aliorum. Patet igitur ſolutio doc. noſtri ad prędicta.

H A E C A V T E M dicta, quàmuis ſint ſubtilia & bene dicta, & tanti doctoris, cuius doctrinam repreſento per ſe notam intelligenti. Ad præſens tamen, gratia diſputationis, non aſſerendo; ſed dando mihi materiam, & alijs arguendi; teneo ſicut prius, quòd ſit dare in nobis ſenſum agentem, in cuius uirtute ſenſibilia moueant ipſum ſenſum. Et quia fundamentum huius poſitionis ſtat in hoc, ſcilicet, quòd quàmuis oporteat dare aliquod agens, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum; illud tamen agens non eſt coniunctum; ſed ſeparatum: quia eſt motor, uel anima cœli. Idcirco primo oſtendam, quòd tale agens non poteſt eſſe ſeparatum. Secundo oſtendam rationes non eſſe ſolutas. P R I M V M probatur dupliciter.

*Tex. c. 16. Cap. 5.*

1 Sic. Nulla operatio dicitur immanens, cuius agens uniuerſale, & particulare, & principale, & inſtrumentale diſtinguitur ſubiecto ab operante, & à ſubiecto operationis: hæc patet. 9. Metaphyſicæ & 2. ethicorum; ubi dicitur, quòd actio immanens eſt perfectio agentis: quia manet in eo. Si ergo diſtinguitur ſubiecto ab operante, & ſubiecto operationis. Iam talis operatio non erit immanens: quia non manet in agente, nec eſt eius perfectio. Sed ſi illud agens, in uirtute cuius ſenſibilia mouent ſenſum, non eſſet coniūctū; ſed eſſet totaliter ſeparatum, tam uniuerſale agens, quàm particulare, principale, & inſtrumentale diſtinguerentur ſubiecto ab ipſo ſentire, & à ſubiecto ipſius, uidelicet à ſenſu: ergo ſentire non eſſet actio immanēs, quòd eſt expreſsè contra Philoſophum, 9. Metaphyſicę

*Tex. c. 16. Cap. 5.*

& 2. ethicorum: oportet igitur neceſſariò, quòd ex quo agens particulare, ut puta, ſenſibile non eſt nobis coniunctum, quòd agens uniuerſale ſit nobis coniunctum & nullo modo ſeparatum; & per conſequens tale agens erit ſenſus agens, & non motor cœli. E T C O N F I R M A T V R iſta ratio. Quia illa actio eſt tranſiens, cuius uniuerſale, & particulare agens diſtinguitur ſubiecto ab operatione, & ſubiecto operationis per Philoſophum, ut ſupra, ſed ſic eſt de ipſo ſentire: Si illud agens, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum, non eſſet nobis coniunctum; ſed ſeparatum: ergo ſentire eſſet actio tranſiens. Concluſio eſt falſa: ergo aliqua præmiſſarum. Non Maior: quia eſt Philoſophi: ergo Minor, quantum ad illud, quod ponit tale agens eſſe ſeparatū: erit igitur nobis coniunctū, & ſic eſt dare ſenſum agentē. 2 Agens, in cuius uirtute ſenſibile mouet ſenſum, non eſt maioris ambitus, quàm ſit ipſe ſenſus, qui mouetur à ſenſibilibus: ergo tale agens nō erit motor, ſiue anima cœli. Cōſequētia uidetur nota: excedit enim improportionabiliter ipſum ſenſum. Antecedēs probatur; quia ſm Cōmentatorē, cuilibet potētiæ actiuæ correſpondet in natura adæquata potētia paſsiua: aliàs potētia actiua eſſet fruſtra. Et per oppoſitū cuilibet potētiæ paſsiuæ debet ī natura correſpōdere potētia actiua adæquatè; cū natura nihil agat fruſtra. Agēs igitur, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum, cum ſit potētia actiua correſpondens potentiæ paſsiuæ, debet ei adæquari; & per conſequens non erit maioris ambitus: non ergo hoc agens eſt motor cœli: ſed ſenſus agens, qui totaliter adæquatur ipſi ſenſui paſsiuo, uel poſsibili. Fundamentum igitur, cui innititur iſta dicta poſitio, ſalua ſemper reuerentia dicentis, non uidetur mihi ſufficere. O S T E N D O ergo ſecundo. quòd rationes eius non ſunt ſolutæ. Non prima: nam Philoſophus in tertio huius non ſolum uult per illam rationem probare, quòd ſit dare intellectum agentem abſolutè; immo probat, quòd ſit dare intellectum agētem in nobis: concludit. n. ex dicta ratione, quòd oportet has duas differētias eſſe in anima noſtra. Si ergo ex uirtute, & forma huius rationis nō cōcluditur neceſſariò, ꝙ oportet dare actiuum coniunctum poſsibili, uel paſsiuo. Philoſophus concludit ſine præmiſsis; & peccat in forma, quod non uidetur aſſerendum. Et ideo aduertendum, quòd dictus modus arguēdi tenet de neceſsitate in actionibus immanētibus, quæ fundantur ſubiectiuè in eo, à quo cauſantur effectiuè, quàmuis nō teneat in actionibus trāſeuntibus, quæ trāſeunt in exteriorē materiā. Et quia Philoſophus arguit de ipſo intelligere, quod eſt actio immanēs, cōcludit neceſſariò. Cū igitur prima ratio arguat de ſenſu, & ſentire, quod etiā eſt actio immanēs, uidetur de neceſsitate cōcludere; ſicut ratio Philoſophi.

*9. Metaphy. Tex. c. 16.*

*Elicit. ex 9. Metaphy. Com. 11. et. 20.*

E X E M P L A autē, quæ adducuntur de arte, & materia ad ſoluēdum dictā rationē, non ſunt de actibus immanētibus; ſed ſolū de tranſeuntibus: & ideo ratio nō uidetur ſoluta; & per cōſequēs nulla aliarū ſoluitur, cū omnes ſoluātur ex iſto fundamēto. AVCTORITATES Cōmentatoris nō ſoluuntur nō. n. illa fuit intētio ipſius, quod apparet euidēter: nā ſecundū iſtā uiā, quàmuis ſit dare aliquod agens, in cuius uirtute ſenſibilia moueant ſenſum: illud tamen agēs nullo modo poteſt uocari ſenſus agēs: quia non eſt agens cōiunctum; ſed ſeparatum. Cōmentator aūt non ſolū uult, quòd oporteat dare aliquod agens; ſed oportet dare ſenſum agentem; ergo non poteſt eſſe iſta intentio Commentatoris. Iſte ergo modus dicēdi, ſalua ſemper ſua reuerentia, non uidetur ſufficere.

*Opinio communis.*

E S T T A M E N ulterius alius modus dicendi magis communis. Dicunt enim communiter doctores, quòd ſenſibilia uirtute propria poſſunt mouere ſenſum. Et ideo non requiritur ſenſus agens, nec aliquod agens coniunctum, nec ſeparatum, cuius uirtute ſenſibilia moueant ſenſum; totalis ergo cauſa effectiua actus ſentiendi ſunt ſenſibilia: & ſenſus ſe habet purè paſsiuè; & ad cauſandum actum nihil aliud requiritur. Quod probatur una ratione tali. Quæcunque, agens, & patiens ſunt in debita diſpoſitione; agens quidem in debita diſpoſitione, qua natum eſt agere: & patiens in diſpoſitione, qua natum eſt pati: ſi ſunt approximata, & non impedita, neceſſariò cōſequitur effectus remoto quocunque alio; ſed ſenſibile approximatum ſenſui eſt in debita diſpoſitione, qua natum eſt agere: ſenſus uerò eſt in debita diſpoſitione, qua natum eſt pati: ergo. Maior, & Minor uidentur notæ ad ſenſum.

*Solutio rurſus ad præmiſſas rationes.*

H I S præſuppoſitis ex iſtis dictis doctorum uidentur ſolui rationes ſuperius factæ. Primo quidem, quòd ſenſibilia ſunt illud, quod eſt omnia facere: & non oportet propter hoc dare ſenſum agentē. R E S P O N S I O ſecunda ſoluitur: quia non eſt inconueniens, quòd patiens ſecundū naturā ſuam ſit nobilius agente: uidemus enim, quòd ignis agit in mixta: & tamen forma ignis eſt imperfectior formis mixtorum. Verū eſt tamen, quòd agens, inquantum agens, debet eſſe nobilius patiente, inquantum patiens eſt. Et ideo poſito, quòd ſenſibilia ſecundū ſuam naturā non ſint ita perfecta, ſicut ipſæ potentiæ ſenſitiuæ; adhuc poterūt agere in ipſas: nō ergo requiritur aliquod aliud principium uitale præter ſenſibilia. A D tertium dicitur, quòd actio ſenſibilis in ſenſu non eſt totaliter æquiuoca: quia forma ſenſibilis in obiecto medio, & organo habet eſſe eiuſdem rationis; & ſolum differunt ſecundum perfectum, & imperfectum: perfectum autem, & imperfectū non diuerſificant ſpeciem. Et ideo huius actio non eſt totaliter æquiuoca. A D quartum dicitur, quòd ſpiritualitas formę ſenſibilis non eſt ab agēte; ſed ineſt ei ratione materiæ. Et quādo dicitur, ꝙ forma nō eſt propter materiā; ſed potius ecōuerſo. Dicitur, ꝙ hæc propō hēt uirtutē in formis diuerſarū rōnū: nō aūt in formis eiuſdē rōnis, qa ſm Philoſophū. Actus actiuorū ſūt in patiēte, & diſpoſito. Vn̄ figura ſigilli pfectius reperit ī cera molli, ꝙ̄ dura: & hoc ē rōne materię.

*2. de Anima tex. c. 24.*



A D quintum

AD quintum dicendũ, quòd obiecta exteriora nõ ſunt ſic ſenſibilia in potentia; ſicut phantaſmata in potentia ſunt intelligibilia: quia phantaſmata nõ poſſunt mouere intellectum uirtute propria: ſenſibilia autẽ, ut dictum eſt, uirtute propria poſſunt mouere ſenſum.

AD Sextũ dicitur, quòd aſſumit falſum: quia ſenſibilia ſufficiunt admouendum, ipſum ſenſum. Et ſi oppoſitum dicit Commentator non bene dixit.

HAEC AVTEM opinio quàmuis ſit ſatis cõmunis; non tamen uidetur mihi aliquo modo poſſibilis: quia omnia inconuenientia, quæ ſequuntur contra primam, ſcilicet, contra doctorem noſtrum, ſequuntur contra eam, & adhuc plura: non enim poteſt ſaluare, quòd ſentire ſit actio immanens; ſicut nec ſecunda opinio doctoris noſtri. Et ideo arguo contra eam. 1

Sic. Omnis actio immanens fundatur ſubiectiuè in eo

*Tex. c. 16. Cap. 5.* à quo cauſatur effectiuè. 9. Metaphyſicæ, & ſecundo Ethicorum. Sed ſi præter ſenſibilia exteriora non eſſet aliquod agens reſpectu actus ſentiendi, ſentire nõ fundaretur ſubiectiuè in eo, à quo cauſatur effectiuè: ergo non eſſet actio immanens. Tota ratio patet ex terminis. Eſt tamen aduertendum, ꝙ ratio ſoluitur dupliciter. Primo ſoluitur ſic. Eſt enim ſic intelligenda propoſitio Philoſophi, qui dicit, quòd actio immanens manet in agẽte. i. quod manet in illo, in quo manet illud, quod eſt agenti ratio agendi. Actus namque intelligẽdi manet ſubiectiuè in intellectu, in quo etiam manet ſpecies intelligibilis, quæ eſt ratio agendi ipſi obiecto intelligibili: & ideo non oportet, quòd actio immanẽs ſit ſubiectiuè in agente: nec iſta fuit intentio Philoſophi, ut patet ex dictis: & ideo non uidetur eis, quòd ratio concludat. SECVNDO & melius ab alijs ſoluitur ſic. Dicunt enim, quòd non ſolum obiectum dicitur cauſa effectiua actus intelligendi; immo, & ſpecies intelligibilis, quæ ponitur in intellectu diſtincta ab actu, põt dici cauſa effectiua talis effectus, uel actus: illud enim, mediãte quo aliquid producitur effectiuè, põt dici aliquo modo cauſa effectiua illius: & quia actus producuntur mediante ſpecie, ſpecies dicetur aliquo modo cauſa ipſius. Et ſic uerificatur dictũ Philoſophi: non enim oportet, quod actio immanens maneat ſubiectiuè in agente principali, ſicut in obiecto; ſed ſufficit, quòd ſit ſimul in eodem ſubiecto cum ipſa ſpecie, quæ aliquo modo dicitur agens, ſiue cauſa effectiua. Et quia ſic eſt de ſenſu: idcirco ſentire erit actio immanens; ſuppoſito, quòd non cauſetur ab obiecto exteriori ſenſibili.

*Confutatio prædictarũ ſolutionũ.* ISTAE AVTEM ſolutiones non uidentur ſoluere rationem. Non quidem prima: quia non uadit ad mentẽ Philoſophi. Et ideo arguo contra eam dupliciter. 1 Sic. Quandocũque aliqua duo indiſtincta loco, & ſubiecto, ſic ad inuicem ordinata, quòd unum illorum non poteſt attingi ab aliquo agente, niſi alio mediante; ſi primum non eſt perfectio formaliter agentis, nec manet in eo; nec ſecundũ, quod attingitur iſto mediante, erit perfectio agentis, ſecũdũ quòd patet ex terminis; ſed ſpecies eſt actus, qui nec loco, nec ſubiecto diſtinguitur per primã ſolutionẽ, & ẽt per ſecundã, ſunt dicto modo ordinata: quia actus nõ poteſt attingi ab agente exteriori, puta, ab obiecto, niſi ſpecie mediante: & ſpecies nõ eſt perfectio huiuſmodi agentis, quia non manet in eo: ẽt quia per ſolutiones manet in intellectu: ergo nihilominus actus, ſiue actio, dicetur perfectio agentis: quia manet in agente: ergo iſta expoſitio contradicit Philoſopho: & gloſa nulla, & per conſequens ratio non eſt ſoluta. 2 Oſtendo, quòd ſuppoſito, quòd aſſumptum eſſet uerum, & haberet in intellectu, ubi ponitur ſpecies diſtincta ab actu, aliquam apparentiã: quod tamen in materia, in qua loquimur, nullum habet colorem: nam in ſenſu nõ ponitur ſpecies diſtincta ab actu: ſpecies enim uiſibilis recepta in uiſu eſt ipſa uiſio per Beatum Auguſtinũ. Hoc ſuppoſito, arguitur ſic.

*11. de Tri. Cap. 2. Tom. 3.* Effectus productus non eſt ratio producendi ſe ipſum: quia ratio producendi in naturalibus excedit productum: nihil autem excedit ſe ipſum; ſed ſpecies recepta in ſenſu eſt ipſamet actio, ut patet per Beatum Auguſtinũ: ergo talis ſpecies non erit ratio recipiendi: ſentire ergo nullo modo erit actio immanens: quia nõ manet in eo, in quo manet illud, quod eſt agenti ratio agendi: nam, ut poteſt patere ex dictis in iſto articulo, ſpecies in medio eſt ſenſibili ratio agendi, non autem ſpecies in organo: quia iſte eſt ipſe actus: quare &c. Patet ergo quòd ſolutio non uidetur ſufficienter ſoluere rationẽ. Secunda etiam ita parum. Aſſerit. n. unum, quod non uidetur uerũ. ſ. quòd ſpecies intelligibilis ſit aliquo mõ effectiua actus intelligẽdi. Sed poſito, ꝙ eẽt uerũ, ſaltẽ in propoſito nullã cõtinet ueritatem. ARGVO ergo dupliciter contra eã. 1 Sic. Nullum diminutũ põt eſſe cauſa effectiua actus intelligẽdi, cũ actus intelligendi ſit actus tam perfectus; ſed ſpecies intelligibilis habet eſſe diminutũ, & incompletũ: ergo. Tota ratio patet ex terminis. 2 Illud, quo poſito, ſequitur de neceſſitate idẽ producere ſe ipſum effectiuè, eſt totaliter impoſſibile; ſed poſito, quòd ſpecies ſenſibilis recepta in organo, ſit aliquo mõ cauſa effectiua actus ipſius ſenſus; ſequitur neceſſariò, ꝙ idem cauſat ſeipſum: ergo. Maior patet per Beatũ Auguſt. primo de trinitate. *Cap. 1. Tom. 3.* Vbi probat filium eſſe diſtinctum realiter a patre: quia nihil gignit ſe ipſũ. Minor eſt nota de ſe: quia ſpecies, ut dictũ eſt, nõ diſtinguitur ab actu: ergo non põt dici, ꝙ in ſenſu ſit aliquod effectiuum actus. Sentire igitur non eſt actio immanens: manet ergo prima ratio, ut uidetur, in uigore ſuo. Vt arguatur. 1 Sic. Omnis actio immanens manens eſt, ſi manet in agẽte; ſentire eſt actio immanens, ergo manet in agẽte; ſed manet in ſenſu: oportet ergo dare ſenſum agentẽ præter ſenſibilia, in cuius uirtute ipſa ſenſibilia moueãt ſẽſum. 2 Contra iſtam eandẽ opinionem ſic. Impoſſibile eſt aliquod agens propria uirtute producere aliquid ultra ſuã ſpeciẽ propriã; ſed ſentire, cũ ſit quædã actio ſpiritualis, eſt alterius rationis ab ipſo ſenſibili: quia ſenſibile eſt purum materiale: ergo ſenſibile propria uirtute non poteſt mouere ſenſum ad talem actũ.

3 Sic. Nullus effectus productus excedit in perfectione, & nobilitate ſimpliciter ſuam cauſam effectiuam: hæc patet de ſe; ſed ſentire excedit obiectum ipſius ſenſus: ergo præter tale obiectum oportet neceſſariò dare aliquid, uel aliquod agẽs: hoc eſt ſenſus agẽs, ut patet ex dictis. Minor huius rationis pa et, & uidetur nota de ſe: conſtat enim; cum uiſio dicat in homine perfectionem, excedit ſimpliciter in perfectione aliquod obiectũ uiſus, puta, nigredinem, uel aliquẽ alium colorem: quare, &c. Non ergo uidetur poſſibilis dicta poſitio ſecunda: nec rationes aliquo modo ſoluuntur.

CVIVS gratia eſt aduertendum, quòd illæ ſolutiones habent duo fundamẽta, quorum unum nihil facit ad propoſitum: aliud uerò eſt totaliter falſum. Primum fundamentum eſt, quòd patiens ſecundum naturã ſuã poteſt eſſe nobilius, & perfectius agente; quãuis agens, in quantum agens, ſit nobilius patiẽte. Hoc quãuis ſit aliquo modo uerum, nihil tamen facit ad propoſitum, nec ſoluit difficultatem: nam per rationẽ oſtenditur, quòd niſi detur ſenſus agens; patiens, inquantum patiens, excedit agens, inquantum agens. Quod poteſt euidenter probari per dictas reſponſiones. Nam, ut dicunt, ſpiritualitas formæ ſenſibilis eſt à materia, & ab agente: ergo paſſiuum, uel recipiens, in quantum recipiens, eſt quid ſpirituale, & principium uitale. Si ergo agens non eſt ſpirituale, nec principium uitale: paſſum, inquantum paſſum, erit præſtantius agente, quod ipſimet negant. Primum, ergo fundamentum magis facit ad oppoſitum, quàm ad propoſitum; & per conſequens prima, & ſecunda ratio, quæ uidentur ſolui ex iſto fundamento, non ſunt aliquo modo ſolutæ. Secundum autem fundamentum, ex quo uidentur ſolui aliæ rationes, eſt totaliter falſum. ſ. quòd forma ſenſibilis ſecundum eſſe, qđ habet in ſubiecto, organo, & medio, eſt eiuſdem rationis in illis.



Quod probatur una ratione tali. Si ſpecies rerum ſenſibilium in medio eſſent eiuſdem rationis cum ſuis obiectis; ſequeretur, quòd de neceſſitate duo contraria eſſent ſimul in eodem; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: nam cum albedo, & nigredo ad inuicem contrarientur, & ſimilitudo, ſiue ſpecies albi, & nigri ſint eiuſdem rationis cum albo, & nigro: neceſſariò ſpecies albi, & nigri in medio, & organo erunt contrariæ inter ſe: & cum tales ſpecies ſint ſimul in eadẽ parte medij, ut patet ex primo articulo, & ipſimet concedunt, erunt neceſſariò ſimul contraria in eodem: patet igitur conſequentia.

*Aduerſariorum reſponſio.* NEC VALET, ſi dicatur ad iſtam rationem, quòd ſpecies albi, & nigri, quàmuis ſint eiuſdem rationis cum albo, & nigro; tamen non ſunt contrariæ: quia ut cauſantur ab obiectis, obiecta non contrariantur; ſed conueniunt: quia album, & nigrum, inquantum conueniunt in natura, & ratione coloris, cauſant ſuas intentiones in medio, ut ſic autem, non contrariantur; ſed conueniunt. Et ideo dictæ intentiones in medio non ſunt cõtrariæ, ut dicebatur.

*Confutatio reſponſ.* ISTA AVTEM Reſponſio penitus nihil ualet. Primo, quia quod aſſumit, eſt falſum. Secundo: quia contradicit ſibi ipſi. Aſſumit quidem falſum: nam album, & nigrum, ut conuenit in natura coloris, non cauſant ſuas ſpecies in medio: nam ſi cauſarent ſuas ſpecies, ut ſic, conueniũt, non cauſarent ſpeciem albi, & nigri; ſed colorẽ tantum: nec cauſarent duas ſpecies; ſed unã: quia cauſarẽt ſuas ſpẽs ſm eandem rationẽ agendi. ſ. ut cõueniunt in colorẽ: & medium, & organũ recipient eam ſecundũ eandẽ rationẽ recipiendi; & per conſequens eſſet tantũ una ſpecies, & nõ plures: nã, ut dictũ eſt ſupra, impoſſibile eſt ab uno agente, uel à diuerſis ſecundũ eandẽ rationem cauſandi cauſare in eodẽ paſſo ſecundũ eãdẽ rationem recipiendi diuerſos effectus: ergo aſſumptum eſt totaliter falſum. 2 Contradicit etiã ſibi ipſi: nã poſt pauca in eadẽ quæſtione in ſolutione alterius rationis dicit, quòd duæ albedines cauſant ſpecies ſuas in medio, non, ut conueniunt in albedine: quia ſic tantũ conueniunt in conceptu; ſed cauſant ad inuicẽ ſecundum ſuas realitates: quia alia eſt realitas unius albedinis, & alia realitas alterius albedinis; & per conſequens albedo, & nigredo cauſant ſuas ſpecies, non ut conueniunt in colore; ſed ut differunt inter ſe: contradicit igitur ſibi ipſi: nullo ergo modo hęc reſpõſio ſoluit rationem.

Iſte igitur modus dicendi non uidetur aliquo modo ſufficere: & ideo teneo ſicut prius, quòd oportet dare de neceſſitate ſenſum agentem, & hoc de ſecunda parte huius articuli.

RESTAT ergo ultimo, mouere dubia circa dicta, quibus ſolutis, apparebit ueritas huius articuli, ſecundũ quòd ipſum intelligo. Arguo igitur contra dictã concluſionẽ quadrupliciter. 1 Sic. Si eſſet dare ſenſum agẽtem; ſequeretur, quòd Philoſophus in determinatione ſenſuum in hoc. 2. eſſet inſufficiens; cõſequens eſt inconueniẽs: ergo. Conſequentia nota eſt quia Philoſophus in hoc ſecundo nullã menſionẽ fecit

*Vide Ioan. Gan. 2. de Anima. q. 16.* de ſenſu agente; & per conſequens fuit inſufficiens, ꝙ non uidetur aſſerendũ de tanto Philoſopho. 2 Si in ſenſu eſſet aliqua uirtus actiua; ſequeretur, quòd ſenſus ſentirent ſe ipſos, & ſentirent abſentibus ſenſibilibus; conſequens eſt falſum ad ſenſum: ergo. Conſequentia eſt Philoſophi in hoc ſecundo. Nam ſi cõbu-

*Tex. c. 60. Tex. c. 52.* ſtibile haberet uirtutẽ actiuã, ſicut habet paſſiuã, combureret ſe ipſum; & cõbureret remoto quocunque alio ſicut dicit Philoſophus in hoc ſecundo. Et ita eſſet de ſenſu, ſi haberet aliquam uirtutem actiuam ſecundũ ipſum. Impoſſibile eſt igitur dare ſenſum agentẽ; tum quia ſenſus ſentiret abſentibus ſenſibus. Et quia eſt cõtra mentem Philoſophi. 3 Si eſſet aliquis ſenſus agens haberet organũ, cũ ſenſus ſit uirtus materialis, & organica. Hoc ſuppoſito, arguitur ſic. 1 Sic ſenſus agens haberet organũ, uel haberet organum diſtinctũ ab alijs aliorum ſenſuum, uel non: ſed fundaretur in organis aliorum ſenſuum. Non poteſt dici, ꝙ habeat organũ diſtinctũ ab alijs propter duo. Primo quia ſecundũ cõmunem opinionẽ organũ tactus eſt in qualibet parte corporis, & per cõſequẽs non põt eſſe, quòd organũ ſenſus agentis diſtinguatur ab alijs loco, & ſubiecto. Secundo: quia ſi haberet organum diſtinctum; tunc illud eſſet propinquius organo unius ſenſus quàm organo alterius ſenſus; & per cõſequens fortius ageret unũ ſenſibile in ſenſu, quàm aliud; dato, ꝙ eſſent ſenſibilia eiuſdẽ proportionis, & diſtantiæ, & haberent omnes conditiones, quæ requiruntur tam ex parte ſenſibilis, quàm ex parte organi ſenſus paſſiui: non ſolum ex hoc, quòd organũ illius ſenſus agentis eſſet propinquus uni quàm alteri ſenſibili, talis ſenſus fortius ageret illum ſenſum, quàm ſenſibilia aliorũ ſenſuũ, quod eſt totaliter incõueniens: non ergo poterit habere organum diſtinctum. Nec etiã poteſt dici ſecũdũ, ſcilicet quòd organũ eius ſit idem cũ organo aliorũ ſenſuum: quia uel eſſet idẽ cum organo unius ſenſus tantũ, aut cum organis omniũ, aut plurimũ ſenſuum. Non poteſt dari primum; quia nõ appareret ratio: quare magis debeat eſſe illud cũ organo unius, quàm cum orga o alterius: cũ reſpectu omniũ ſit ęqualiter agens. Nõ poteſt dici ſecundũ: quia tunc non eſſet unus ſenſus agens; ſed plures, quod uidetur totaliter inconueniens. Nulla ergo ratio poteſt aſſignari huic ſenſui, & per conſequẽs non uidetur poſſibile ponere ſenſum agentẽ. 4

Si eſſet dare ſenſum agentẽ: eſſent plures ſenſus exteriores, quàm quinque; cõſequẽs eſt contra Philoſophũ in hoc ſecundo, ubi ex intentione probat in illo cap. ꝙ *Tex. c. 128.* autẽ non ſit ſenſus, &c. Conſequẽtia nota eſt, quia uel oportet dare quinque ſenſus agentes; ſicut dãtur quinque paſſiui: & ſic erunt. x. Vel oportet dare unũ ſenſum agentem: & ſic ad minus erunt ſex, quod nullo modo uidetur dicendum.

*Reſolutio rationum ſuæ aduerſantium opinioni.* HIS tamen non obſtantibus dicendum ſicut prius. Et ideo reſpondeo per ordinẽ ad prędicta. AD primum dicendum, quod patet per Commentatorẽ: dicit. n. Commentator, quòd, ut ſupra *Com. 6.* dictum eſt Ariſt. hic tacuit de ſenſu, quod latet, & apparet in intellectu: nam magis euidẽter apparet, quòd phantaſmata nõ poſſunt propria uirtute mouere intellectũ; quàm, quòd ſenſibilia poſſunt mouere ſenſum. Et ideo magis apparet, quòd oportet dare intellectum agentẽ, & magis latet, quòd oportet dare ſenſum agentẽ: & hac de cauſa tacuit Philoſophus de ſenſu; idem tamen intellexit de ſenſu, quòd expreſſit de intellectu. Quod patet: quia per illã eandem rationem, per quam probat eſſe dare intellectũ agentẽ; probatur, ꝙ oportet dare ſenſum agentẽ, ut patet ex dictis. Nõ ergo inſufficiẽs eſt Philoſophus, ex quo motus eſt rationabiliter. Ad ſm nego conſequentiã. CVIVS gratia eſt aduertendũ, ꝙ in ſenſu eſſe uirtutẽ actiuam poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, ꝙ in ſenſu ſit uirtus actiua, quæ ſit totalis cauſa effectiua actus ſentiendi, amota quacunque alia in ratione agendi. Et iſto modo nõ pono in ſenſu uirtutẽ actiuã, nec ſenſum agentẽ: nã non ſolum ſenſus agens cauſat talẽ actum; immò correſpõdet ipſũ ſenſibile, tanquàm agẽs particulare, quòd mouet ſenſum in uirtute ſenſus agentis. Alio mõ põt intelligi, ꝙ in ſenſu ſit uirtus aliqua actiua, quæ concurrat neceſſariò effectiuè ad quẽlibet actum ſentiẽdi unà cũ obiecto, ſiue ſenſibili. Et iſto modo pono, uirtutem actiuã in ſenſu, & ſenſũ agentem. Si ergo poneretur in ſenſu uirtus actiua primo modo bene teneret cõſequẽtia. Et illo modo arguit Philoſophus, quando facit dictam conſequentiam: uult. n. habere, quòd ſenſus ſit purè paſſiuus, etiã reſpectu ſenſibilis. Verum eſt loquendo de ſenſu paſſiuo, de quo loquitur Philoſophus, qui recipit actũ ſentiendi, ſiue formas ſenſibiles. Non fuit tamen propter hoc intentionis ſuæ negare ſenſum agẽtem; nec ratio probat, ut patet intuenti: nam ſi illud agens requiritur propter ſenſum agentem, non ſequitur, ꝙ poſito ſenſu agente, amoto ſenſibili, ſit ipſum ſentire: quare, &c. Ad tertium poteſt ad præ-

 ſens tri-

ſens tripliciter reſponderi: & quælibet ſolutio uidetur mihi ſufficere. 1 Dicetur enim ſecundum uiã aliorum doctorum, quòd ſenſus agens, & ſenſus poſsibilis, uel paſsiuus non diſtinguuntur, ſicut duæ potentiæ; ſed ipſe ſenſus agens eſt quidam habitus connaturalis ipſius ſenſus poſsibilis; & ideo non requirit organum diſtinctum ab ipſo: nec tamen propter hoc idemptificatur ei eſſentialiter; immò ſenſus agens diſtinguitur eſſentialiter ab ipſo ſenſu paſsiuo: non ſicut potẽtia à potentia; ſed ſicut habitus naturalis à potentia, cuius eſt habitus. Et cum dicitur, quòd eſſent plures ſenſus agentes. Dicitur, ſi intelligatur, quòd eſſent plures ſenſus agentes, id eſt, plures potentiæ, quòd nõ eſt uerum: quia, ut dictum eſt, talis ſenſus non eſt potentia. Si uerò intelligatur, quòd cuilibet ſenſui paſsiuo, qui eſt quædam potentia, correſpondeat ſuus proprius habitus naturalis. Dicitur, quòd non ſolum non eſt impoſsibile; immo neceſſarium, ut apparet ex dictis: ideo ratio non concludit. 2 Vel poteſt dici ad dictam rationem, quòd poſito, ꝙ ſenſus agens ſit potẽtia diſtincta à ſenſu poſsibili, uel paſsiuo: non oportet propter hoc, ꝙ diſtinguatur loco, & ſubiecto: nã quàmuis ſm communẽ opinionẽ intellectus agens ſit potentia diſtincta ab intellectu poſsibili; non propter hoc requirunt diſtincta ſubiecta; immò ſimul fundantur immediatè in eadẽ eſſentia animæ. Et ideo ſenſus agẽs ſimul aſsignatur, uel datur in eodem organo cũ ipſo ſenſu poſsibili. Et cum dr̃ uel fundaretur in organo unius ſenſus, uel in organis omniũ. Poteſt dici, quòd in organis omniũ; ita, quòd ſicut eſt dare uiſum paſsiuũ, ſic eſt dare uiſum actiuũ, & ſic de alijs ſenſibus. Nec dare iſto modo plures ſenſus agentes, uidetur aliquod inconueniens; ſicut nec dare plures ſenſus paſsiuos, eſt incõueniens. 3 Põt etiã dici, ſi uolumus tãtum ponere unũ ſenſum agentem, quòd huiuſmodi ſenſus fundabitur in organo ſenſus communis. Et ideo erit unus tãtum ſenſus agens, & non plures: hoc tamen non obſtãte, omnia ſenſibilia poterunt mouere ſenſus particulares in uirtute huius ſenſus; nam ſicut ſenſus communis cognoſcit obiecta omnium ſenſuum exteriorum, & poteſt iudicare de eis, & ponere differentiam inter ea; ſic etiam uirtus huius ſenſus agentis, qui fundatur in eodem organo cum ipſo ſenſu communi, poterit ſe extendere ad ſenſibilia omnium ſenſuum. Ad quartum dicitur, quòd non ſunt plures ſenſus, quàm quinque materialiter, & ſubiectiuè: ex quo ſenſus agẽs non diſtinguitur à poſsibili loco, & ſubiecto: ſed bene ſunt formaliter, & intrinſecè diſtincti, quia ſenſus agens non eſt poſsibilis, nec econuerſo: quia unus eſt principium, ſiue ratio agendi; alter uerò principium, ſiue ratio patiendi, ſiue recipiendi. Nec ponere iſto modo plures ſenſus, quàm quinque, eſt aliquod inconueniens: nam præter ſenſum agentem ponuntur hoc modo plures ſenſus: quia ſenſus tactus, ut dicitur in ſecũdo non eſt unus, ſed plures ſenſus. Patet igitur, quid mihi uidetur dicendum de ſenſu agente. Et hæc de ſecundo principali.

*A.l. plures.*

*Elicit. ex tex. c. 106. 107. 108. 112.*

## ARTICVLVS TERTIVS.

RESTAT uidere tertio. Vtrum ſenſus ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia? Quia hoc quærebat quæſtio principalis. Et quoniam ueritas huius articuli dependet ex dictis in primo articulo. Ideo iuxta prædicta pono duas concluſiones. Prima eſt affirmatiua, ſcilicet, quòd ſenſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia. Secũda ẽ negatiua, ſcilicet, quòd ſenſus non eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine conditionibus materiæ, quæ ſunt hic, & nunc. PRIMA concluſio probatur dupliciter. 1 Sic. Species, ſiue formæ intentionales in medio non habent eſſe reale; ſed intẽtionale: ergo ſenſus eſt ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia. Antecedens probatum eſt in primo articulo. Conſequentia patet pro tanto: quia ſpecies non habent in organo minus eſſe ſpirituale, quàm in medio. Si igitur in medio ſunt ſine materia, & habent eſſe intentionale: multo fortius erunt in organo ſine materia, & ſub eſſe intentionali, & ſpirituali. 2 Sic. Nulla forma introducta in aliquo ſubiecto ſecundum eſſe reale, poteſt multiplicari in eodem ſecundum numerum, manente eadem ſecundũ ſpeciem: ergo ibi non habet eſſe reale, & per conſequens ſuſcipitur ſine materia: quia nõ recipitur ſub illo modo eſſendi reali, ſub quo erat in obiecto. SECVNDA concluſio probatur una ratione tali. Omne, quòd recipitur in aliquo organo determinato, recipitur hic, & nunc, & particulariter; ſed ſpecies rerum ſenſibilium recipiuntur in aliquo organo determinato: ergo. Maior nota. Minor patet: quia hic, & nunc eſt organum particulare; & per conſequens quicquid recipitur in eo, recipitur particulariter, & hic, & nunc. EST tamen aduertẽdum, quòd quàmuis ſit commune omni ſenſui, quòd ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia; unus tamen ſenſus ſpiritualiori modo recipit, quàm alius, ſecundum quòd ſenſus ſunt ſuperiores, uel minus ſuperiores inter ſe. Et ideo inter ſenſus exteriores uiſus ſpiritualiori modo recipit formas intentionales, & ſenſus cõmunis magis ſpiritualiter recipit, quàm ſenſus exteriores & etiam inter ſenſus interiores, eſt dare gradũ tam ſecundum doctrinã Philoſophorum, quàm ſanctorũ Doctorũ. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd Beatus Auguſtini. 7. ſuper geneſim ad literã ponit in cerebro tres uẽtriculos, ſcilicet, anteriorem, poſteriorem, & mediũ. Ex anteriori dicit diſtribui omnes ſenſus: unde ait, ꝙ pars cerebri anterioris, unde oẽs ſenſus diſtincti ſunt ad frontem collocata eſt. A poſteriori autem uentriculo dicit diſtribui omnem motum, ut inferius magis apparebit. A medio dicit eſſe memoriam. Vnde in libro præallegato. Tres tanquam uentriculi cerebri demonſtrantur. Vnus anterior ad faciem, à quo omnis ſenſus. Alter poſterior ad ceruicem, à quo omnis motus. Tertius inter utrunque, à quo uigere memoria demonſtratur. Auicen. in 6. de naturalibus, ſiue in ſuo libro de Anima, quòd idem eſt, magis particulariter loquitur de ſenſibus interioribus. Ponit enim quinque ſenſus interiores ſicut ſunt quinque exteriores, ſcilicet, ſenſum communem, imaginationem, phantaſiam, æſtimatiuam, & memoriam, qui quidem ad inuicẽ ſic diſtinguuntur. NAM SENSVS communis, qui eſt inferior inter ſenſus interiores, cognoſcit non ſolum obiecta omnium particularium ſenſuum; ſed ẽt cognoſcit differentias obiectorum, & actus, ſiue operationes ipſorum, ut apparet ex Philoſopho in ſecundo huius. Poſt ſenſuum communem eſt imaginatio, quæ nõ ſolum hoc cognoſcit; ſed etiam ſpecies retinere poteſt: nam abeuntibus ſenſibus inſunt nobis ſenſus, & phantaſiæ ſecundum Philoſophum 2. huius. Quod nõ eſſet niſi imaginatio retineret ſpecies rerum ſenſibiliũ in abſentia rerum ſenſibilium: plures ergo poteſt ſenſus communis, quàm omnes ſenſus particulares: quia per ſenſus particulares tãtũ poſſumus cognoſcere obiecta particularia, ut puta, calorem, uel ſaporem, & ſic de alijs; non autem differentiam iſtorum. Et ideo oportet dare aliquem unum ſenſum, qui cognoſcat hmõdi differentiam: & hic eſt ſenſus cõmunis, qui in anteriori parte cerebri uiget ſm Auguſtinum, uel ſm Auicennã. Rurſus imaginatio plus põt, ꝗ̃ ſenſus communis: quia ſenſus communis non retinet ſpeces in abſentia ſenſibilium, uel ſi retinet, ualde modicũ retinet; ſicut declarat Auicenna in libro prædicto dicens, ꝙ digitus motus ualociter uidentur plures digiti: quia moto digito uelociter, antequam recedat ſpecies digiti primo impreſſa, imprimitur ſpecies eiuſdem digiti ſecundo, huius tamen ſpecies cito deſinunt eſſe: ſenſus ergo cõmunis, qui nihil, aut modicũ ualde retinet ſpecies: ideo hmõdi ſenſus nõ eſt in actu ſuo in abſentia ſenſibiliũ, niſi fortè in dormiendo. Ibi enim eſt ordo contrarius ei, qui eſt in uigilia. IMAGINATIO uero plures

*Cap. 17. & 18. Tom. 3.*

*Parte. 1. Cap. 5. Tex. c. 156*

*tex. c. 145. & 146.*

*Tex. c. 56.*



plus poteſt, quàm ſenſus communis, quia põt retinere ſpẽs: poſſumus. n. imaginari ſenſitiua abſentibus ſenſibilibus. TERTIA uirtus interior ſenſitiua ẽ phãtaſia: & hæc poteſt plus duabus præmiſsis: quia non ſolum ſpecies recipit, quòd facit ſenſus communis; & retinet, quod facit imaginatiua; ſed etiam componit unam ſpeciem cum alia: ut quia uidemus montem, & uidemus aurum, habemus per phãtaſiam hanc potentiam, ut poſsimus phantaſiari montem aureum. Vnde licet mons aureus nunquam fuerit in ſenſu ſecundũ ſe; fuit tamen ſecundum ſuas partes: quia fuit in ſenſu mons, & aurũ. Et per phantaſiam componimus unum cũ alio, & formamus in phantaſia montem aureum.

QVARTA uirtus interior eſt æſtimatiua, quæ non ſolum comprehendit ſpecies ſenſibiles; ſed intentionales ſenſibilium, cuiuſmodi ſunt amicabile, & inimicabile, & conſimilia, quæ dicunt quaſdam intentiones ultra formas ſenſibiles. Vnde ouis uidens lupum, per uirtutem æſtimatiuam apprehendit ipſum ſibi eſſe inimicabilem. A quibuſdam autem hæc uirtus appellatur ratio particularis; à quibuſdam uerò cogitatiua: ſed de nominibus non eſt nimis curandum, ubi habetur clara notitia rerum. Per hanc igitur uirtutem animalia perfecta iudicant, quid eis fugiendũ, & quid proſequendũ. QVINTA uirtus ſenſitiua interior eſt memoria, quæ eſt theſaurus tam ſpecierum ſenſibilium, quàm dictarum intentionum: in ea enim reſeruantur & ſimilitudines formarum ſenſibilium, & intentionum. Et ſi uolumus omnia iſta deſcribere in tribus uentriculis cerebri ſecundum intentionem Auicennæ; oportet dicere, quòd in primo uentriculo eſt ſenſus communis, & imaginatio. In ſecundo phãtaſia, & æſtimatiua. In tertio memoria, & uirtus motiua: nam quilibet dictorum uentriculorum habet duas partes anteriorem, ſcilicet, & poſteriorem, & ſic in quolibet ponuntur duæ uirtutes. Vna quidem in parte anteriori. Reliqua uerò in parte poſteriori. Dicitur autem, quòd in poſteriori parte tertij uentriculi eſt uirtus motiua: quia neruus ille diffuſus per totum corpus, in quo uirtus motiua reſeruatur, habet inchoationem in huiuſmodi parte tertij uentriculi: & ex inde per totum corpus diffunditur ſecundum quoſdam ramos. Principium ergo motus poteſt appropriari cordi: quia eſt ſemper, & continuè in motu. Et poteſt appropriari, ut patet ex intentione Beati Auguſtini, poſteriori parti ipſius cerebri: ſic igitur patet ſecũdum intentionẽ Auicennæ de ſenſibus interioribus.

COMMENTATOR autem. 3. de anima loquens de huiuſmodi uirtutibus interioribus, dicit eas eſſe tãtum quatuor; licet Auicenna dicat eas eſſe quinque, & dicit hoc de intẽtione Ariſtotelis in de ſenſu, & ſenſato dicens, quòd Ariſtoteles in illo libro poſuit prædictas uirtutes in quatuor ordinibus. In primo poſuit ſenſum communem. In ſecundo imaginatiuam. In tertio cogitatiuam, ſiue æſtimatiuam.

*Com. 6.*

In quarto memoriam. Et ait Commẽtator, quod memoriam poſuit magis ſpiritualem, deinde cogitatiuam, deinde imaginatiuam, poſtremo uero ſenſum cõmunem, tanquam minus ſpiritualem. EST autem differentia inter Auicennam, & Commentatorem quia Auicenna dicit phantaſiã, & imaginationem eſſe duas uirtutes. Commentator dicit, quòd ſunt una, & eadem uirtus: nam ſecundum eum ad eandem uirtutem pertinet retinere ſpecies ſenſibilium, quod pertinet ad imaginationem, & componere unam formam cum alia, quod pertinet ad phantaſiam. Et ſic erunt ſecundum intentionem Commentatoris quatuor uirtutes interiores tãtum. Quibus addenda eſt ſecundum Beatum Auguſtinum, uirtus motiua. Iſtæ igitur uirtutes ſecũdum doctorem noſtrum in quolib. ſic ad aptantur ad tres uentriculos cerebri: nam in primo uentriculo ponit ſenſum communem, & imaginationem.

*Quodlib. 4. q. 20.*

In ſecundo ponit unam uirtutem tãtum, ſcilicet, cogitatiuam, uel æſtimatiuam. In tertio autem ponit duas, ſcilicet, memoriam in parte anteriori, & uirtutem motiuam in parte poſteriori. Et hoc modo ordinat doctor noſter uirtutes prædictas propter dictum Commentatoris. Commentator namque. 3. de anima clarè determinat imaginationẽ eſſe in prima parte cerebri, cogitatiuam in medio, memoriam uerò in poſteriori; non ſolum hoc dictum eſt à Medicis; ſed etiam dictum eſt in de ſenſu, & ſenſato ab Ariſtotile.

*Com. 6.*

VIDETVR tamen mihi uirtutes has eſſe aliter ordinandas. Vt in primo uẽtriculo ponantur duæ, ſcilicet, ſenſus communis, & imaginatio, uel phantaſia. In ſecundo uerò cogitatiua, uel æſtimatiua, & memoria. In tertio autem uirtus motiua. Et iſto modo expreſsè ſaluatur intentio Beati Auguſtini, cui in hac materia, & in quacunque alia magis eſt credendum, quàm Philoſopho, nec Commentatori. Nam ſicut apparet ex dictis Beati Auguſtini in medio uentriculo uigere memoria demonſtratur. REDEVNDO ergo unde ſermo prius fuerat egreſſus, uidetur eſſe dicendum, quòd quàmuis ſit commune omni ſenſui, quòd ſit ſuſceptiuus ſpecierum ſine materia: unus tamen ſpiritualiori modo recipit, quàm alius, ſecundum quòd ſunt minus, uel magis ſuperiores. Vnde memoria magis ſpiritualiter recipit, quàm æſtimatiua: & æſtimatiua, quàm phantaſia: & phantaſia, quàm ſenſus communis: & ſenſus communis, quàm ſenſus exteriores. Et hæc de tertio principali ſufficiant.

*Epilogus eorum, quæ in hoc tertio articulo continentur.*

RESTAT igitur reſpondere ad rationes principales. AD PRIMVM, cum dicitur, quòd ſpecies rerum, ſenſibilium habent in medio eſſe reale. Patet, quòd non eſt uerum ex primo articulo: nec probatio aliquid concludit. Ita bene conceditur, quòd habent eſſe in medio, circunſcripta omni operatione intellectus. Et ideo habent ibi eſſe reale, ut diſtinguitur contra intentionale eo modo, quo dictum eſt, & expoſitum fuit in primo articulo. Ad ſecundum, cum dicebatur, quòd ſpecies recepta in ſenſu, uel cauſatur effectiuè à ſenſu, uel ab obiecto. Patet quid eſt dicendum ex ſecundo articulo: cauſantur enim huiuſmodi ſpecies in ſenſu ab obiecto in uirtute propria. ſ. in uirtute ſenſus agentis, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum, ut dictum eſt. Et cum dicitur, quòd ſenſus eſt purè paſsiuus; & per conſequens non eſt dare ſenſum agentem. Patet, quid dicendum ex dictis: nam, non obſtante paſsiuitate ipſius ſenſus, requiritur neceſſariò ſenſus agens, in cuius uirtute ſenſibilia mouent ſenſum. Patet igitur quid mihi uidetur eſſe dicendum de iſta quæſtione.

*Quæſtionum ſuper ſecundum librum de Anima finis.*

# QVAESTIONES TERTII LIBRI DE ANIMA.

## QVAESTIO I.

### An primum cognitum ab intellectu noſtro ſit aliquod uniuerſale?

VTRVM primum cognitum ab intellectu noſtro, ſit aliquod uniuerſale? Et uidetur, quòd ſic. 1 Species ſpecialiſsima eſt aliquod uniuerſale; ſed ſpecies ſpecialiſsima eſt primo cognitum ab intellectu noſtro: ergo. Maior eſt nota de ſe. Minor probatur: quia cum intellectus noſter cognoſcat per abſtractionem à ſingularibus: illud erit primo cognitũ, quod primo, & immediatè eſt à ſingularibus abſtractum: hoc autem eſt ſpecies ſpecialiſsima; quæ immediatè de ſingularibus prædicatur. 2 Quicquid eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri, eſt primo cognitum ab intellectu noſtro; ſed obiectum adæquatum intellectus noſtri eſt aliquod uniuerſale: ergo. Maior uidetur nota pro tanto: quia illud eſt primo cognitum ab intellectu, quod eſt magis proportionatum; ſed obiectum adæquatum eſt ſibi magis proportionatum: ergo. Minor patet; quia obiectum adæquatum intellectus noſtri eſt quidditas rei materialis, uel ipſum ens; ſed quicquid horum detur ſemper erit aliquod uniuerſale: ergo.

*Com. 8.*

IN OPPOSITVM. Si uniuerſale eſſet primo cognitum ab intellectu noſtro; ſequeretur, quòd præueniret omnem actum intellectus noſtri; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia nota: quia primo cognitum ab aliqua potentia eſt primum mouens illam potentiam; & per conſequens præuenit omnem actum primum eius: primum ergo cognitum ab intellectu noſtro præuenit omnem actum intellectus. Falſitas conſequentis nota eſt. Et apparet per Cõmentatorem in primo huius, qui dicit, quòd intellectus facit uniuerſalitatem in rebus; & per conſequens ipſius actus præuenit ipſum uniuerſale. RESPONDEO in iſta quæſtione ſunt tria uidenda. Primum eſt. Vtrum primum cognitum ab intellectu noſtro ſit ſpecies ſpecialiſsima immediatè abſtracta à ſimilibus? Quia hoc probat primum argumentum. Secundum eſt. Vtrum obiectum adæquatum intellectus noſtri ſit quidditas rei materialis, uel ens? Quia hoc uidetur quærere ſecundum argumentum. Tertium, quòd quærit quæſtio principalis.

*Scotus. 1. ſent. q. 1. prolog. Pro hac materia uide Greg. Ari. 1. ſent. d. 3. q. 3. Ioan. Bac. 1. ſent. q. 1. Prolog. Aegid. 7. Met. q. 5. cor. q. Bur. in exp. 3. cont. 1. Phyſ. Paul. Ven. ibidem, Sueſ. ibidem Ioã. Gand. 1. phyſ. q. 5. 1. de anima q. 8. Alb. de ſax. 1. phyſ. q. 5. Gaiet. de Tien. 1. ph. q. 5. Paul. Soc. 7. Mec. q. 11. Zim. pe culio. Gaiet. de Vio. in exp. opuſ. de eſſe. de eſſent. D. Thom.*

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum articulum reſpondent aliqui doctores, quòd ſic. Volunt enim, quòd primus conceptus, ad quem mouetur intellectus noſter, ſit conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ; & per conſequens primum cognitum ab intellectu noſtro eſt aliqua ſpecies ſpecialiſsima; illa, ſcilicet, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum. Iſta concluſio probatur ab eis trìpliciter. 1 Sic. Cauſæ merè naturaliter concurrentes ad aliquem effectum cauſandum, uel producẽdum, ſi non ſint impeditæ; agunt, quantum poſſunt: & per conſequens producunt perfectiorẽ formam, quàm poſſunt producere; ſed cauſæ, quæ mouent intellectum ad primum cognitum, concurrunt merè naturaliter ad dictam motionem: ergo cauſant in ipſo perfectiorem conceptum, quàm poſſunt. Iſte autem conceptus eſt ſpeciei ſpecialiſsimæ: ergo Maior uidetur nota de ſe. Minor probatur: quia primus conceptus intellectus; præuenit omnem conceptum uoluntatis, uel actum: cum ſecundum Auguſtinum: ſecundum uoluntatem nihil uolitum, niſi prius cognitum: talis ergo conceptus eſt merè naturalis; & per conſequens cauſę concurrentes ad dictum conceptum agent merè naturaliter, & cauſabunt perfectiorem conceptum, quàm poterunt: ergo.

*10. de Trin. Cap. 2. Tom. 3.*

2 Sic. Si conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ non eſſet primus conceptus, ad quẽ mouetur intellectus ſequeretur, quòd moueretur prius ad cõceptus cõmuniores: & quanto erunt cõmuniores, tanto ad eos prius moueretur; & per conſequens prius moueretur ad cõceptũ entis, & aliorum tranſcendentiũ, de quibus conſiderat Metaphyſicus, quàm ad cõceptus entium ſpecialiũ, de quibus conſideratur in alijs ſcientiis; conſequẽs eſt falſum. Conſequentia de ſe eſt nota. Falſitas conſequẽtis probatur: quia ſi conceptus entis, & aliorũ tranſcendẽtium, de quibus cõſiderat Metaphyſicus, prius occurreret intellectui: cogeretur quis dicere, quod Metaphyſica eſſet prior alijs ſcientijs ordine doctrinæ: conſequẽs eſt falſum: ergo. Conſequẽtia eſt nota. Sed falſitas cõſequentis patet per Auicẽnam primo Metaphyſicę ſuę, qui dicit, quòd Metaphyſica eſt ultima ſcientiarũ ordine doctrinæ. 3 Ad idem. Si conceptus communiores prius occurrerent intellectui noſtro, quàm cõcepus ſpeciei ſpecialiſsimæ; ſequeretur, quòd nõ poſſet à nobis cognoſci aliqua ſpecies ſpecialiſsima, niſi prius cognoſcerentur oĩa prædicamẽta ſuperiora ad illam ſpeciẽ; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet per experientiam. Nam ſi omnia prædicamenta ſuperiora ad ſpeciẽ cognoſcerentur; apponeremus multum de tempore, antequam poſſemus ipſam ſpeciẽ cognoſcere, cuius contrariũ experitur: ergo, &c.

NEC obſtat ſecundum eos dictum Ariſt. in primo phyſicorũ, quando dicit, confuſa ſunt nobis prius nota: quia dicunt hoc eſſe intelligendum reſpectu eiuſdem cogniti; quãdo cognitum eſt tale, quod põt cognoſci duplici cognitione, uidelicet cognitione confuſa, ſecundũ quem modũ ſignificatur per nomen: & cognitione determinata, diſtincta, ſecundum quem modũ ſignificatur per diffinitionem. Dato autem iſto intellectu, dictum Ariſtot. non uidetur facere cõtra dictam concluſionẽ: quia ſpecies ſpecialiſsima prius cognoſcitur cognitione confuſa, ſecundum quẽ modũ cognoſcitur per nomen, quàm cognitione diſtincta; & determinata ſecundũ quẽ modum cognoſcitur per diffinionẽ: quare &c.

*Occurrit. auctoritati Ariſt. perperam intellectæ. Tex. c. 3.*

HAEC POSITIO non uidetur mihi aliquo modo poſsibilis. Eſt enim expreſſe cõtra dicta Philoſophorũ. Et ideo primo arguam contra modũ ponẽdi, & fundamenta poſitionis in ſe. Secundo contra concluſionem directè.

*Confutatio opin. Scoti.*

ACCIPIO ergo duo fundamenta huius doctoris. Primum eſt quòd primus conceptus, ad quẽ mouetur intellectus noſter, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſsimę: quia cauſæ concurrentes ad talem conceptũ, agunt merè naturaliter. Secundum eſt, quòd ſpecies prius cognoſcitur cognitione confuſa, ſecundũ quem modum cognoſcitur per nomen, quàm cognitione diſtincta, ſecundum quem modum cognoſcitur, & ſignificatur per diffinitionem. Ex quibus dictis arguo contra eos ſic. 1 Si præfata fundamẽta eſſent uera, ſequeretur unum de tribus, quocunque dato iſtorum ſequeretur euidens contradictio in dictis eorum. 1 Sequeretur namque neceſſario, quòd primus cõceptus, ad quem moueretur intellectus noſter, eſſet cõceptus diffinitionis, & diſtinctæ ſpeciei. 2 Sequeretur, quòd cõceptus diffinitionis eſſet imperfectior conceptu ſpeciei diſtinctæ, ut talis ſpecies cognoſcitur cognitione confuſa, ſecundũ quem modum ſignificatur per nomẽ. 3 Etiã ſequeretur, quòd cauſæ mouẽtes naturaliter ad primũ conceptum, nõ cauſarent in ipſo perfectiorem conceptũ, quàm poſſent. PRIMVM ergo probatur, quòd quocunque iſtorum dato; ſequeretur euidens contradictio in uerbis ſuis. Nam ſi detur primum, euidenter contradicit concluſioni principali; in qua dicitur, quòd primus conceptus, ad quẽ mouetur intellectus, eſt conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ, contradiceret directè expoſitioni ipſorum. Vbi dicunt, quòd prius cognoſcitur ſpecies cognitione confuſa, ſecundum quem modũ ſignificatur per nomen, quàm cognitione diſtincta, ſecundũ quẽ modũ cognoſcitur per diffinitionem. SI uero detur ſecũdũ, cõcluditur falſum: quia apud omnes philoſophãtes eſt notũ, quòd conceptus diſtinctus eſt perfectior quocunque alio.



ITEM contradicerent ſibi ipſis: nam in ipſorum declaratione dicunt, quòd cognitio ſpeciei, ut ſignificatur per diffinitionem, eſt cognitio determinata, & diſtincta. Vt uerò ſignificatur per nomen, eſt cognitio confuſa. Certum autem eſt, quod cognitio diſtincta eſt perfectior cognitione confuſa. Oportet ergo dicere ſecundum eos, quod conceptus diffinitionis ſit perfectior conceptu ſpeciei, ut ſpecies cognoſcitur confuſa cognitione: ſi ergo datur ſecundum apparet euidens contradictio. SI AVTEM datur tertium apparenter contradicunt ſibi: quia per oppoſitum fundamentum probant concluſionem ſuam.

Hoc autem probato, probatur conſequentia: Peto nanque ab eis. Aut conceptus diffinitionis primo occupat intellectum, quàm conceptus ſpeciei ſpecialiſſimę, ut ſpecies iſta ſignificatur per nomen; aut èconuerſo. Si detur primum; ſequitur primum inconueniens contra eos. Si detur ſecundum; ſequitur euidenter inconueniens tertium: nam ſi conceptus ſpeciei eſſet primus conceptus, ad quem moueretur intellectus, & nõ ſit perfectior conceptu diffinitionis; iam cauſæ mouẽtes intellectum ad primum conceptum, non cauſarent in ipſo perfectiorem conceptum, quem poſſent, ut ipſi uolunt. Apparet igitur euidens contradictio in uerbis eorum. Vnde poteſt ſua ratio fundamentalis ſumpta formaliter reduci contra eos, ut arguatur ſic. Cauſæ concurrentes ad aliquem effectum merè naturaliter, ſi non ſunt impeditæ, agunt quantum poſſunt, ſed cauſæ mouentes intellectum ad primum conceptum, agũt merè naturaliter: ergo cauſant in ipſo perfectiorem onceptum, quem poſſunt. Sed perfectior conceptus eſt conceptus diffinitionis: ergo conceptus diffinitionis eſt primus conceptus, ad quem mouetur intellectus, & per conſequens diffinitio erit primũ cognitũ ab intellectu noſtro, & non ſpecies ſpecialiſsima. Concluſio eſt contra eos, & tota ratio eſt eorum, qua contradicunt ſibi: ergo.

*A. l. prima occurrat intellectui.*

2 Sic. Si conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ eſſet primus conceptus, ad quem mouetur intellectus noſter eo modo, quo ponitur ab iſtis doctoribus; ſequeretur, quòd conceptus de genere cuiuſcunque rei, ſemper eſſet certus, & nunquam dubius; conſequens eſt expreſsè contra eos: nã ex hoc ipſi probant conceptum entis eſſe alium conceptum generis cuiuſcunque: quia ſtante conceptu entis certo, poteſt conceptus intellectus eſſe dubius de conceptu generis. Conſequentiam probo: quia conceptus primo occurrẽs intellectui, de neceſsitate eſt certior quocũque alio conceptu. Si ergo conceptus ſpeciei eſt primus cõceptus, qui occurrit intellectui; erit certior omni alio: ſed ſtante certitudine de ſpecie alicuius rei, nunquam poteſt eſſe dubium de genere: ergo contradicunt prædicti doctores affirmatiuè, ſcilicet, quòd conceptus poſſit eſſe dubius generis; & quòd non poſsit eſſe dubius: talis igitur modus eſt impoſsibilis.

*A. l. expreſsè.*

3 Ad idẽ. Si conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ primo occurreret intellectui; ſicut perfectior aliis conceptibus communioribus, ut dicunt iſti doctores; ſequeretur, quòd intellectus noſter in cognoſcendo procederet de perfecto ad imperfectum, quod eſt contra modum procedendi naturalem; conſequens eſt totaliter inconueniens: ergo. Conſequentia nota eſt: nam ſi primus conceptus eſt perfectior aliis, ſemper procedetur in cognoſcendo de perfecto ad imperfectum. Falſitas conſequentis notiſsima eſt apud omnes intelligentes: eſt enim modus procedendi naturalis ſemper procedere de imperfecto ad perfectum, non autem èconuerſo.

VISO ERGO, quòd talis modus dicendi non eſt poſsibilis, immò repugnat ſibi ipſi. Arguitur ſecundo contra concluſionem directè etiam tripliciter. 1 Sic. Illa ſunt primo cognita ab intellectu noſtro, quæ prima impreſsione imprimuntur in anima noſtra, & ſunt notiſsima in conceptu; ſed ens, & res, & alia tranſcendentia ſunt huiuſmodi, & non aliqua ſpecies ſpecialiſsima: ergo primum cognitum ab intellectu ſunt trãſcendentia, & non aliqua ſpecies ſpecialiſsima. Maior eſt ita nota, quòd ex oppoſito prædicati deſtruitur ſubiectum, ut patet. Minorem ponit Auicen. 1. metaphyſicæ ſuæ, ubi ait, quòd ens, & res prima ſui impreſſione imprimuntur in anima, & ſunt notiſsima in conceptu: quare, &c.

*Cap. 5.*

2 Ad idem. Si ſpecies ſpecialiſsima eſſet primum cognitum ab intellectu noſtro, & non ens; ſequeretur, quòd conceptus entis poſſet eſſe dubius, conceptu ſpeciei ſpecialiſsimæ exiſtente certo; conſequens eſt totaliter impoſsibile: ergo. Falſitas conſequentis etiam apparet per eos Ipſi enim uolunt, quòd conceptus entis poſsit eſſe certus, & dubius de conceptibus ſpecialibus huius, & illius; ſicut ſumus certi de potentiis animæ, quòd ſunt entia. Dubitamus tamen utrum ſint hæc, uel illa entia, ſcilicet. Vtrum ſint ſubſtantia, uel accidens. Poteſt ergo conceptus entis eſſe certus, conceptu ſpeciei ſpecialiſsimæ exiſtente dubio: ſed èconuerſo totaliter eſt impoſſibile, ſemper referendo dictos conceptus ad illud obiectum. Conſequentia probatur: nam ſpecies ſpecialiſsima eſt primum cognitum ab intellectu noſtro, conceptus ſpeciei cum certitudine præcedit in intellectu conceptum entis: cum primus, conceptus ſit certiſsimus. Poterit ergo intellectus in illo priori dubitare de conceptu entis: quia in quocũque ſigno intellectus non eſt certus de aliquo conceptu, poteſt dubitare de ipſo, & eſſe dubius. Et quia in illo priori nõdum eſt certus de conceptu entis, poterit dubitare de ipſo; & per conſequens conceptus entis erit dubius, conceptu ſpeciei ſpecialiſsimæ exiſtente certo, patet igitur conſequentia. 3 Conceptus illorum terminorum ſunt primo cogniti ab intellectu noſtro, ex quibus tales propoſitiones compoſitæ ſunt intelectui noſtro prius, & maxime notæ; ſed propoſitiones compoſitę ex terminis communibus, puta, entis, & aliorum tranſcendentium, ſunt nobis prius notæ, & ſimpliciter notiores, quàm etiam propoſitiones, quæ immediate componũtur ex terminis ſpecierum: ergo conceptus entis, & aliorum tranſcendentium ſunt nobis prius cogniti in intellectu noſtro, quàm conceptus ſpeciei ſpecialiſsimæ. Maior huius apparet pro tanto: quia tota notitia, & euidentia propoſitionum dependet ex notitia, & euidentia terminorum; & per conſequens illi termini nobis prius, & maxime ſunt noti, ex quibus componũtur propoſitiones ſimpliciter notiores. Minor patet de ſe: nam iſta, propoſitio de quolibet eſſe, uel nõ eſſe, eſt prius nota intellectui noſtro, & ſimpliciter notior, quàm linea recta cadens cauſat duos angulos rectos, uel æquales, ſiue æquiualentes: & tamen quælibet earũ eſt propoſitio immediata; ſed prima eſt notior: quia fundatur in ente: ſecunda autem fundatur in terminis ſpecialibus, ut in linea, & angulo &c. & ſic de aliis. Patet igitur Minor, & per conſequens tota ratio. Apparet igitur ex dictis, quòd primum cognitum ab intellectu noſtro non eſt aliqua ſpeties ſpecialiſsima, quod fingebat dicta poſitio.

RESTAT ergo reſpondere admotiua iſtius opinionis. AD primum, cum dicitur, quòd cauſæ aliquæ concurrentes merè naturaliter, &c. Concedo, ſi ſint immediatæ: & niſi impediantur, uel ab aliquo extrinſeco, uel propter indiſpoſitionem paſsi. Videmus enim, quòd ignis agens in ſtupam, & lapidem agit merè naturaliter; & tamen propter diſpoſitionem aliam, & aliam ex parte paſsi fortius agit in ſtupam, quàm in lapidem: quia citius conuertit ad ſe ſtupam, quam lapidem. Et tunc ad minorem dicitur, quòd cauſæ mouentes

*Solutio rationum Scoti, & ſequacium.*

ſæ mouentes intellectũ; quamuis occurrant merè naturaliter ad primum actum. Impediuntur tamen ratione indiſpoſitionis ex parte ipſius intellectus poſsibilis, in quo debet recipi talis conceptus: quia intellectus poſſibilis non eſt diſpoſitus naturaliter ad recipiendum immediatè conceptus ſpecierum; immò ſua naturalis diſpoſitio eſt ad recipiendum primo conceptus uniuerſaliores, qui ſunt imperfectiores, & iſtis mediantibus poterit recipere conceptus magis ſpeciales. Sicut uidemus, quòd materia primo recipit formas imperfectiores, puta, formas elementorum, deinde formas mixtorum, quæ ſunt perfectiores. Ex quibus patere poteſt, quòd ex dictis poſſumus formare talẽ rationẽ. ſ.

*Ratio diluens totã difficultatem, quæ eſt ueluti fundamentum iſtius quæſiti.*

SICVT ſe habet materia prima ad formas ſenſibiles; ita ſe habet intellectus noſter poſsibilis ad formas intelligibiles; ſed materia prima recipit primo formas imperfectiores, & poſtea perfectas, ut ſit proceſſus debitus naturalis de imperfecto ad imperfectũ: ergo intellectus noſter poſsibilis primo recipiet conceptus communiores, qui ſunt imperfectiores, & poſtea magis ſpeciales, qui ſunt aliis perfectiores, ut in cognoſcẽdo procedat modo naturali debito de imperfecto, uidelicet, ad perfectum; & non econuerſo, ut iſti doctores probant. Ad ſecundum, cum dicitur, quòd ſequeretur intellectum prius moueri ad conceptum entis, &c. Concedo conſequentiam, & nego falſitatem conſequentis. Ad probationem, cum dicitur, quòd metaphyſicus, &c. Dico, quòd non oportet. CVIVS gratia eſt aduertendum, quòd duo ſunt modi, quibus poſſunt cognoſci ens, & alia tranſcendentia. Vno quidem modo per ſimplicem apprehenſionem primo intellectui in occurrentem. Alio modo per reſolutionem aliorum in ipſa, & aliorum ipſorum in altiſſimas cauſas. Primus modus cognoſcendi, cum non ſit ſcientificus, non pertinet ad aliquã ſcientiã. Et iſto mó, conceptus entis, & aliorum tranſcendentium primo occurrunt intellectui noſtro. Secundus autem modus cognoſcendi eſt ſcientificus: & ideo pertinet ad aliquam ſcientiam, & non ad quancunque; ſed ad ſolam metaphyſicam. Et iſto modo ens, & alia tranſcendentia non cognoſcuntur primo, & immediatè; immò magis ultimo, & mediantibus his, de quibus ſunt ſcientiæ ſpeciales. Quapropter non ſolum non ſequitur metaphyſicam non eſſe primam ordine doctrinæ; immò ſequitur eam eſſe ultimam inter ſcientias humanitus inuentas. Ad tertium, cum dicitur, quòd nõ poteſt dici aliqua ſpecies, &c. Poteſt concedi conſequentia. Et cum dicitur, quòd tunc poneremus multũ de tempore, &c. Dico, quòd cum intellectus noſter nõ tranſeat de uno conceptu ſimplici ad alium conceptũ ſimplicem per diſcurſum; poterit tamen in tempore breuiſsimo, & imperceptibili hoc fieri ſub omnibus iſtis conceptibus propter connexionem, & ſimplicitatem ipſorum: ratio autem imaginatur, quòd non tranſeat intellectus de uno cõceptu ſimplici ad alium, niſi magno tempore interpoſito per diſcurſum, quod non eſt uerum; & ideo nihil concludit. Et hæc de primo articulo.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT ergo ſecundo uidere. Vtrum obiectũ noſtri intellectus ſit quidditas rei materialis, uel ipſum ens? Sicut quærebat ſecundum argumentum.

Ad cuius euidentiam eſt notandum, quod obiectum adæquatum noſtræ potentiæ intellectiuæ intelligitur illud, obiectum, quòd ſic adæquatur potentiæ, quòd non excedit ſuam potentiam, nec exceditur ab ea. ſ. quando nihil eſt infra ambitum obiecti, ad quod non ſe extendat cognitio potentiæ, ſaltem de poſsibili: & quando nihil eſt extra ambitum ipſius, ad quod non ualeat cognitio potentiæ ſe extendere. Et, quòd iſte intellectus de obiecto adæquato ſit uerus, patet per ea, quæ dicta ſunt in ſecunda quęſtione huius libri, ubi quærebatur de ſubiecto huius ſcientiæ.

*D. Tho. ſu per Boeth. de trin. q. 1. ar. 3.*

HOC ERGO præmiſſo, dicunt aliqui doctores, quòd obiectum adæquatum intellectus noſtri ſit quidditas rei materialis. Quod poteſt probari etiã dictis eorum, quinque rationibus. 1 Sic. Obiectum, & potentia debent eſſe proportionata; ſed intellectus noſter eſt coniunctus materiæ in eſſendo, quamuis non in cognoſcendo: quia non utitur organo corporali: ergo eius adæquatum obiectum debet eſſe materiæ coniunctum, quantum ad eſſe; & abſtractum, quantum ad cognoſci. Tale autem obiectum eſt quidditas rei materialis, quæ quantum ad eſſe eſt coniuncta materiæ cum conditionibus materiæ; quantum tamen ad cognoſci, abſtrahit ab eis. 2 Secundum Philoſophum in tertio huius, Intelligentem neceſſe eſt phantaſmata ſpeculari: hoc ſuppoſito, arguitur ſic. Illud ſolum poteſt cognoſci ab intellectu noſtro, quod poteſt in phantaſmate repræſentari, & per conſequens tale erit obiectum adæquatum intellectus noſtri; ſed ſola quidditas rei materialis lucet in phantaſmate: ergo ipſa ſola poterit à nobis cognoſci; & per conſequens erit obiectum adæquatum intellectus noſtri. Minor huius de ſe nota eſt. Maior patet per prædictã auctoritatem Philoſophi. 3 Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu: ergo obiectum adęquatum intellectus noſtri erit quidditas rei materialis. Conſequentia uidetur nota pro tanto: quia cum in ſenſu non cadant, niſi materialia ſola, ſi nihil poteſt eſſe in intellectu, niſi prius fuerit in ſenſu; tantũ erunt in intellectu quidditates rerum materialium; & per conſequens quidditas rei materialis erit obiectũ adæquatum noſtri intellectus. Antecedens eſt Philoſophi in hoc tertio, & in primo poſteriorum dicentis, quòd omnis noſtra cognitio ortum habet à ſenſu.

*tex. c. 39.*

*Elicit. ex tex. c. 39. tex. c. 1.*

4 Illud eſt obiectum adęquatũ intellectus noſtri, quod anima cognoſcit per intellectum; ſed anima tantum cognoſcit per intellectum quidditatem rei materialis: ergo. Maior de ſe nota. Minor patet per Philoſophum in tertio huius dicentem, quòd per aliam potentiam cognoſcit anima quidditatem: quia per intellectum, & per aliam indiuiduum: quia per ſenſum: quia aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe. i. aliud eſt quod quid eſt, & aliud eſt indiuiduum. Ex quibus dictis uidetur uelle Philoſophus, quòd intellectus noſter tantum cognoſcit quidditatem rei materialis, ſiue illius rei, cuius indiuiduum poteſt per ſenſum cognoſci; ſed talis eſt quidditas rei materialis. 5 Qualis eſt ordo cognoſcibilium, talis debet eſſe ordo cognoſcentium; ſed ordo cognoſcibilium talis eſt, quòd quædam habent eſſe ſimpliciter in materia, ut iſta corporalia: quædam uerò abſtracta ſunt à materia per ſe ſubſiſtentia, quæ tamen non ſunt ſuum eſſe, ut ſubſtantiæ incorporeæ: quędam uerò ſunt à materia abſtracta; ſic & per ſe ſubſiſtentia, quòd ſunt ſuum eſſe, ut ipſe deus: ergo eſt dare ordinem in cognoſcentibus. Neceſſe eſt igitur quoddam cognoſcens materialia tantum; hoc autem erit anima noſtra coniuncta materiæ corporis, ut forma, quę per ſenſus cognoſcit in materia indiuiſibili exiſtentia: per intellectũ uerò quidditates materialium, quæ non habent eſſe niſi in materia; non tamen cognoſcuntur, ſecundum quòd ſunt in ea; ſed ſecundum quòd abſtrahuntur ab ea per actum intellectus. Erit ẽt dare aliquod agens, cognoſcens ipſas ſubſtãtias incorporeas, & hoc erit intellectus angelicus. Et oportet inſuper dare intellectum intelligentem, ſiue cognoſcentem naturaliter deitatem; & hic erit intellectus diuinus. Erit igitur obiectum adæquatum intellectus noſtri quidditas rei materialis: aliàs non ſaluaretur debitus ordo inter cognoſcens, & cognoſcibile; quod eſt inconueniens.

*tex. c. 9.*

*Diſtinctio hæc eſt Philoſophi. 6. Metaph. tex. c. 2.*

*Confutatio opin. Diui Thomæ.*

ISTA poſitio nullo modo poteſt ſtare. Et ideo arguo contra eam aliis quinque rationibus, quæ uidentur mihi magis concludere, quàm rationes ipſorũ.

1 Arguitur ſic. Si quidditas rei materialis



eſſet obiectum adæquatum intellectus noſtri; ſequeretur, quòd non poſſet ſe extendere ad aliquod immateriale cognoſcendum; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis apparet per doctrinam traditam à Philoſopho 8. phyſicorum, ubi probat, quòd ſit unus motor, & aliis locis ut 12. metaphyſicę. Conſequentia probatur ſic. Illud, quod ſubterfugit rationem formalem obiecti adæquati intellectus noſtri, illud tale non poteſt ab intellectu noſtro cognoſci; ſed ſi quidditas rei materialis eſſet obiectum adęquatum intellectus noſtri, quodlibet immateriale ſubterfugeret rationem formalem obiecti adæquati: ergo nullum materiale poſſet ab intellectu noſtro cognoſci. Minor huius rationis nota eſt de ſe: quia, quodlibet immateriale ſubterfugit rationem formalem materialitatis. Maior apparet per ea, quæ dicta ſunt de obiecto adæquato: nam ſi intellectus ſe extenderet ad aliquid cognoſcendum, quod ſubterfugeret rationem formalem ſui obiecti adęquati, excederet ipſum; & per conſequẽs obiectum eſſet adęquatum, & inadæquatum, quod implicat.

*tex. c. 78. & 79. tex. c. 41.*

2 Sic. Si obiectum adæquatum noſtri intellectus eſſet quidditas rei materialis; ſequeretur, quòd ſubiectum in metaphyſica eſſet quidditas rei materialis, uel aliquid contentum ſub quidditate rei materialis; conſequens eſt impoſsibile: ergo. Falſitas conſequentis apparet: quia ſi ſubiectum metaphyſicæ eſſet quidditas rei materialis, metaphyſica eẽt phyſica: quia phyſica ſufficienter determinat de huiuſmodi quidditatibus; hoc autem falſum eſt. Item patet hoc idẽ per eos: ipſi enim dicunt, quòd ſubiectum in metaphyſica eſt ens, inquantum ens: non ergo poterit eſſe quidditas rei materialis, uel aliquid contentum ſub ea. Conſequentia probatur ſic. Nullus habitus exiſtens in intellectu noſtro ſubiectiuè, poteſt excedere obiectiuè obiectum adæquatum noſtræ potentiæ intellectiuę; ſed habitus metaphyſicalis conſiſtit in intellectu noſtro ſubiectiuè: ergo non poterit excedere obiectiuè obiectum intellectus noſtri. Erit igitur obiectum, uel quidditas rei materialis, uel aliquid contẽtum ſub ea. Minor de ſe nota. Maior probatur: nam ſubiectum habitus exiſtentis in nobis, cognoſcitur ab intellectu noſtro, ut ſit de conſideratione talis habitus: & ſi excederet obiectum noſtri intellectus adæquatum; non poſſet à nobis cognoſci; & per conſequens cognoſceretur, & non cognoſceretur; quod implicat. 3 Nulla potentia per aliquem actum poſitiuum fertur in obiectum oppoſitum ſui obiecti adæquati: hoc patet, uiſus non fertur in tenebram per aliquem actum poſitiuum, nec auditus in ſilentium; ſed intellectus noſter fertur per actum diſcurſiuum in ſubſtantias immateriales, ut patet in proceſſu Ariſt. per totam metaphyſicam: ergo obiectum intellectus noſtri coniuncti non poteſt eſſe quod quid eſt, ſiue quidditas rei materialis.

4 Nulla uirtus cognitiua poteſt naturaliter eleuari ad cognoſcendum aliquod ſuperius ad ſuum obiectum formale, & adæquatum, inquantum ſuperius eſt; ſed intellectus noſter coniunctus eleuatur naturaliter, & attingit ad rationem aliquam ſuperiorem, & ad aliquid ſuperius, quàm ſit quidditas rei materialis, inquantum ſuperius eſt ad ipſam: ergo quidditas rei materialis non erit obiectum adæquatum intellectus noſtri. Maior patet ex terminis: nam uirtus, quę naturaliter extenditur, & attingit aliquam rationem ſuperiorem, inquantum ſuperior eſt, naturaliter etiam attingit, & attingitur ꝑ aliud per ſe contentũ ſub illa ratione communi, ſiue ſuperiori. Nam quicquid competit alicui, in quantum tale, omni tali competit. Si ergo attingi à potentia competit ſuperiori, inquantum ſuperius eſt, neceſſariò competit per ſe omni contento ſub illo ſuperiori; & per conſequens nullum contentũ ſub illo ſuperiori adæquabit capacitatem illius potentiæ. Viſus enim, quia extenditur naturaliter ad rationem coloris, inquantum color eſt, attingit etiam ad rationem albedinis, & nigredinis; & nullum iſtorum per conſequens eſt obiectum adæquatum potentiæ uiſiuæ. Patet igitur. Maior. Minor eſt nota cuilibet philoſophãti: attingit enim intellectus noſter cõiunctus ad rationem entis ſimpliciter, inquantum ens eſt, ut patet 8. metaphyſicæ: ratio autem entis, inquantum ens, eſt ſuperior ad quidditatem rerum materialium, & immaterialium. Conſiderat etiam intellectus noſter ſubſtantiam ſimpliciter, quæ ſe habet in plus, quam materialis ſubſtantia; cum ſubſtantia, prout eſt unum de decem prędicamentis, ſit genus tam ad ſubſtantias corporeas, quàm ad ſubſtantias incorporeas, ſeu immateriales: & ut ſic, pertinet ad conſiderationem metaphyſici. 5 Et ultimo quæro, quid intelligunt per quidditatem rei materialis, uel intelligunt tantum quidditatem rei materialis habẽtis materiam ex qua, uel intelligunt quidditatem rei materialis habentis materiam in qua, uel intelligunt indifferenter quidditatem rei habentis materiam in qua, & ex qua: hoc patet per ſufficientem diuiſionem. Non poteſt dici primum; cum anima noſtra nõ habeat materiam ex qua, nec intellectus ipſe, nec actus eius: nam intellectus noſter non ſe extenderet ad ipſorum cognitionem, quod patet euidenter falſum; cum de talibus Philoſophus tradat nobis ſcientiam in hoc tertio. Nec poteſt dari ſecundum: quia tunc intellectus noſter non poſſet cognoſcere aliquam ſubſtantiam materialem compoſitam ex forma, & materia; cum nullũ tale habeat materiam in qua, quod patet eſſe falſum per eos. Non poteſt dici tertium: quia non daretur ab eis, ut credo, cum multa de ſubſtantiis incorporeis ſcientificè, & demonſtratiuè cognoſcamus, ut patet per Philoſophum, & Commentatorem, & Algazelem, & alios Philoſophos qui doctrinam metaphyſicalem nobis tradiderunt, in qua multa de huiuſmodi ſubſtantiis ſeparatis in diuerſis libris, multas concluſiones diſputant, & determinant. Peto ergo ab eis, aut habuerunt aliquam notitiam de ſubſtantiis prædictis, aut non. Si ſic; mirabile uidetur, cum non cadant ſuo ſubiecto adęquato intellectus noſtri, cum non ualeat ſe extendere ad aliquid, quod eſt extra ambitum ſui obiecti adæquati, ut patet ex dictis in principio huius articuli. Primo ſic dicentes expreſsè concedunt contradictoria. Si uero dicant de huiuſmodi ſubſtantijs nullam penitus habere notitiam, uidentur pro certo aliqualiter excuſari; ſed quæſtiones, quas de eis diſputant, & determinant penitus nihil ualent: loquuntur enim de eis à caſu, & à fortuna: & neſciunt, quid dicunt; cum nullam notitiam de talibus habuerunt: & ſic dicentes, aſsimilantur illis, qui negando loquelam, loquuntur. Non igitur uidetur poſitio illa aliquo modo poſsibilis; nec motiua eorum uidentur concludere: ideo reſpondeo per ordinem ad prædicta.

*tex. c. 5.*

*Solutio rationum Diui Thomæ.*

AD PRIMVM cum dicebatur, quòd obiectum, & potentia dicuntur proportionari. Dico, quòd inter ſubiectum; & ſciam, obiectum, & potẽtiã non debet eſſe proportio, quæ fundatur ſuper ſimili modo eſſendi: aliàs; cum intellectus noſter ſit accidens, nõ niſi ſola accidentia cognoſceret: & cum intellectus diuinus ſit purus actus; tantum ſe ipſum cognoſceret, & nihil cognoſceret extra ſe, cuius contrarium ipſi dicunt; immò, quòd plus eſt, anima Beati unita corpori glorificato, non poſſet uidere eſſentiam diuinam; quod nõ ſolum eſt falſum; immo erroneum. Nõ ergo debet fundari hæc proportio ſuper ſimili modo eſſendi, ut imaginabatur ratio prædicta. Sed debet dicta proportio fundari ſuper adæquatione neceſſariò requiſita inter potentiam, & obiectũ, quæ attenditur penes hoc, quòd potentia ad nihil ſe poteſt extendere, in quo non recipiatur ratio formalis ſui obiecti adæquati, & econuerſo: in nullo reperiatur ratio formalis obiecti, ad quod non ſe extendat potentia, uel de facto, uel de poſsibili. Hæc ergo proportio, quæ dicitur adęquatio cuiuſdam ambitus, requiritur inter obiectum, & potentiam: & nõ illa, quam ipſi imaginantur. Et ideo ratio non concludit.

dit. Ad ſecundum, cum dicitur. quòd intelligentẽ neceſſe eſt phantaſmata, &c. Poteſt reſponderi dupliciter. 1 Nam qui uellet tenere cum Commentatore, & Gotfredo, quod ſubſtãtiæ ſeparatæ cognoſcũtur à nobis quidditatiuè, ſicut probat Cõmentator ſecundo Metaphyſicæ, exponens illam partem, uidelicet, quod intellectus noſter ſe habet, ſicut oculus noctuæ. Etiã exponit dictam auctoritatẽ de difficili, nõ tamen de impoſsibili. Et Gotfredus probat hoc idẽ. Reſpondet ergo in quolib. & dicit, quòd neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari in prima intellectione, non autem in omni: quia intellectus noſter ſuppoſita cognitione aliquorum, multa poteſt argumentatiuè, & inquiſitiuè cognoſcere, quæ non repræſentantur in phantaſmate. Et ideo ſecundum iſtam uiã rõ nihil concluderet. 2 Vel põt dici ſequẽdo uiam doctoris noſtri. ſ. quòd ſubſtantiæ ſeparatæ non cognoſcuntur à nobis quidditatiuè in hac uita, quòd non obſtante hoc, per abſtractionem ab ipſis materialibus poſſumus habere conceptum ſuperiorem ad cõceptus rerum materialium, & immaterialium: poſſumus enim habere conceptum entis, quæcunque ſit unitas ipſius, ſiue æquiuocationis, ſiue uniuocationis, ſiue analogię. Poſſumus etiam habere cõceptum ſimpliciter de ſubſtantia, quæ eſt communis ſubſtantiis corporeis, & incorporeis, quibus habitis impoſsibile eſt ponere obiectum adęquatum intellectus noſtri quidditatem rei materialis, ſicut probat quarta ratio adducta contra eos: & ideo non concludit.

*Com. 1.*

*Quodlib. 5. q. 10.*

*2. Metaph. 9. 9. 1. ſent. d. 3. q. 1. Quodlib. 1. q. 17.*

Ad tertium, cum dicitur, quòd nihil eſt in intellectu, quin prius, &c. Si intelligatur abſolutè, quòd nihil ſit in intellectu per ſe, quin per ſe prius fuerit in ſenſu; falſum eſt euidentet: quia cum nulla ſubſtantia cadat per ſe ſub obiecto ſenſus, nulla ſubſtantia cognoſcetur ab intellectu, cuius oppoſitum ipſi dicunt. Quod eſt ergo in intellectu; ſufficit, quòd ſit per ſe, uel per accidẽs, uel per ſuas partes, uel per ſuos effectus, uel multis aliis modis. Subſtantiæ. n. ſeparatæ ſolum ſunt in ſenſu per ſuos effectus: ideo poſſunt cognoſci ab intellectu noſtro coniũcto. Ad quartum, cum dicitur, illud eſt obiectum adæquatum &c. Concedo Maiorẽ, & nego Minorem. Et cum allegant Philoſophum in tertio de anima dicẽtem, quòd per intellectum cognoſcimus quidditatem, &c. quia aliud eſt magnitudo, & & magnitudinis eſſe. Dico, quòd nunquàm fuit intẽtio Philoſophi, quòd obiectum intellectus noſtri adæquatum eſſet quidditas rei materialis; immò totum oppoſitum: ipſe enim dicit, quòd in quibuſdam eſt aliud quidditas, & indiuiduum: quia aliud eſt aqua, & aliud aquæ eſſe: in quibuſdam uerò nõ eſt aliud; ſed illud eſt quod quid eſt, & ipſum, cuius eſt. Exponentes autem hoc uerbum; dicunt, quòd in materialibus aliud eſt, ꝙ quid eſt, & ipſum, cuius eſt: in immaterialibus autem idem. Vult ergo Philoſophus, quòd in his, in quibus differt quidditas, & cuius eſt quidditas per intellectum cognoſcimus quidditatem, & per aliam uirtutem ipſum indiuiduum. Sed nunquam propter hoc fuit intentio ſua, quòd cognoſcatur à nobis quidditas rei immaterialis; immò totum oppoſitum apparet: ex quo uult, quòd in illis idẽ eſt quidditas, ſiue quòd quid eſt, & illud, cuius eſt. Ratio ergo non ſolum non conuincit; immò imponit Philoſopho oppoſitum eius, quod ipſe intendit. Ad ultimam, cum dicitur, quòd qualis eſt ordo cognoſcibilium; talis eſt ordo cognoſcẽtium. Si intelligitur, quantum ad eſſe, patet eſſe totaliter falſum ex ſolutione primæ rationis: quia tunc deus non cognoſceret creaturas: nec ſubſtantiæ ſeparatæ res materiales: nec anima unita corpori glorificato poſſet cognoſcere deum ipſum, quę omnia ſunt erronea. Rationes igitur prædictæ nihil uidentur concludere. Et ideo hanc poſitionem reputo impoſſibilem.

*Vide D. Thom. in exp. tex. c. 9.*

*Opinio Scoti in 1. ſent. diſt. 3. q. 3.*

EST ALIVS modus dicendi aliorum doctorum, qui dicunt, quòd ens, inquantum ens, in tota ſua communitate eſt obiectum adęquatum intellectus noſtri. Quod ſic ab eiſdẽ probatur. De ratione obiecti adæquati intellectus eſt, quòd habeat tantam cõitatẽ, quòd ratio eius includatur in omnibus intelligibilibus; ſolum aũt ens, inquãtum ens, eſt huiuſmodi: ergo. Maior nota eſt ex terminis. Minor probatur. Nam omnia intelligibilia includũt rationem entis formaliter, uel uirtualiter. Formaliter uerò includunt rõnem entis omnia illa, de quibus prædicatur in quid: prædicatur autem in quid de ente creato, & increato, quod diuiditur in decem prædicamenta; & per conſequens de ſpeciebus, & indiuiduis. x. generum: quia in iſta deſcendit per ſe ſecundum rectam lineam: uirtualiter autem includunt rationẽ entis eius paſsiones, & ultimæ differentiæ. Quòd enim ens non prædicetur in quid de differentiis ultimis, & paſsionibus tranſcendenter probat. Et primo de paſsionibus. Quia prædicatio in quid non poteſt eſſe per accidens; ſubiectum autem prędicatur de ſuis paſsionis per accidẽs: eo, quòd paſsio prędicatur de ſubiecto per ſe in ſecundo modo: prędicationes autem per ſe non conuertuntur, ſicut patet primo Poſteriorum: ſubiectum autẽ prędicabitur de ſuis paſsionibus per accidens: & per conſequens non in quid. Quòd etiam non prædicetur in quid de ultimis differentijs probatur. Quia ultimæ differentię habent conceptum ſimplicem, & non reſolubilem in diuerſos. Si tamen reciperent prædicationem entis in quid, poſſent reſolui in diuerſos conceptus. ſ. in conceptum cõmunem determinabilem, & conceptum ſpecialem & determinantem. In iſtis ergo omnibus ſecundum iſtos, quàmuis non includatur ratio entis formaliter, ſiue eſſentialiter: quia non recipiunt prædicationem eius in quid; includitur tamen uirtualiter in eis. Vel quia in ipſo includitur includente rationem entis eſſentialiter. Vel in ipſo met ente uirtualiter. Primo mõ includuntur ultimæ dñæ in ente: quia includuntur eſſentialiter in ipſis ſpeciebus includentibus rationem entis eſſentialiter, & formaliter. Alio modo includuntur ipſe paſsiones in ipſo met ente, & in partibus eius uirtualiter. Et ideo concludunt iſti doctores, quòd nihil eſt, quod habeat tantam communitatem ad ipſa intelligibilia, ſicut ens: propter quod ipſum ſolum poteſt poni obiectum adæquatum noſtri intellectus. Et dicũt ulterius, quòd niſi ens eſſet unius rationis ad omnia, de quibus dicitur; non poſſemus aſsignare intellectui aliquod obiectum adęquatum primum.

*Vide Aegi. quodlib. 4. q. 10.*

*tex. c. 9.*

*Confutatio opin. Scoti contra concluſionem.*

ISTA poſitio deficit in ſe, & in ſuis fundamentis. Deficit quidẽ in ſe: quia nullã diſtinctionem ponit in ente, ſm ꝙ eſt obiectum intellectus noſtri, & intellectus diuini quod uidetur totaliter impoſsibile. Deficit etiã in ſuis fundamentis multipliciter. Primo, quia ponit ens habere differentias, per quas deſcendit in iſta ſpecialia.

Secundo, quia ponit, quòd ens non prædicatur quidditatiuè de huiuſmodi paſsionibus, & differentiis tranſcendenter. Tertio quia dicit ens unius eſſe rationis ad deum, & creaturas, & ad omnia, de quibus dicit.

ARGVO igitur primo contra concluſionem in ſe quadrupliciter. 1 Sic. Illud non eſt obiectum adęquatum intellectus noſtri, quod excedit improportionabiliter capacitatem ipſius; ſed ens in tota ſua latitudine, ut dicitur de deo, & creaturis, excedit improportionabiliter capacitatem intellectus noſtri: quare, &c. Maior eſt nota ex terminis. Minorem probo ſic. Illud, quod adæquat capacitatem intellectus diuini excedit improportionabiliter capacitatẽ intellectus noſtri; ſed ens in tota ſua latitudine, ut dicitur de deo, & creaturis, adæquat capacitatem intellectus diuini: ergo. Maior nota: quia intellectus diuinus excedit improportionabiliter intellectum noſtrum, ſicut infinitum excedit finitum. Poterit etiam. Maior probari ſic. Quandocunque aliqui duo intellectus ſe habent per modum excedentis, & exceſsi; quicquid adæquat capacitatem excedentis, excedit de neceſsitate capacitatem illius exceſsi; ſed ſic ſe habent intellectus diuinus, & humanus: ergo quicquid adæquat capacitatem intel-



lectus diuini excedit capacitatẽ intellectus humani. Et ſic patet Maior. Minor de ſe nota: quia ens, inquantum ens, in tota ſua latitudine continet ſub ſe ens finitum, & infinitum; & omnis uirtutes poſsibiles ſcire de toto ente. Et quia extra totum ens nihil eſt: ideo intellectus diuinus non ſe extendit ad aliquid aliud. Et per conſequens ens in ſua latitudine adæquat capacitatẽ intellectus diuini. Et ſic patet Minor; & per conſequens tota ratio.

*Euaſio friuola.*

NEC VALET, ſi dicatur ad iſtam rationem, quòd ens in tota ſua latitudine non adæquat capacitatem intellectus diuini, quàmuis adæquet capacitatem intellectus humani: quia intellectus diuinus non ſolum cognoſcit diuinam eſſentiam, uel etiam entia creata; ſed adhuc ulterius cognoſcit poſſibilia creari. Et per conſequens capacitas ipſius non ſolum ſe extendit ad ipſum ens, ſed ad non ens.

*Solutio Camilli.*

*Quodlib. 1. q. 13. 14.*

ISTA euaſio nihil omnino ſoluit rationem. Primo, quia iſte met doctor ſequendo uiam doc. noſtri fratris Iacobi Viterb. dicit poſsibilia creari ab æterno, habere entitatem aliquam diſtinctam ab ab entitate diuina; & per conſequens cadunt ſub obiecto adæquato noſtri intellectus: cum tale ſecundũ eos ſit ens in tota ſua latitudine. Iſta igitur euaſio, uel contradicit dictis eorum; uel aſſumit totaliter falſum. Præterea ſuppoſito, quòd creatura ante ſui creationem ſit totaliter nihil, ſicut eſt in rei ueritate, adhuc euaſio nulla eſſet. Nam hoc ſuppoſito, uel diuina cognitio, qua cognoſcitur creatura producibilis, terminatur ad ipſam, uel ad ipſam eſſentiam diuinam, in qua ſufficienter repræſentantur non ſolum facta; ſed etiam poſsibilia fieri. Primum non poteſt dari: quia, quod nullo modo eſt, non poteſt terminare cognitionem aliquã: quia eſſe terminum cognitionis alicuius, præſupponit eſſe: relinquitur ergo ſecundum. ſ. quòd talis cognitio terminetur ad diuinam eſſentiam, in qua omnia facta, & poſsibilia fieri repræſentantur. Iſto modo intellectus noſter poterit cognoſcere non ſolum creata; ſed etiam poſsibilia creari: nam cũ diuina eſſentia cadat ſub eius obiecto adæquato; poterit eam intellectus cognoſcere omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt; & per conſequens cognoſcet in ea non ſolum facta; ſed etiam poſſibilia fieri, quod falſum eſt, & impoſsibile: iſta igitur reſponſio nullo modo ſoluit rationem, & per conſequens remanet in uirtute ſua. 2 Ad principale arguitur ſic. Si obiectum adæquatum intellectus noſtri eſſet ens in ſua communitate ſine reſtrictione aliqua; ſequeretur, quòd intellectus noſter poſſet cognoſcere diuinam eſſentiam infinitam ſub ratione infinita; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet: quia ſub ente ſic uniuerſaliter ſumpto continetur diuina eſſentia ſecundum ſuam infinitatem. Et cum potentia ſe extendat ad omne contentum ſub ſuo obiecto adæquato; ſequeretur, quòd intellectus noſter cognoſceret infinitum ſub ratione infiniti. Falſitas conſequẽtis probatur: nam cum potentia recipiat ſpeciem, & nobilitatem ex obiecto adæquato formaliter ſumpto; ſicut ſcientia ex ſubiecto. Sicut probatũ eſt in quæſtion. ſupra. Secundũ hmõdi dictũ, ſequeretur, ꝙ intellectus noſter eſſet uirtus, ſiue potentia infinita: quia tenderet in obiectum infinitum ſub ratione infinita: hoc autem eſt falſum, & impoſsibile: ergo. 3 Si ens, inquantum ens, eſſet obiectum adæquatum noſtri intellectus; ſequeretur, quòd obiectum cognoſcibile infinitum ſub ratione cognoſcibili infinita non poſſet adæquare uirtutem cognitiuam noſtri intellectus; conſequens eſt falſum; immò implicat: ergo. Falſitas conſequentis probatur: quia ſi obiectum cognoſcibile infinitum ſub ratione cognoſcibili infinita non poſſet adæquare uirtutem cognitiuam intellectus noſtri finitam excederetur ab ea; & per conſequens non eſſet obiectũ infinitum ſub ratione infinita: quia repugnat infinito ſub ratione infinita excedi à finito. Virtus etiam cognitiua, quæ ponitur, finita eſſet neceſſariò infinita: quia impoſsibile eſt aliquod finitũ excedere infinitum ſub ratione infinita: conſequens igitur implicat duplicem contradictionem. Conſequentia probatur: quia nullũ ſub obiecto adæquato contentum alicuius potentiæ adæquat capacitatem illius potentiæ: albedo enim nõ poteſt adæquare potentiam uiſiuam. Sed ſi ens in tota ſua communitate eſſet obiectum adæquatum noſtri intellectus, ſub eo contineretur obiectum infinitũ ſub ratione infinita etiam per eos: quia ſub ente ſic ſumpto contineretur finitum, & infinitum ſub ratione finita, & infinita; & per conſequens obiectum cognoſcibile infinitum ſub ratione cognoſcibili infinita non adæquaret uirtutem cognitiuam noſtri intellectus, quę eſt finita, & limitata. 4 Si ens inquantum ens eſſet obiectum adæquatum noſtri intellectus; ſequeretur, quòd eſſet dare potentiam paſsiuam naturalem, cui non reſponderet potentia actiua naturalis; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet, quia ſecũdum uiam iſtius opinionis intellectus noſter eſt in potentia naturali paſsiua ad recipiendum uirtutes totius entis; alioquin non haberet pro obiecto adæquato ipſum ens ſine reſtrictione aliqua. Conſtat tamẽ ex alia parte, quòd non poteſt recipere ueritates theologicas purè, ſaltim per purè potentiam naturalem actiuam. Eſt ergo dare potentiam paſsiuam naturalem, cui non reſpondet potentia actiua naturalis; ſed falſitas conſequentis patet per Commentatorem: nam ſi eſſet dare potentiam paſsiuam naturalem, cui non reſponderet potentia actiua naturalis: talis enim potentia eſſet fruſtra. Deus autem, & natura nihil faciunt fruſtra: ergo, &c. Patet etiam aliter falſitas conſequentis: quia potẽtia paſsiua naturalis dicitur correlatiuè ad potentiam actiuam naturalem; & non ad ſupernaturalem: ergo poſita potentia paſsiua naturali; neceſſariò patet ponere potentiam actiuam naturalem ſibi correſpondentem: quia impoſsibile eſt in rerum natura dare relatiuum ſine correlatiuo ſuo ſecundum Philoſophum in prędicamentis. Deficit ergo opinio hæc in ſe, ſcilicet, in concluſione.

*9. Metaph. Com. 11. 1. cæl. tex. c. 32. Secundo cæl. tex. 50. 59. ter. de anima tex. c. 43. Secundo Metaph. Com. 1. tertio de part. animal. cap. 1. Cap. Ad aliquid.*

*Confutatio eũdem opi. quoad fundamenta.*

*tex. c. 12. 13. 14.*

DEFICIT ulterius in ſuis fundamentis. Primo, quia dicit ens habere differentias, quod eſt expreſsè contra intentionem Philoſophi in. x. metaphyſicè, ubi dicit oppoſitum. Et etiam probat dicens, quòd ſi ens haberet differentias; cum differentiæ ſint extra rationem generis, differentiæ entis eſſent nihil, quòd eſt impoſsibile: impoſsibile eſt ergo ens habere differẽtias. 2 Vlterius. Si ens haberet differentias eſſet genus; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequẽtia probatur: quia illud, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, in eo quòd quid uniuocè, & diuiditur per differentias conſtitutiuas illarum ſpecierum, de quibus prędicatur in quid, ſiue quidditatiuè tantum, & nõ per accidens, & denominatiuè, eſt genus: hæc patet: iſta enim, & non plura uidentur eſſe de ratione generis, ſecundum intentionem Philoſophi, & Commentatoris; ſed ſecũdum uiam illius opinionis ens eſt huiuſmodi: ergo. Primum igitur fundamentum non poteſt ſtare.

*Confutatio 2. fundamenti.*

SECVNDVM uerò eſt impoſsibile omnino. ſ. quòd ens non prædicetur uniuocè, & in quid de paſsionibus tranſcendenter, & differentiis huiuſmodi, ſi eſſent. Arguo cõtra hoc tripliciter. 1 Sic. Cuius quidditas eſt uerè entitas, illud eſt quidditatiuè ens; ſed quidditas cuiuſcunque paſsionis tranſcendentis eſt uerè ens, ſiue entitas: ergo. Maior eſt nota ex terminis. Nam dicit Aug. quòd quidditas eſt humanitas. i. quidditatiuè homo: ergo cuius quidditas eſt uera entitas, illud eſt quidditatiuè ens. Minor probatur: nã quidditas paſsionis. Vel eſt aliqua entitas, uel non. Si ſic: ergo habetur propoſitum. Si non: ergo totaliter nihil: quia quod non eſt totaliter entitas, nihil eſt.

ET confirmatur: quia quidditas illius paſsionis, uel eſt aliquid, uel nihil. Si aliquid: ergo aliqua entitas. Si nihil: ergo loquuntur de nihilo. 2 Illud, per quod conuenienter reſpondetur ad interrogationem factam per quid, prædicatur in quid; ſed ſi quæratur,

ratur, quid eſt uoluntas. Et ſic de quacunque paſsione trãſcendente, conuenienter reſpondetur: quoniam ens: ergo. Tota ratio patet ex terminis. 3 Vel ens prædicatur de huiuſmodi paſsionibus aliquo modo, uel non. Si non: ergo ſunt totaliter nihil. Si ſic. Aut quidditatiuè, & per ſe. Aut determinatiuè, & per accidens. Non ſecundo modo: ergo primo. Aſſumptum probatur. Illa, quæ prædicantur de ſe inuicem in abſtracto non prædicantur denominatiuè, & per accidens. Iſta enim eſt falſa, homo eſt albedo: quia albedo ſolũ prædicatur de homine denominatiuè, & per accidens: ideo ſolum prædicatur de eo in concreto, dicendo homo eſt albus; ſed ens prædicatur de paſsionibus tranſcendentibus, non ſolum in concreto; ſed in abſtracto: quia iſta eſt uera, ueritas eſt entitas, & bonitas eſt entitas: ergo ſecundum fundamentum eſt omnino impoſsibile.

*Confutatio 3. fundamenti.* TERTIVM etiam eſt ſimpliciter falſum. ſ. quòd ens ſit unius rationis ad deum, & creaturas: uerum quia hoc fuit improbatum ſuperius, quæſtione tertia primi libri, articulo ſecundo: idcirco ad præſens dimitto.

*Solutio rationum Scoti.* RESTAT ERGO reſpondere ad rationes huius doctoris. Quando dicitur, quòd de ratione obiecti adęquati eſt, quòd habeat tantam communitatem, &c. Dico, quòd uerum eſt. Sed cum hoc ſequitur, quòd ſit adæquatum ſic, quòd ſicut non ſe habet in minus; etiam non ſe habeat in plus: aliàs non haberet obiectum adæquatum. Vnde quàmuis ſenſibile ſit tantæ communitatis, quòd eius ratio reperitur in omni uiſibili, non dicetur tamen obiectum adæquatum uiſus; quia licet ratio ſenſibilis includatur in omni ſenſibili, cũ omne uiſibile ſit ſenſibile; attamen habet ſe in plus, quàm uiſibile. Et hinc eſt, quod ſenſibile non eſt obiectum adæquatum uiſus: ſic eſt in propoſito. Quòd licet omne, quod cognoſcitur à nobis ſit ens; non tamen omne ens ſub quacunque ratione cognoſcẽdi poteſt à nobis cognoſci, ut ſtatim declarabitur: oportet ergo ponere aliquam reſtrictionem in ente ad hoc, quòd ſit obiectum adæquatum intellectui, quòd etiam aſſumitur in Minori. ſ. quòd ens prædicatur in quid de paſsionibus tranſcendentibus, & differentijs ultimis. Patet non eſſe uerum, ut probatum fuit, nec probationes conuincũt. Non quidẽ prima, quæ probat, ꝙ ens non prędicatur de huiuſmodi paſsionibus per accidens; immò per ſe. Et cum probabitur: quia prædicationes per ſe non conuertuntur. Poteſt dici, quòd iſta propoſitio ueritatem habet in his, quę differũt realiter. Verũ, quia propria paſsio diſtinguitur realiter à ſuo ſubiecto: ideo propria paſsio prędicatur per ſe in ſecundo modo de ſuo ſubiecto. Verum eſt: quia ſubiectum prædicatur de ipſa per accidens tantum: nõ ſic eſt in propoſito: quia paſsiones tranſcendentes ſunt ęædem realiter cum ente: & ideo neceſſariò recipiunt prædicationem ipſius per ſe. Vel poteſt dici, quòd iſta propoſitio ueritatem habet in eodem genere prædicationis. Vnde ſi. A. prædicatur de. B. in ſecundo modo per ſe. B. nõ prędicabitur de. A. in eodem modo dicendi per ſe; poterit tamen prædicari in primo modo, uel aliquo aliorum. Et ſic eſt in propoſito: quia paſsiones tranſcendẽtes prædicantur de ente in ſecundo modo; ens autem prædicatur de eis in primo modo: quia eſt de quidditate ipſarum: aliàs eſſent neceſſariò nihil, ut dictum eſt. Prima igitur probatio non conuincit, nec etiam ſecunda, quę nititur hoc idẽ probare de ultimis differentijs: quia ſupponit ens habere differentias; hæc autem omnia ſunt contra Philoſophum; immò probatio non ſolum probat intentum; immò ſupponit, quod deberet probare: igitur iſtam poſitionem, ſicut præcedentem non reputo ueram.

*Pulchra diſtinctio de obiecto.* ET IDEO quantum ad iſtum articulum uidetur mihi aliter dicendum. Cuius gratia eſt notãdum, quòd obiectum reſpectu alicuius potentiæ poteſt accipi quadrupliciter. ſ. motiuè; denominatiuè: terminatiuè: & prędicatiuè. *Obiectum.* Primo quidem obiectum accipitur motiuè, & ſic dicitur obiectum illud, cui competit formalis ratio motiua potentiæ: quia mouet potẽtiam ad actum ſuum. *Motiuè.* Et iſto modo quilibet color particularis dicitur obiectum uiſus: quia ſe ipſo quilibet formaliter, & non per aliquid ſuperadditum mouet uiſum ad actum uidendi. Secundo uerò dicitur obiectum terminatiuè; & ſic dicitur obiectum illud, cui competit ratio terminatiua potentiæ: quia terminat actum potentiæ, quæcunque ſit illa. *Terminatiuè.* Et iſto modo quæ uidentur, terminant actum uiſus. Tertio modo dicitur obiectum denominatiuè, & ſic uiſibile dicitur obiectum uiſus: nõ quia uiſibile moueat uiſum: ſed quia ratio motiua denominatur uiſibilis, inquantum mouet, uel eſt apta nata mouere uiſum. *Denominatiuè.* Et eſt prædicatio in ſecũdo modo dicendi per ſe: color enim eſt uiſibilis; ſicut patet per Philoſophum, & Commentatorem in ſecundo huius. *tex. c. 66.* Quarto, & ultimo, ut ad præſens ſpectat, dicitur obiectum prædicatiuè aliquid commune, quod de omnibus motiuis rationibus prædicatur adæquatè; ſicut color de omnibus mouentibus uiſum prædicatur. *Prædicatiuè.*

HIS ERGO uiſis, uel ſuppoſitis pono per ordinem ſex concluſiones. Prima eſt, quòd quælibet entitas poſitiua eſt ratio formalis motiua intellectus noſtri. Secunda eſt, quòd idem ſub eadem ratione formali mouet intellectum ad intelligendum, & terminat eius actum. Tertio eſt, quę ſequitur ad iſtas, quòd quælibet entitas poſitiua eſt ſe ipſa formalis ratio terminatiua actus intelligendi. Quarta eſt, quòd uerum eſt denominatiuè obiectum intellectus noſtri. Quinta eſt, quòd nihil contentum ſub ente poteſt eſſe obiectum adęquatum intellectus noſtri adęquatione prædicationis. Sexta eſt, quòd ens in tota ſua latitudine, ſub ratione tamen cognoſcibili finita, & limitata eſt obiectum adæquatũ intellectus, noſtri adæquatione prędicationis.

PRIMAM concluſionem probo ad pręſens dupliciter. 1 Sic. Illi, cui conuenit intellectũ mouere per ſe, diſtinctum contra per accidens, & cõtra per aliud, eſt formalis ratio motiua intellectus ad intelligendum; quælibet entitas poſitiua eſt huiuſmodi: ergo. Maior uidetur nota pro tanto: quia formali rationi motiuę hoc conuenit, ut nec per aliud moueat, nec per accidens. Minor patet: quia inter omnes entitates poſitiuas intellectus ponit diſtinctionem, quod facere non poſſet, niſi quamlibet attingeret, & à qualibet moueretur per ſe, & immediatè. Nulla enim potentia ponit diſtinctionem inter illa, quæ attingit per accidens, ſiue per aliud: ergo, &c. Secundo non magis intimè, & immediatè fertur uiſus in uiſa, quàm intellectus in intellecta; ſed uiſus fertur in proprios colores, & mouetur ab eis per proprias rationes ipſorũ: quia non mouet particularis albedo per rationem ſpecificam albedinis, uel per rationem generis, quod eſt color; ſed per ſuam propriam, & ſingularem naturam: ergo multo fortius intellectus mouebitur à proprijs entibus poſitiuis rerum immediatè. ET confirmatur per Ariſtotilem tertio huius dicentem, quòd oportet intellectum eſſe immixtum, & denudatum: nõ ut imperet, ſicut dicebat Anaxagoras; ſed quoniam omnia intelligit. *tex. c. 4.* Ex quo patet, quòd intellectꝰ perficitur per omnia, & per conſequens omnia ſub proprijs rationibus mouent ipſum: aliàs non oporteret ab omnibus rationibus denudari. EST TAMEN hic aduertẽdum, quòd mouere accipitur hic largè, ſiue communiter: non enim mouetur intellectus effectiuè ab obiecto naturali cognoſcibili; ſed ſolũ, ut à materia circa quã, ut in ſequentibus apertius apparebit. SECVNDAM concluſionem probo dupliciter. 1 Sic. Obiectum mouet intellectum ad intelligendum ſecundum illam rationem, ſecundum quam fundatur in phantaſmate; ſed ſecundum rationem, ſecundum quam terminat actum intelligendi, præſentatur in phãtaſmate: ergo. Maior patet: quia phantaſma comparatur dupliciter, ut eſt res: & ut eſt ſimilitudo obiecti: ut res eſt,



res eſt, non mouet intellectum ad intellectionem obiecti; ſed ſolum, ut eſt ſimilitudo ipſius. Et ideo obiectum per illam rationem ſecundum quam phantaſma eſt ſimilitudo ipſius mouet intellectum ad intelligendum. Minor probatur: quia re corrupta ſecundum eſſe reale extra animam, terminatur actus intelligendi ad rem ſecundum eſſe ſimilitudinarium, quod habet in ſuo repreſentatiuo: quia nõ poteſt dari reſpectus actualis ſine termino actuali; & per conſequens res extra animam exiſtens, terminat actum intelligendi ſecundum rationem, per quam, in phantaſmate præſentatur; quare, &c. Secundo. Sicut ſe habet obiectum ſenſibile ad ſenſum, ita obiectum intelligibile ad intellectum ſecundum Philoſophum tertio huius. *Tex. c. 3.* Sed obiectum ſenſus per eandem rationem formalem mouet ſenſum, & terminat eius actum, ut patet ad ſenſum de obiecto uiſus: quare. TERTIA patet ex dictis, & per rationes probantes primam concluſionẽ. Apparet enim ex dictis: nam obiectum ſub eadem ratione formali mouet, intellectum ad intelligendum, & terminat eius actum per ſecundam propoſitionem. Etiam quælibet entitas poſitiua mouet intellectum ſe ipſa formaliter ad intelligendum per primam rationem: ergo quælibet entitas poſitiua ſe ipſa formaliter terminat eius actum. Apparet etiam iſta concluſio per rationes probantes primam cõcluſionem ſolum, quòd ubi ponitur in eis mouere, ponitur & terminare: quare, & cæt.

PROPTER probationem quartæ concluſionis eſt intelligendum, quòd ſicut uiſibile denominatiuè eſt obiectum uiſus, ſic intelligibile eſt obiectum intellectus. In intellectu autẽ contingit eſſe actum erroneum, qui non retinet nomen intellectionis; ſed deceptionis. Errans enim circa aliqua non dicitur illa intelligere; ſed potius errare circa illa, ſiue decipi. Alius autem eſt ueridicus; & iſte retinet ſibi nomen intellectionis. Videmus enim, quòd res, quæ ſunt aptæ natæ ſenſum, uel intellectum decipere, falſæ appellantur. Sicut aurum, uel argentum ſophiſticum. Et ideo res, quæ tales ſe exhibent intellectui, quales in ſe ipſis non ſunt erroneæ, & falſæ dicuntur: & quæ ſic ſe ſenſibus, uel intellectui oſtendunt, ſicuti ſunt per oppoſitũ uerè nominantur; & per cõſequens nihil aliud eſt falſum eſſe, quàm eſſe intelligibile actu deceptionis. Et eſſe uerum nihil aliud eſt, quàm eſſe intelligibile actu ueridico: ergo intelligere rectè, uel ueridicè uerum appellatur: intelligibile autẽ non rectè, ſiue cum deceptione, falſum ex natura ſua nominatur.

HIS ergo ſuppoſitis probatur dicta quarta concluſio dupliciter. Primo ſic. Intelligibile eſt denominatiuè obiectum intellectus adæquatum; ſed eſſe uerum nihil aliud eſt, quàm eſſe intelligibile actu ueridico: ergo. Maior patet ex terminis. Minor, patet ex prædictis. Secundo. Sola cognitio uera dicitur, ſiue denominatur propriè cognitio: ergo uerum, & nihil aliud, eſt obiectum intellectus denominatiuè. Conſequentia nota pro tanto: quia ſicut ſe habet intellectio ad denominari, uel eſſe intellectionem, ita ſe habet intelligibile ad denominari, uel eſſe intelligibile. Antecedens patet ex dictis: ergo.

*3. de Anima. Tex. c. 26.* ET CONFIRMATVR. Quia intellectus eſt uerorum ſecũdum Ariſt. non poteſt autem eſſe uerum ſine modo prædicto. QVINTA concluſio probatur dupliciter. Primo ſic. De ratione obiecti adæquati intellectus adæquatione prædicationis eſt habere tantam communitatem, quod eius ratio includatur in omnibus intelligibilibus, ſed nihil contentum ſub ente eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet ex ſupra dictis. Minor probatur: quia ab intellectu noſtro cognoſcitur deus, & creatura: nihil autem contentum ſub ente eſt tantæ communtiatis, quòd eius ratio includatur in deo, & creaturis, ut de ſe patet. Secundo nulla uirtus cognitiua diuidentium alicuius ſuperioris naturam, habet pro obiecto adæquato adæquatione prædicationis aliquod contentum ſub illo ſuperiori: ſed intellectus noſter eſt uirtus cognitiua diuidentium ſufficienter naturam entis: ergo non habet pro obiecto adæquato adæquatione prædicationis aliquod contentum ſub ente. Maior, & Minor patent de ſe: quare, &c. SEXTAM concluſionem etiam probo dupliciter. Primo ſic. Sub illa ratione debet aſsignari ſubiectum adæquatũ intellectus noſtri, ſub qua poteſt ſaluari differentia ipſius ab obiecto intellectus diuini; ſed hoc ſit, ſi ponatur eius obiectum in tota ſua latitudine, ſub ratione tamen cognoſcibili finita, & limitata eo modo, quo dictum eſt, & non alio modo: ergo. Maior patet: aliàs intellectus diuinus, & noſter haberent idem obiectum adæquatum ſub eadem ratione formali, quod eſt euidenter falſum: quia tunc adæquarentur inter ſe. Probatur Minor: quia hæc differentia non poteſt ſaluari per hoc, quod eſt cognoſcere totum ens, uel partem entis. Cum probatum fuerit immediatè, quòd nihil contentum ſub ente, poſsit eſſe obiectum adæquatum intellectus noſtri. Ex quo ſequitur, quòd intellectus noſter poteſt cognoſcere omne ens, & non ſolum partem entis. Non autem poteſt ſaluari huiuſmodi differentia, ſi nominatur obiectum adæquatum intellectus noſtri, ens inquantum ens, ut ly inquantum reduplicet omnem rationem cognoſcibilem entis tam finitam, quàm infinitam, ut patet ex dictis contra opinionem immediatè recitatam. Vel ergo ſaluabitur huiuſmodi differentia; ponendo obiectum intellectus noſtri omne ens in tota ſua latitudine ſub ratione finita, uel infinita ſub ratione cognoſcibili finita, & limitata. Primum dari non poteſt propter duo. Primo: quia cum intellectus noſter ſit uirtus finita, non poteſt habere obiectum ſub ratione infinita. Secundo: quia uidemus ad ſenſum, quòd intellectus noſter cognoſcit aliquod finitum ſub ratione finita, quod non poſſet eſſe, ſi eius obiectum eſſet ens ſub ratione infinita: relinquitur ergo ſecũdum, quod eſt propoſitum. Et ſi patet tota ratio. Secundo. Illud quod adæquat ſubiectum omnium ſciẽtiarum exiſtentiũ in intellectu noſtro, eſt obiectum adęquatum intellectus noſtri: ens in tota ſua latitudine, ut dictum eſt, eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet: quia nihil eſt cognoſcibile ab intellectu noſtro, quod non claudatur ſub conſideratione alicuius ſcientiæ aliquo modo: aliàs ſcientiæ eſſent diminutæ traditæ. Probo Minorem: quia ſi aliqua ſcientia uideretur habere ſubiectum ſub ratione infinita; hæc maximè eſſet theologia, quæ eſt de deo infinita; ſed hæc non eſt: ergo nulla aliarum. Aſſumptum probatur dupliciter. Primo ſic. Nullum infinitum ſub ratione infinita poteſt eſſe ſubiectum alicuius ſcientiæ finitæ; ſed theologia noſtra eſt ſcientia finita, & limitata: ergo non poteſt habere ſubiectum ſub ratione infinita. Minor patet, cum theologia noſtra ſit quædam creatura; & per conſequens certis limitatibus circunſcripta. Tum etiam: quia recipitur ſubiectiuè in intellectu noſtro limitato, & finito. Maior probatur ſic. Infinitum, ſub ratione infinita poteſt eſſe ſubiectum ſcientię infinitæ; ergo infinitum ſub ratione infinita non poteſt eſſe ſubiectũ ſcientiæ finitæ. Antecedens patet quia ſicut non repugnat finito ſub ratione finita eſſe ſubiectũ ſciẽtiæ finitæ; ita non repugnat infinito ſub ratione infinita eſſe ſubiectũ ſcientiæ infinitæ. Conſequẽtia probatur: quia ſubiectũ uniuſcuiuſque habitus debet eſſe ſubiectũ talis habitus ſub illa rõne, ſub qua ſubiectum dẽt illi habitui adæquari. Illud ergo infinitũ, qđ eſt ſubiectũ in ſciẽtia infinita ſub rõne infinita; adęquaretur ſciẽtiæ finitæ. Etiã ex alia pꝛte adæquaret ſciẽtiæ infinitæ: cũ ſibi nõ repugnet eſſe ſubiectũ ſciẽtiæ infinitæ, ut dictũ eſt, & ꝑ cõſequẽs ſciẽtia finita, & infinita adęquarẽtur ad inuicẽ, quod eſſe nõ poſſet, niſi ſciẽtia infinita efficeretur finita, & ecõuerſo, qđ implicat cõtradictionẽ. Cõſequẽtia patet: qa quæcũq; uni, & eidẽ adęquantur, ſunt adinuicẽ adęquata; ſed ſciẽtia finita, & infinita adæquantur uni, & eidem ſubiecto ex ſuppoſito ergo.

ET CONFIRMATVR iſta ratio. Quia omnis ſcientia adæquat rationem formalem ſui ſubiecti proprij: quia conſiderat omnia, quæ ratio formalis obiecti repręſentat, & non plura; ſed nulla ſcientia finita poteſt adæquare rationem obiectalem infinitam: ergo Minor patet: quia tunc ſcientia finita eſſet infinita.

Secundo ſic. Si theologia noſtra eſſet de deo, & creaturis ſub ratione infinita: ſequeretur, quòd duæ ſcientiæ ſubordinatæ tenderet in obiecta æqualis ambitus; conſequens eſt falſum: ergo. Impoſsibilitas conſequẽtis patet: quia tunc illæ ſcientiæ non eſſent ſubordinatæ. ET CONFIRMATVR. Quia ſicut ſe habent potentiæ ad obiecta, ſic ſuo modo ſcientię ad ſubiecta; ſed impoſsibile eſt dare duas potentias ſubordinatas, quæ tendant in obiecta æqualis ambitus; ſicut patet de uiſu, & ſenſu communi: ergo ſimile erit in ſcientiis. Conſequentia patet: quia theologia noſtra eſt ſubordinata ſcientiæ diuinæ: immò in hoc conſiſtit eius perfectio. Et tunc tenderet in obiecta æqualis ambitus; immò, quòd plus eſt, in unum, & idem obiectum formaliter ſumptum, quod eſt totaliter impoſsibile: quare &c. Patet igitur quod aſſumebatur in Minori, & per conſequens tota ratio. EX ISTA aũt concluſione infertur correlatiuè, quod rationabiliter poteſt dici, quòd obiectum adęquatum intellectus noſtri eſt totum ens, ut totum diuiditur contra totaliter; non tamen ſic intelligendo, quòd ly, ut totum, diuiditur cõtra totaliter; ſit ratio formalis obiecti adæquati, & teneatur reduplicatiuè; ſed tantum ſpecificatiuè.

*Dubia quædam contra determinata.*

SED quoniam dubia ſunt manifeſtatio ueritatis: idcirco contra dicta, & ſpecialiter contra concluſionem iſtam ultimam mouebuntur aliqua dubia. Ponit namque iſta dicta concluſio duo. Primum eſt quòd omne ens cognoſcitur, uel poteſt à nobis cognoſci tam finitum, quàm infinitum; tam creatum, quàm increatum. Secundum eſt, quòd omne cognitum ab intellectu noſtro cognoſcitur ſub ratione cognoſcibili finita, & limitata. Hoc autem uidetur totaliter impoſsibile de ente infinito, cuiuſmodi eſt deus. Et arguitur multipliciter cõtra hoc. Primo ſic. Ratio formalis obiecti debet præcedere actum potentię in obiecto; ſed nulla ratio finita, & limitata præcedit actum intellectus noſtri in deo: ergo. Maior patet: quia ratio formalis obiecti debet ſe tenere ex parte obiecti, & nõ ex parte potentiæ. Minor patet: quia deus eſt ſimpliciter infinitus, & illimitatus. Secundo. Illa ratio finita, & limitata, quæ ponitur in deo, ut cognoſcitur à nobis, uel eſt aliud à deitate: uel eſt idem, quod deitas. Non aliud: quia tunc in deo eſſet compoſitio; cum cõpoſitio nihil aliud ſit, quàm unius cum alio poſitio: ergo idem; & per conſequens, cum deitas ſit formaliter infinita, & iſta ratio erit ſimiliter infinita. Et per conſequens cognoſcetur à nobis ſub ratione infinita, & nõ ſub ratione finita. Tertio ad idem. Si ratio ſub qua cognoſcitur deus à nobis eſſet finita, & limitata; ſequeretur, quòd non ſatiaret Beatos; conſequens eſt erroneum; ergo. Conſequentia probatur: quia ultra quodlibet finitum poteſt uoluntas appetere; & per conſequens non ſatiatur in aliquo finito. Quarto. Nihil poteſt eſſe obiectum alicuius potentię ſub ratione formali ſibi formaliter, & intrinſecè repugnante; finitas, ſiue ratio finitatis, quæcunque ſit illa, repugnat deo formaliter, & intrinſecè; cum intrinſecè, & formaliter ſit infinitus. Quinto. Nihil poteſt obiectare potentiam ſub ratione formali oppoſita formaliter ſuæ rationi formali, & propriè: patet, quia albedo nunquàm obiectat uiſum ſub ratione nigredinis, nec econuerſo: quia nigredo opponitur formaliter rationi albedinis, & econuerſo; ſed finitas opponitur infinitati formaliter; infinitas autem eſt propria ratio formalis deitatis ergo. Sexto. Illa ratio, ſub qua deus à nobis cognoſcitur, uel eſt aliquid, uel nihil. Si nihil ergo deus cognoſcitur ſub ratione nulla. Si aliquid uel rationis, uel rei. Si rationis ergo deus cognoſcitur ſub ente rationis, & non ſub entitate propria, quod falſum eſt: quia uidebimus eum ſicuti eſt. Si realis, aut creata, aut increata. Si creata hoc ſtare non poſſet: quia tunc cognoſceretur ſub ratione creata. Si increata; cum omnis ratio realis increata ſit infinita: ergo cognoſcereĩ ſub ratione infinita. Et ex iſtis rationibus ſequitur ulterius, quòd deus non poteſt eſſe ſubiectum in Theologia ſub ratione finita, ut aſſumitur. Sequitur etiam, quòd obiectum adæquatum intellectus noſtri non poteſt dici totaliter totum ens, niſi pro ut diuiditur contra totalitatem.

*1. Ioan. 3.*

PROPTER ſolutionem iſtarum rationum, & aliqualem declarationem iſtius poſitionis eſt aduertendum, quòd aliquid poteſt repugnari alicui formaliter, & ſubiectiuè, quod ſibi non repugnat terminatiuè, & obiectiuè. Nam ſicut patuit in quæſtionibus ſuper ſecundum huius, quod eſſe rationis competit enti reali terminatiuè, & obiectiuè; cum tamen repugnet ſibi formaliter, & ſubiectiuè: habet nanque ens reale eſſe cognitum, eſſe apprehenſum; eſſe autem cognitum, & eſſe apprehenſum, ſunt eſſe rationis; huiuſmodi autẽ eſſe rationis ſic competit enti reali terminatiuè, & obiectiuè, quòd ſibi repugnat formaliter, & ſubiectiuè.

*q. 4. art. 1. in reſpon. ad primam rationem in conot. in reſpon. ad ſecundam rationem.*

Ad propoſitum applicando dico, quòd alicui rei poteſt repugnare eſſe finitum, & limitatum formaliter, & ſubiectiuè, cui non repugnat terminatiuè, & obiectiuè. Et poteſt ex dictis formari una talis ratio. Non magis repugnat enti infinito habere eſſe finitum, quàm enti reali habere eſſe rationis; hoc patet: quia magis diſtat ens reale, & ens rationis, quàm ens finitum, & infinitum, cum in paucioribus conueniant; ſed enti reali, quamuis ſibi repugnet formaliter, & ſubiectiuè eſſe rationis; non tamen obiectiuè, & terminatiuè: ergo nec enti ſimpliciter infinito repugnat ens finitum obiectiuè, & terminatiuè, quàmuis repugnet ſibi formaliter, & ſubiectiuè.

EST TAMEN diligenter ulterius notandum, quòd iſta ratio finita, quæ ſe tenet ex parte obiecti infiniti terminatiuè, & obiectiuè non conſurgit ex aliqua limitatione, & finitatione ſe tenente ex parte rei conceptæ; ſed ſolum ex finitatione, & limitatione intellectus concipientis. Vnde quàmuis deus, quantum eſt de ſe totus, & totaliter offerat ſe cuilibet Beato; Nullus tamẽ Beatorum poteſt ipſum totum, & totaliter capere: quia intellectus creatus; cum ſit finitus, & limitatus, nõ eſt aptus natus cognoſcere deum, qui eſt quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum infinitè; ſed tantum finitè; aliàs ipſum poſſemus comprehendere, quòd nõ eſt uerum. Aliter ergo cognoſcitur deitas à deo; & aliter à nobis. Nam ab ipſo cognoſcitur omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt. Nam, cum intellectus diuinus ſit infinitus, poteſt ſe ipſum comprehendere; & per conſequens infinitè cognoſcere. Nos autem non ſic: nam, quàmuis cognoſcamus deitatem infinitam; non tamen infinitè; ſed finitè. Sed poſſumus ad hoc habere exemplum ſatis clarum: uidemus enim, quòd Sol quantum eſt de ſe, eiuſdem rationis offert ſe uiſui aquilæ, hominis, & noctuæ: non tamen ab eis æqualiter uidetur: quia potentiæ uiſiuæ non ſunt æqualiter diſpoſitę. Sic etiam ſuo modo Beati non poſſunt uidere deum omnibus modis, quibus cognoſcibilis eſt; ſed ſecundum diſpoſitionem, & capacitatem intellectus noſtri, uel Beatorum, & Beati uident ipſum ſecundum magis, & minus, ſecundum quòd habent magis, & minus de lumine gloriæ.

EST INSVPER tertio diligenter notandum, quòd huiuſmodi ratio finita ſe tenet ex parte obiecti infiniti fundamentaliter, & initiatiuè; & ex parte intellectus noſtri formaliter, & completiuè; ſicut etiam eſt de eſſe rationis, ſicut dictum eſt, ſe tenet ex parte rei fundamentaliter, & initiatiuè: quia ens reale eſt fundamentum, & initium: quare habet eſſe cognitum, & apprehenſum: ex parte tamen intellectus continetur formaliter, & completiuè: quia ens reale



ens reale non habet eſſe cognitum, & apprehenſum, niſi in ordine ad intellectum. Si ergo bene conſiderantur prædicta, tria nobis innoteſcunt. Primum eſt, quòd eſſe finitum, quàmuis repugnet enti ſimpliciter infinito formaliter, & ſubiectiuè; non tamen ſibi repugnat terminatiuè, & obiectiuè. Secũdum eſt, quòd huius ratio finiti non conſurgit ex aliqua finitione, & limitatione, ſe tenente ex parte rei conceptæ: ſed ſolum ex limitatione intellectus concipientis.

Tertium eſt, quòd iſta ratio finita ſe tenet ex parte obiecti infiniti fundamentaliter, & initiatiuè: ex parte uerò intellectus noſtri formaliter, & completiuè.

HIS ERGO ſuppoſitis facilè eſt reſpondere ad rationes prædictas. AD primũ, cũ dicitur, quòd ratio formalis obiecti, &c. Dico, quòd uerum eſt fundamentaliter, & initiatiuè; non autem formaliter, & cõpletiuè, ut patet ex dictis. Nunc ſic eſt in propoſito: quia ratio finita poteſt præcedere in deo actum intellectus, aut fundamentaliter, & initiatiuè; quàmuis non formaliter, & completiuè. Et cum dicitur, quòd ratio formalis obiecti debet ſe tenere ex parte obiecti, & nõ potentiæ. Dico, quòd uerum eſt terminatiuè, obiectiuè, fundamentaliter, & initiatiuè; non tamen formaliter, & ſubiectiuè: non totaliter, & completiuè; ut dictũ eſt: ideo ratio non conuincit. Ad ſecundum eodẽ modo, cum dicitur, quòd iſta ratio uel eſt aliud à deitate, &c. Dicendum, quòd non eſt alia fundamentaliter; & initiatiuè, ut patet ex dictis; poteſt tamen eſſe alia terminatiuè, & obiectiuè: quia ut ſic, eſt finita; nec tamen propter hoc ſequitur, quòd faciat compoſitionem in deo: quia, quod non eſt in ipſo formaliter; non facit compoſitionem in eo. Ad tertium, cum dicitur, quòd ſequeretur, quòd illa ratio non ſatiaret Beatos. Dicendum, quòd uerum eſſet, ſi eſſet finita formaliter, & ſubiectiuè: quia eſſe tale eſt creatum; & nullum tale poteſt ſatiare Beatos. Et cum eſſe tale ſit referibile in aliud, tanquam in finem, quod repugnat obiecto beatifico, non poterit, eſſe ſatiatiuum per ſe; hoc autem eſt de ratione obiecti beatifici: poterit iſta ratio obiectiuè, & terminatiuè eſſe finita; & tamen ſatiabit Beatos: quia hæc finitas formaliter, & completiuè ſe tenet ex parte intellectus noſtri; & nõ ex parte obiecti beatificantis. Et cum dicitur, quòd ultra quodlibet finitum poteſt uoluntas plus appetere. Dicendum, quòd uerum eſt. Si ſic eſſet finitum, quòd non repleret capacitatem ipſius, quod in propoſito dici non poteſt.

Ad quartum conceſſa Maiori. Dico ad Minorẽ, quòd quæcunque ratio finita formaliter; & ſubiectiuè repugnat ipſi deo. Et ideo bene uolo, quòd ſub tali ratione non poſsit obiectare intellectum alicuius; ratio autem finita terminatiuè, & obiectiuè non repugnat deo, ut dictum eſt. Et iſto modo poterit eſſe obiectum noſtræ potentiæ intellectiuæ. Ad quintum eodem modo eſt dicendum, quòd ratio finita terminatiuè, & obiectiuè non repugnat dictæ infinitati fundamentaliter; immò ſtat cum ipſa, ut dictum eſt. Et ideo deus ſub tali ratione poterit obiectare intellectum noſtrum; ratio aũt finita formaliter, & ſubiectiuè opponitur diuinę infinitati: & ideo ſub tali ratione non poteſt cadere ſub obiecto adæquato noſtri intellectus.

Ad ſextum dicendum, quòd illa ratio non eſt nihil; immò aliquid. Et cum dicitur ulterius, quòd uel erit realis, uel rationis. Dico, quòd iſta ratio finita eſt realis fundamentaliter, & initiatiuè; eſt tamen rationis formaliter, completiuè, ut patet ex dictis. Et hoc ſufficit ad hoc, quòd deus poſsit cognoſci ſub tali ratione finita. Nam oſtenſum eſt, quomodo ſe habeat talis ratio ex parte obiecti, & quomodo ex parte potentiæ. Et cum dicitur ulterius, quòd uel erit creata, uel increata. Dicendum, quòd iſta ratio fundamentaliter ſumpta eſt increata: quia eſt ipſa met diuina eſſentia. Patet igitur, quid dicendum ad dubitationes prædictas. Et hæc de ſecundo articulo.

## ARTICVLVS TERTIVS.

VTRVM primum cognitum ab intellectu noſtro ſit aliquod uniuerſale? Sicut quærit quæſtio principalis. Ad quod indirectè reſpondent aliqui doctores dicentes, quòd non. Dicunt enim, quòd primũ cognitum ab intellectu eſt deus ipſe; certum eſt autem quòd deus non eſt aliquod uniuerſale. Et ut melius appareat intentio ipſorum, diſtinguunt de cognitione dicentes, quòd duplex eſt cognitio una naturalis, & alia rationalis. Appellant autem iſti cognitionem naturalem illam, quæ habetur ſecundum naturalem proceſſum noſtræ cognitionis, cuius naturalis proceſſus eſt procedere ab indeterminato ad determinatum: nam talem proceſſum inuenimus, non ſolum in intellectu; ſed ẽt in ſenſu. Cognitionem aũt rationalem appellãt illam, quam intellectus habet per uiam deductionis, deducendo unum ex alio, ut puta, deducendo bonum uniuerſale ſubſiſtens per abſtractionem ab hoc bono, uel ab illo. Cum ergo quæritur, quid ſit primum cognitum ab intellectu noſtro. Dicunt, quòd ſi loquimur de cognitione naturali, quæ habetur per naturalẽ proceſſum. Deus eſt à nobis primo cognitũ. Si autẽ loquamur de cognitione, quæ habetur per proceſſum rationalẽ per uiam deductionis abſtrahendo ab hoc, uel ab illo particulari. Tunc uidetur eſſe dicendũ ſecundũ intentionẽ ipſorum. ſ. quòd deus eſt ultimum cognitũ ab intellectu noſtro. PRIMA concluſio poteſt probari ex dictis eorum ſic. Quanto aliquid habet conceptũ magis indeterminatũ, tanto nobis prius occurrit; & per conſequẽs prius à nobis cognoſcitur; ſed deus habet conceptũ magis indeterminatũ, quàm quodcunque ens creatũ: ergo prius nobis occurrit, & prius à nobis cognoſcitur, quàm quodcũq; ens creatũ; & per conſequens eſt prius nobis cognitũ. Maior patet ex dictis: nam ſi naturalis proceſſus cognitionis noſtræ eſt ab indeterminato ad determinatũ; oportet, quòd illud, quod maxime eſt indeterminatũ, prius à nobis cognoſcatur. Minorem probat; faciendo unã diſtinctionẽ de indeterminatione. Eſt enim, ut dicunt, duplex indeterminatio, una negatiua: & alia priuatiua. Indeterminatio negatiua eſt illa, ſecundũ quam aliquid ſic eſt indeterminatũ, quòd nullã patitur determinationẽ. Priuatiua uerò eſt illa, ſecundum quam aliquid ſic eſt indeterminatum, quòd tamen eſt determinabile; & per conſequẽs expectat determinationẽ. Conſtat autem, quòd prima indeterminatio eſt maior quàm ſecunda. Sed conceptus ille, quo a nobis deus cognoſcitur, eſt indeterminatus ſecundũ primam indeterminationẽ: quia res concepta. ſ. deus; cum ſit actus purus, nõ expectat aliquam determinationẽ; & per conſequẽs nec ſuus conceptus; cum indeterminatio conceptus ſequatur indeterminationem rei conceptæ; & non econuerſo. Quodlibet aũt aliud ens citra deũ; eo ipſo, quòd non eſt actus purus habet conceptum ſic indeterminatum, quòd tamẽ poteſt determinari, & expectat determinationem. Relinquitur ergo, quòd conceptus de deo ſit magis indeterminatus, quàm conceptus alicuius alterius entis. Et per conſequens prius nobis occurrens. ETSI quęratur ab iſtis, qui ſit iſte conceptus, qui ita eſt indeterminatus negatiuè. Dicunt, quòd eſt conceptus entis, & primarum ſuarum paſsionum, ſcilicet, unius, ueri, & boni. Nam primæ dictæ intentiones occurrunt nobis prius per conceptum indeterminatum negatiuè, ſecundum quem modum competit ſoli deo; conſequẽter nobis occurrunt per conceptum indeterminatũ priuatiuè, ſecundum quem modum competit creaturis.

*Henricus Gand. in Sum. q. 4. Art. 24.*

*Inquiſitio neceſſaria.*

ADDVNT tamen ulterius, quòd propter magnam ſimilitudinem, quæ eſt inter indeterminationem negatiuam, & priuatiuam; non perpendimus euidenter. Vtrum in conceptu entis; & ſuarum paſsionum apprehendamus eſſe creatum, uel increatum.

SECVNDA concluſio ſecundum proceſſum

eorum declaratur ſic. Nam ſecundum proceſſum rationalẽ cognoſcimus deum per abſtractionem ab hoc particulari bono, & ab illo, per quam abſtractionẽ deducitur intellectus ad cognoſcendum bonum uniuerſale ſubſiſtens. Et eodem modo per abſtractionem ab hoc particulari uero, & ab illo deducitur ad cognoſcẽdum uerum uniuerſale ſubſiſtens. Illud ergo, quod eſt terminus à quo in iſta abſtractione, ſiue deductione eſt primum cognitum in eodem. Illud uero, quod eſt terminus ad quem eſt ultimum cognitum. Cum ergo deus in tali proceſſu ſit terminus ad quem: relinquitur, quòd ſit ibi ultimum cognitum. Ipſa uero particularia bona, uel particularia uera; cum ſint ibi terminus à quo, erunt primo cognita in tali proceſſu. Hæc autem uidetur intentio dictæ opinionis.

*Confutatio præfatæ opin.*

HAEC AVTEM opinio uidetur dubia in ſe, & in ſuis fundamentis. Et ideo oſtẽdo tripliciter, quòd deus non poteſt eſſe primum cognitum ab intellectu noſtro cognitione naturali, ut dicunt. Primo. Illud, quod non poteſt eſſe per ſe phantaſiatum, nec per accidens; non poteſt eſſe primum cognitum ab intellectu noſtro cognitione naturali; deus eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet per Ariſtotelem in tertio huius. *Tex. c. 30. & 39.* Oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari; & per conſequens primum cognitum eſt phantaſiatum; uel per ſe, uel ſaltem per accidens. Certum eſt quòd Ariſtoteles loquitur de cognitione naturali. Minor patet; quia omne per ſe phantaſiatum eſt corpus, uel per ſe quantum. Deus autem non eſt per ſe corpus, nec quantus: quapropter nec per ſe poteſt eſſe phantaſiatus; nec etiam per accidens: quia omne phantaſiatum per accidens, uel eſt quantum per accidens, uel ſaltem coniunctum quanto, quorum utrunque de deo eſt impoſsibile. Secundo. Primum cognitum ab intellectu noſtro debet eſſe facillimæ cognitionis; deus autem eſt difficillimæ cognitionis. Nam ita ſe habet intellectus noſter ad ea ſicut, & cæt. 2. Metaphyſicæ. *Tex. c. 1.*

Tertio. Si deus eſſet primum cognitum ab intellectu noſtro cognitione naturali; ſequeretur, quòd cognitio dei eſſet maioris certitudinis, quàm cognitio cuiuſcunque alterius entis; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet: quia de alijs entibus à deo habemus naturalem cognitionem ſcientificam; & etiam quantum ad eorum quidditates, quam non habemus de deo. Conſequentia probatur. In complexis ea, quæ primo occurrunt intellectui, ſunt maioris certitudinis, quàm quæcunque alia; ſicut patet de principijs: ergo ſimiliter erit de incomplexis.

*Euerſio fundam. eiuſdem opin.*

VLTERIVS uidetur dubia iſta opinio in ſuis fundamentis. Nam ponit, quòd quanto aliquid eſt magis indeterminatum, tanto prius occurrit intellectui, quòd non eſt uerum eo mõ, quo ipſe loquitur de indeterminato. Nam uidemus, quòd materia eſt magis indeterminata, quam forma; & tamen non prius occurrit intellectui, q̃ formæ, immò non cognoſcitur, niſi per formam. Si autem propoſitio debet habere aliquam ueritatem; oportet neceſſariò diſtinguere de indeterminato. CVIVS gratia eſt aduertendum, quòd triplex eſt indeterminatio, ut ad prçſens ſpectat. Vna, q̃ prouenit ex illimitatione; & iſta propriè competit conceptui entis; ut dicitur de deo. Alia eſt indeterminatio, quæ prouenit ex priuatione; & iſta propriè conceptui generis competit. Nam conceptus generis abſtrahit gradum potentialitatis ſpecierum à gradibus actualitatis earundem, quæ per differentias importantur: idcirco remanet in potentia abijciente actum, ſic, ut expetit differentias, quibus determinatur. Tertia indeterminatio eſt, quæ prouenit ex ſimplicitate, & impermixtione; & iſta propriè competit conceptui entis, ſecundum quòd dicitur de creatura: nam talis conceptus non poteſt dici indeterminatus propter illimitationem rei conceptæ: quia hic non competit creaturæ, nec etiam poteſt dici indeterminatus propter expetitionẽ alicuius accidentis determinantis ipſum: quia talis conceptus non habet aliquid extra ſe, ad quod ſit in potentia, uel quod ſe habeat per additionem ad ipſum, per quod poſsit determinari; relinquitur ergo, quòd ſit indeterminatus per impluriſicationem, & impermixtionem omnium eorum, quæ pertinent ad eſſentiam rei, ſiue illa ſint potentialia, ſiue actualia; ita, ut nullus ſit actus conceptibilitatis in re, qui ſub conceptu entis implicitè non comprehendatur.

RESPONDEO ad rationes primæ concluſionis. Cum ergo dicitur. Quanto aliquid habet conceptum magis indeterminatum, tanto nobis prius occurrit. Verum eſt, loquendo de indeterminatione, quæ prouenit ex expetitione, uel quæ prouenit ex impluriſicatione, & permixtione: non autem de indeterminatione, quæ prouenit ex illimitatione, ut aſſumunt. Quod patet: quia conceptus indeterminatus, qui prouenit ex illimitatione: ſic eſt indeterminatus, quòd tamen non eſt confuſus. Quilibet autem aliorum eſt indeterminatus, & confuſus. Quanto autem aliquid habet conceptum magis confuſum, tanto magis prius nobis occurrit: quia confuſa ſunt nobis prius nota, primo Phyſic. *Tex. c. 3.* Peccat igitur iſta ratio per æquiuocationem.

*Opin. propria.*

ET IDEO quantum ad iſtum articulum uidetur mihi aliter eſſe dicendum. Cuius gratia eſt notandum, quòd uniuerſale poteſt capi dupliciter. Vt patet ex dictis in quæſtione ſuper prologo, formaliter, & fundamentaliter. *1. ſen. q. 3. ar. 3.* Si ergo quæratur de uniuerſali ſumpto formaliter, ſcilicet, quantum ad ſuum eſſe formale, quod habet in ſe ipſo. Sic dico ſimpliciter, quòd uniuerſale iſto modo, non eſt primum cognitum ab intellectu noſtro. Quod probo dupliciter. Primo ſic. Quod eſt poſterius actu intellectus, non poteſt eſſe primo cognitum ab intellectu; uniuerſale, quantum ad ſuum eſſe formale; eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet ex terminis. Minor patet; quia, ut ſuperius probatum fuit in tertia quæſtione ſuper primum, uniuerſale formaliter ſumptum eſt primum ens rationis; ens rationis eſt poſterius actu intellectus, ſicut effectus.

Secundo. Illud non eſt primum cognitum ab intellectu noſtro, cuius cognitio præſupponit cognitionem aliorum neceſſariò; uniuerſale ſumptum formaliter eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet. Minor patet etiam ſecundum intentionem Commentatoris, & Philoſophi dicentium, quòd uniuerſale habet eſſe abſtractum à ſingularibus; hæc autem abſtractio, cum non ſit realis, habet eſſe per ſolum intellectum, ſiue fieri. *1. de Anima. tex. c. 8. 7. phyſ. com. 20.* Et hinc eſt, quòd ſolus intellectus dicitur facere uniuerſalitatem in rebus. Omnis autem abſtractio per intellectum alicuius ab aliquo præſupponit cognitionem illorum neceſſariò, à quibus ſit abſtractio; & per conſequens cognitio uniuerſalis præſupponit cognitionem aliquam neceſſariò illorum, à quibus abſtrahitur. ET CONFIRMATVR nullum fabricatum ab intellectu eſt primum cognitum ab eo, uniuerſale ſumptum formaliter eſt huiuſmodi: ergo.

SI AVTEM quæratur de uniuerſali ſumpto fundamentaliter, ſic pono duas cõcluſiones. Prima eſt, ꝙ uniuerſale ſumptũ fundamẽtaliter prius cognoſcitur ab intellectu, quàm uniuerſale ſumptum formaliter. Secũda concluſio, q̃d uniuerſale, ſiue ipſum particulare, ut eſt fundamentum uniuerſalitatis, prius cognoſcitur ab intellectu, conceptu indeterminato, & confuſo, quàm conceptu determinato, & diſtincto. Imaginor enim, quòd particulare poteſt mouere intellectum ad diuerſos conceptus, ſicut homo particularis, ſcilicet, Petrus poteſt mouere intellectum ad conceptum hominis: quia uerè, & realiter eſt homo. Et fundamentum huius uniuerſalitatis etiam poteſt mouere intellectum pari ratione ad conceptum animalitatis, corporeitatis, & ſic de ſingulis uſque ad conceptum entis: quia uerè eſt animal, corpus, & ens.: & quamuis una res particularis moueat intellectum ad om-

nea



nes iſtos conceptus; prius tamen mouet cõceptum magis indeterminatum, & confuſum, ut puta, ad conceptum entis, & ſic deducendo uſque ad conceptum proprium, & diſtinctum. Primum ergo cognitum ab intellectu noſtro eſt uniuerſale fundamentaliter ſumptum, ſiue ipſum particulare, ut eſt fundamentum ipſius uniuerſalitatis; & tamen prius cognoſcitur ab intellectu conceptu determinato, & confuſo, quàm conceptu proprio, & diſtincto. Ratio ergo iſta entis, quæ mouet intellectum ad primum conceptum, erit una, & ſingularis in eſſendo; eſt tamen communis immò communiſsima in ſimilitudinem habendo. Et per ipſam quodlibet ens creatum aſsimilatur cuilibet enti. Intelligendo dictas propoſitiones modo prædicto, probo quamlibet earum dupliciter. PRIMAM probo ſic. Illud, quod primo mouet intellectum ad intelligendum eſt primum cognitum ab intellectu; ſed uniuerſale fundamẽtaliter ſumptum, ſiue particulare, ut eſt fundamentũ uniuerſalitatis eſt huiuſmodi, ergo. Maior patet, quod primo mouet intellectum, primo terminat eius actũ; & per conſequens eſt primo cognitũ. Minor patet: quia quod primo mouet, debet præcedere omnem actum intellectus; ſed nihil præuenit omnem actum intellectus, niſi particulare, uel uniuerſale ſumptũ fundamẽtaliter, ut patet ex dictis, ergo: Secundo. Illud, quod primo præſentatur in phantaſmate, eſt primum cognitum ab intellectu noſtro cognitione naturali, de qua loquimur hic, uniuerſale fundamẽtaliter ſumptum, ſiue ipſum particulare, ut eſt fundamentum uniuerſalitatis, eſt huiuſmodi ergo. Maior patet: quia, ut dictum eſt, neceſſe eſt intelligentem, &c. *3. de Animae. c. 39* Quod ueritatem habet ſpecialiter de prima intellectione; cum omnis noſtra cognitio incipiat à ſenſu. Et per conſequens, quod primo præſentatur in phantaſmate, erit primum cognitum. Minor patet per probationem Minoris primæ rationis: quia, quod primo præſentatur in phantaſmate, debet præcedere omnem actum intellectus. Certum eſt, quòd primo occurrit ſenſui, primo præſentatur in phantaſmate; ſed omne tale eſt particulare. ET CONFIRMATVR per hoc, quòd uniuerſale formaliter ſumptum non eſt primo cognitum, ut probatũ eſt. SECVNDAM concluſionem probo dupliciter. Primo ſic. *Ariſt. 3. de Anima tex. c. 3. com. ibidem com. 3. & 5. Com. 1. Metaph. Com. 17.* Sicut ſe habet materia ad formas ſenſibiles, ſic intellectus noſter ad formas intelligibiles ſecundum Commentatorem; ſed materia prius recipit formas uniuerſales, & minus perfectas, deinde formas perfectas. Nec propter hoc eſt intelligendum, quòd primum cognitum eſt uniuerſale formaliter ſumptum: quia ſicut materia non recipit primo, niſi formam particularem, per quam habet eſſe hoc aliquid in natura, quæ tamen eſt communior ſequentibus in ſimilitudinem habendo, licet non in eſſendo, ut patet intuenti: ſic intellectus ſuo modo primo mouebitur à ratione entis, quæ una erit, & ſingularis in eſſendo; communis tamen, immò communiſsimam in ſimilitudinem habendo, ut dictum eſt.

ET CONFIRMATVR iſta concluſio per Ariſtotelem. *Tex. c. 3.* Primo Phyſicorum dicentem, quòd confuſa ſunt nobis prius nota, quod debet intelligi eodem modo, quo dictum eſt. Secundo. Si uniuerſale fundamentaliter ſumptum non cognoſceretur prius ab intellectu conceptu indeterminato, & confuſo, quàm conceptu determinato, & proprio; ſequeretur, quòd primi conceptus eſſent perfectiores, quàm poſteriores; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet. Nam noſtra cognitio naturaliter procedit de imperfecto ad perfectum; non econuerſo. Conſequentia nota eſt de ſe. Et ſic patet tertius articulus.

AD RATIONES principales. Ad primam, cum dicitur in Minori, quòd ſpecies ſpecialiſsima eſt primum cognitum. Patet per primum articulum, quòd non eſt uerum. Ad probationem, cum dicitur, quòd ſpecies primo, & immediatè abſtrahitur ab ipſis ſingularibus. Dico, quòd ratione noſtri modi cognoſcendi, qui eſt procedere de imperfecto ad perfectum, quod eſt cõmunius, abſtrahitur prius à ſingularibus. Et ideo ratio non conuincit. Ad ſecundum dico quòd obiectum adæquatum intellectus noſtri eſt ens eo modo, quod dictum. Et ideo bene uolo, quòd primũ cognitum ab intellectu noſtro cognoſcatur plus ſub ratione entis. Et hoc ſufficit ab ſaluandum primitatem obiecti adæquati.

## QVAESTIO II.

### An intellectus agens ſit totaliter cauſa effectiua actus intelligendi?

SECVNDO quæritur. Vtrum intellectus agens ſit totalis cauſa effectiua actus intelligendi? Et uidetur primo, quòd non. 1 Intellectus agens non eſt aliquid animæ noſtræ: ergo non eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi. Conſequentia uidetur nota pro tanto: quia intelligere eſt actio immanens; & per conſequens nihil diſtinctum loco, & ſubiecto ab intellectu poſsibili, uel anima, in qua reperitur, poteſt eſſe totalis cauſa effectiua, immò nec partialis actus intelligendi. Antecedens probatur: quia prima cauſa non eſt aliquid animæ noſtræ; ſed intellectus agens non eſt aliud, quàm prima cauſa: nam ſecundum Philoſophum in hoc tertio, intellectus agens eſt omnia facere; nihil autem aliud à prima, eſt omnia facere. *Tex. c. 18.*

2 Præterea intellectus agens non eſt potentia realiter diſtincta ab intellectu poſsibili: ergo non eſt totalis cauſa, nec partialis effectiua actus intelligẽdi. Conſequentia patet: quia intellectus poſsibilis non poteſt eſſe totalis cauſa, nec partialis effectiua actus intelligendi: aliàs unum, & idem ſecundum idem reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & in potentia, quod eſt impoſsibile; & per conſequens, nec indiſtinctum ab ipſo realiter, poterit eſſe totalis cauſa entis. Antecedens probatur: quia ſi intellectus agens eſſet potentia realiter diſtincta ab intellectu poſsibili; ſequeretur, quòd poſt ſeparationem animæ à corpore eſſet fruſtra; *1. Cœl. tex. c. 32.* conſequens, eſt inconueniens, & falſum: quia deus & natura nihil faciunt fruſtra: ergo. *2. Cœl. tex. c. 50. 59.* Conſequentia ſtatim patet: quia poſt ſeparationem non habet abſtrahere à phantaſmate: ergo. AD OPPOSITVM ſic. Sicut ſe habet intellectus poſsibilis ad pati, ita intellectus agens ad agere. Hoc patet: quia ſicut intellectus poſsibilis dictus eſt poſsibilis: eo, ꝙ poteſt recipere paſsiuè; ita intellectus agens dictus eſt agens; quia poteſt cauſare actiuè; ſed intellectus poſſibilis eſt totalis cauſa paſsiua, ſiue receptiua actus intelligendi: ergo intellectus agens erit totalis cauſa effectiua actus intelligendi. RESPONDEO. In iſta quæſtione tria ſunt uidenda. Primum. Vtrum intellectus ſit aliquid animæ? Sicut quærit primum argumentum. Secundum. Vtrum intellectus agens ſit potentia aliqua animæ noſtræ diſtincta ab intellectu poſsibili? Sicut quærit ſecundum argumentum. Tertium. Quod quærit quæſtio principalis.

### ARTICVLVS PRIMVS.

VTRVM intellectus agens ſit aliquid animæ noſtræ? RESPONDENT aliqui doctores dicentes, quòd intellectus agens non eſt aliqua potentia animæ noſtræ; ſed eſt ipſa met ſcientia Dei, quæ dat uirtutem rebus ipſis, mouendi intellectum poſsibilem, uel res, tanquàm inſtrumentum ſcientiæ Dei, mouent ipſum intellectum ad actum intelligendi. *Opin. Bernardi cuiuſdam ſectatoris Alexandri, & ſequacium.* Probant iſti doctores



per quinque

per quinque rationes, quòd intellectus agens nõ ſit aliquid animæ noſtre. Primo ſic. Nulla potẽtia exiſtens in anima noſtra eſt nobilior intellectu poſsibili, niſi fortè uoluntas; ſed intellectus agens eſt nobilior intellectu poſsibili, & non eſt uoluntas; ergo. Maior probatur, Nam potentia intelligens formaliter, eſt nobilior potentia non intelligente formaliter; ſed intellectus poſsibilis eſt potentia intelligens formaliter; non autẽ alia potentia exiſtens in anima noſtra eſt intelligens formaliter: ergo iſta erit nobilior omni alia, dimiſſa uoluntate, quæ licet non ſit formaliter intelligens; eſt tamen formaliter uolens. Minor. ſ. primi argumenti patet: quia agens eſt nobilius patiente; ſed intellectus agens agit; poſsibilis uero patitur. NEC VALET, ſi dicatur, quòd licet intellectus agens non ſit intelligens formaliter; eſt tamen intelligens uirtualiter; & ideo adhuc erit nobilior. Nam in his, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter, nobilius eſt eſſe tale formaliter, quàm uirtualiter. Ideo deus formaliter eſt ſapiẽs & intelligens, & ſic de conſimilibus. NEC VALET. Si dicatur, quòd agens non eſt nobilior paſſo: nam ignis agit in hominẽ; & tamen nõ eſt nobilior homine; immò totum oppoſitum: hoc quidem non ualet. Nam ſemper ratio agendi in omnibus, eſt nobilior paciente, uel ratione patiendi. Secundo. Ad principale arguitur ſic. Agens uniuerſale, & equiuocum debet eſſe magis diſtinctũ loco, & ſubiecto à ſuo effectu, & paſſo, quàm agens particulare: hoc patet in omnibus inductiuè: nam conſtat, quòd Sol, qui eſt agens uniuerſale, magis diſtinguitur ab homine loco, & ſubiecto quàm homo, qui eſt agens particulare, & ſic de ſimilibus. Sed intellectus agens eſt agens uniuerſale, & equiuocum: obiecta uero ſunt agentia particularia; & uniuoca: ergo magis diſtinguitur intellectus agens loco, & ſubiecto ab intellectione, & ſubiecto intellectionis, quàm obiecta; ſed conſtat, quòd obiecta non ſunt aliquid animæ: ergo multò minus intellectus agens.

*Solutio reſponſionum quarundam quæ argumento, occurrere poſſent.*

Tertio. Nullum accidens inhęrens alicui, poteſt eſſe agens principale, & ęquiuocum; licet poſsit eſſe ratio agendi; ſed intellectus agens eſt agens principale, & æquiuocum reſpectu intellectionis: aliàs non eſſet agens; cum non ſit agens particulare: ergo non poterit eſſe accidens inhærens alicui; & per conſequens nõ erit aliquid animę: quia ſi eſſet aliquid eius, eſſet accidens inhærens ei. Quarto. Nullum agens particulare poteſt eſſe nobilius agente uniuerſali; ſed ſi intellectus agens eſſet aliquid animæ, agentia particularia eſſent nobiliora ipſo; cum tamen ſit uniuerſale agens: ergo nõ poteſt eſſe aliquid animæ noſtræ. Maior patet inductiuè in omnibus. Et etiam ratione: quia agens particulare agit, ut inſtrumentũ agentis uniuerſalis. Inſtrumentum nunquàm nobilius eſt eo, cuius eſt inſtrumentum. Minor probatur: quia ſi intellectus agens eſſet aliquid animæ, eſſet accidens: agentia autem particularia ſunt ſubſtantiæ; ſubſtantia autem eſt nobilior omni accidente; ergo. Quinto. Omne agens paticulare recipit influentiam ab agente uniuerſali, ut patet de deo, & creaturis; & de Sole, & de iſtis inferioribus; ſed ſi talis intellectus in anima noſtra eſſet, uel pars animę noſtræ; agentia particularia non reciperent aliquam influentiam ab eo: ergo non eſt ponendus in anima. Minor eſt nota: quia talia obiecta non dependent ab eo, nec in eſſe, nec in conſeruari; quia eſſet qualitas quædam. Concludunt igitur iſti doctores, quòd intellectus agens eſt ipſa ſcientia dei; & nihil aliud, cuius ratio eſt. Quia ſcientia non poteſt dependere ab eo, quod non eſt ſcientia; niſi quia ſit abſtrahendo; non autem ſicut ab agente principali particulari, uel uniuerſali. Et ideo obiectum non poteſt eſſe agens ſcientiæ principale, ſed ſolum inſtrumentale alicuius ſcientiæ uniuerſalis, à qua mediante obiecto, tanquàm inſtrumento cauſatur ſcientia noſtra: hęc autem non eſt alia, quàm ſcientia dei. Et ideo nihil aliud, quàm ſcientia dei poteſt eſſe intellectus agens. ET CONFIRMATVR per Commentatorem tertio huius dicentem, quòd omnis ſcientia, quæ eſt in potẽtia, cauſatur ab illa ſcientia, quæ eſt in actu: hæc autem non poteſt eſſe, niſi diuina: quia ſcientia, quæ habetur, per inuentionẽ, à nulla ſcientia dependet, niſi à ſciẽtia dei.

*7. Metaph. Tex. c. 4.*

*Com. 5.*

ISTE ARTICVLVS eſt difficilis cum ratione eius, quòd quæritur. Tum quia habet rationes ualde efficaces. Tum etiam propter auctoritatem reuerendi doctoris, qui hoc ponit: contingit tamen circa eum dubitare. Et ideo gratia diſputationis pono, quantum ad hoc, tres concluſiones. Prima eſt, quòd oportet neceſſariò dare intellectum agentem. Secunda, quòd ſciẽntia dei non poteſt eſſe intellectus agens, prout de eo fuerunt locuti Philoſophi, Ariſtoteles, & Cõmentator. Tertia eſt, quòd intellectus agens eſt aliquid animæ. PRIMAM concluſionẽ ad præſens probo tripliciter. Primo ſic. Intellectio accidẽtalis corporalis eſt perfectior accidẽte corporali; cũ ſit accidẽs ſpirituale. Hoc ſuppoſito, arguitur ſic. Quia uel obiectum propria uirtute cauſat in intellectu intellectionẽ ſui: uel uirtute alterius, uel aliquid aliud cauſat. Primum non poteſt dari: quia ſequeretur, quòd aliquid poſſet agere uirtute propria ultra ſuam ſpeciem, quod eſt falſum: quia tunc effectus poſſet excedere ſuam cauſam principalem in perfectione, quod eſt abſurdum. Vel ergo cauſabit uirtute alterius, uel aliquid aliud cauſabit. Quicquid detur, habetur propoſitum: illud enim uocamus intellectum agentem.

*Confutatio præmiſſæ opin.*

Secundo peto abſoluè, de quolibet obiecto. Vel cauſat uirtute propria intellectionẽ in intellectu, uel uirtute alterius, uel aliquid aliud cauſat. Primum non poteſt dari: quia cum obiectum habens phantaſmata, ſit quoddam corporale. Et intellectio recipiatur in intellectu poſsibili, qui eſt materia ſpiritualis; ſequeretur, quòd corpus ageret in ipſũ uirtute propria, quod eſt inconueniens: ẽt contra Beatum Auguſtinum. Relinquitur ergo Secundum; uel tertium, & habetur propoſitum. Tertio. Neceſſarium eſt intellectum noſtrum intelligere ſtante ordine naturæ: aliàs illa potentia, quam habet ad intelligere eſſet fruſtra. Aut ergo reducitur ad actum per ſe ipſum. Aut per ipſum obiectum. Aut per ſpecies concreatas. Aut per intellectũ agentem: hoc patet per ſufficientem diuiſionem: nihil aliud uidetur requiri ad intellectionem. Non poteſt dici, quòd reducatur ad actum per ſe ipſum; cum ſit in potentia ad talem actum: quia tunc eſſet in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem, quod eſt impoſsibile, & improbatum ſupra in quæſtionibus ſupra ſecũdum huius. Nec ulterius poteſt reduci per ipſum obiectum: quia agentis, & patientis debet eſſe proportio; obiectũ autem hoc, cum ſit corporale, non eſt proportionatum intellectui. Nec etiam reducitur per ſpecies concreatas: quia tales ſpecies non ponuntur in intellectu noſtro; immò intellectus in ſui creatione eſt tanquam tabula raſa tertio huius: neceſſarium eſt ergo reduci intellectum de potentia ad actum per intellectum agentem; & per conſequẽs oportet dare intellectum agentem. Qualiter autem intellectus agens reducat poſſibilem de potentia ad actum, apparebit inferius.

*1. de Trin. Cap. 1. Tom. 3.*

*Tex. c. 14.*

ET CONFIRMATVR per Philoſophum, & Commentatorem dicentes, quòd ſi eſt dare unum, quod eſt omnia feri oportet dare unum, quòd eſt omnia facere. Et hunc uocant intellectum agentem. Ad hoc etiam faciunt omnes rationes probantes, quòd ſit dare ſenſum agentem. Videas eas ſuperius. SECVNDAM concluſionem probo etiam tripliciter. Primo ſic. Intellectus agẽs non eſt maioris ambitus, quàm intellectus poſsibilis: ergo non eſt idẽ, quòd ſciẽtia dei. Antecedẽs patet per Ariſtotelẽ in hoc tertio, qui dicit, ꝙ ſicut intellectus agẽs eſt omnia facere: ita poſsibilis omnia fieri. Et probatur per Commentatorem: quia ſi intellectus agens excederet poſsibilem; tunc huic potentiæ actiuæ non correſponderet in natura ſua potentia paſsiua. Et ſi poſsibilis excederet

*Tertio de Anima, tex. c. 18.*

*Tex. c. 18.*



lis excederet agentem; iam huic potentiæ paſsiuæ non correſponderet agens in natura ſua, quorum utrunque eſt inconueniens. Deus, & natura nihil faciunt fruſtra. Sed probatur conſequentia: nam ſcientia dei eſt idem, quòd intellectus dei, & non excedit eum, nec exceditur ab eo; ſed intellectus diuinus in infinitum excedit intellectum noſtrum poſsibilem, & intellectum noſtrũ agentem; cum non ſit maioris ambitus, quam poſsibilis, ut declaratum eſt: ergo ſciẽtia dei in infinitum excedit tam intellectum poſsibilem, quam intellectum agentem; & per conſequens intellectus agens non erit ſcientia dei: tum quia exceditur ab ea in infinitum: tum quia eſt maioris ambitus, quam intellectus poſsibilis. Secundo. Intellectus agens habet operationem præuiam intellectioni: ergo præter ſcientiam dei oportet dare intellectum agentem. Conſequentia patet per eos: quia ſcientia dei non operatur, niſi rebus mouentibus intellectũ. Antecedens patet per Philoſophũ, qui dicit quòd intellectus agens abſtrahit à conditionibus materiæ, ſiue à phantaſmatibus. Et ideo Plato, qui ponebat entia abſtracta non, ponebat intellectum agẽtem. Iſta autẽ operatio eſt præuia intellectioni: ergo.

*1. cæl. tex. c. 32. 3. de anima tex. c. 43.*

*Eliciiuè ex tertio de anima tex. c. 18. Sed magis expreſſè Auer. in com. 18.*

Tertio. Aut ſcientia dei dicitur intellectus agens: quia dat rebus uirtutem, & naturam mouendi intellectum poſsibilem. Aut, quia dat ſibi aliquam aliam. Nõ aliã per eos: ergo dat ſibi hanc; hoc autem eſt omnino incõueniens: quia pari rõne ſciẽtia dei eſſet intellectus poſsibilis: quia dat ei uirtutem, & naturam intelligendi, & recipiendi ſpecies intelligibiles. ET CONFIRMATVR: quia iſta obiecta particularia, uel habent à ſcientia dei influentiam aliquam ſpecialem, uel ſolum uniuerſalem. Non ſpecialem: quia nullam talem aſsignant: ergo ſolum uniuerſalem. Et tunc pari ratione diceretur, quòd diuina ſcientia: quia dat igni potentiam calefaciendi, & ſic de omni potentia actiua; hoc autem eſt inconueniens: ergo.

TERTIAM concluſionem probo etiam tripliciter. Primo ſic. Quandocunque ſunt duæ perfectiones, quarum una eſt nobilior altera, ſi nobilior nõ repugnat alicui propter ſuam perfectionẽ, nec minus nobilis: patet ex terminis. Sed intelligere aliquid formaliter, & intelligere aliquid uirtualiter ſic ſe habent, etiam per eos; & non repugnat animę habere intellectũ poſsibilem, qui tamen intelligit formaliter propter ſui perfectionem: ergo minus repugnabit ei habere intellectum agentem, qui eſt intelligẽs uirtualiter propter ſui perfectionem: cum tamen propter hoc non ponatur in anima, ut dicunt: ergo. Secundo. Homo ex proprijs principiis naturalibus poteſt in operationem ſibi propriam: aliàs natura defeciſſet in propriis, & naturalibus operationibus neceſſariis; ſed intelligere eſt propria operatio hominis: ergo ex propriis principijs naturalibus poterit homo intelligere; hoc autem non poſſet, ſi intellectus agens non eſſet aliquid animæ. Nam ſiue intellectus agens ſit totalis cauſa actus intelligendi, ſiue non; neceſſariò habet operationem aliquã præuiam intellectioni; & per conſequens, ipſo amoto ab anima, homo non poterit ex proprijs principiis naturalibus in operationem ſibi propriam, quòd eſt incõueniens. Tertio. Illud, cuius operationem percipimus in nobis, dũ uolumus, ſic, quòd eius operatio dependet ex uoluntate noſtra; non eſt aliqua ſubſtantia ſeparata à nobis; immò neceſſariò eſt aliquid in nobis; ſed operationem intellectus agentis percipimus in nobis, dum uolumus, ſic, quòd eius operatio dependet ex uoluntate noſtra: ergo. Maior patet: quia irrationale uidetur, quòd habeamus uirtutem deducendi aliquam ſubſtantiam ſeparatam, dum uolumus, cum quælibet talis ſubſtantia ſit nobilior quacunque ſubſtantia inferiori; immò nec aliquid diſtinctum à nobis loco, & ſubiecto, poſſumus hoc modo ad operationem deducere: & ideo neceſſariò, cuius operatio eſt in nobis, cum uolumus, coniunctum eſt nobis. Minor patet: quia cum uolumus, poſſumus intelligere; & per conſequens intellectum agentem ad operationem deducere, cum eius operatio, ut pluries dictum eſt, ſit pręuia intellectioni.

ET confirmatur iſta concluſio per Ariſt. in litera dicentem, quòd has duas differentias. ſ. intellectũ poſsibilem, & agentem oportet eſſe in anima noſtra. Et per Commentatorem, qui ibidem hoc appropriat à propoſito. Ad confirmationem clariorem harum concluſionum faciunt rationes probantes ſenſum agentem eſſe in nobis. Vide ſuperius ultima quæſtione ſecũdo articulo: & nota eas bene: quia ualde efficaciter probant intentionem.

*A. l. approbat.*

RESPONDEO ergo ad rationes alterius opinionis. Ad primum, cum dicitur, nulla potentia, &c. Poſſet concedi Maior, quòd nulla potentia ſit nobilior in nobis intellectu poſsibili ſimpliciter, niſi fortè uoluntas, de qua aliàs uidebitur. Et ideo intellectus agens, quamuis ſit aliquid animæ, non eſt nobilior ſimpliciter intellectu poſsibili. Eſt tamen nobilior ſecundum quid: & hoc probat probatio ipſorum: quia ſecundum quid. i. ſub ratione, qua agens, eſt nobilior: non autem oportet, quòd omne agens ſit omni paſſo nobilius ſimpliciter. Et poteſt ratio deduci contra eos, & arguitur ſic. Intellectus intelligens formaliter, eſt nobilior intellectu non intelligente formaliter per eos; ſed intellectus poſsibilis eſt intelligẽs formaliter; intellectus agens, ſiue ſit aliquid animæ, ſiue non, non eſt intelligens formaliter: quia de ratione intellectus agentis, ut agens eſt, non eſt intelligere formaliter: ergo uel oportet, quòd concedant, ꝙ intellectus agens, inquantum agẽs, ſit nobilior, quàm poſsibilis, quod eſt contra eos: uel oportet, quòd dicat talem intellectum nullo modo eſſe, quod etiam negant: quare, &c.

Ad ſecundum, cum dicitur, quòd agens uniuerſale non minus diſtinguitur loco, & ſubiecto à paſſo, quã agens particulare. Dicẽdum, quòd uerum eſt in actionibus tranſeuntibus; non autem in his, quę ſunt immanentes. NEC VALET, ſi dicatur, quòd hæc ſolutio petit: quia probatur inductiuè; nec datur inſtãtia, niſi in propoſito: non enim petit propter quod aſsignat cauſam. Nam illo modo probaretur, quòd numerus binarius condiuidatur in numeros, uel in numerũ, & unitatem, ut patet inductiuè in omnibus aliis numeris: ergo, & binarius. Non ualet, licet non poſsit dari inſtãtia, niſi in propoſito. Vnde ſufficit in talibus, quòd aſsignet cauſam. ſ. ꝙ eſt propinquus unitate. Et ſic ẽ in propoſito: cauſa enim quare hoc non habet ueritatem in actionibus immanẽtibus eſt: quia talis actio eſt perfectior agente: quia obiecta particularia, ſuppoſito, quòd ſint agentia, loco, & ſubiecto diſtincta ab intellectu poſsibili, oportet, quòd intellectus agens, qui ponitur agens uniuerſale, coniungatur eidem. Ad tertium concedo cõcluſionem: quia uolo, quòd ſit aliqua potentia immediatè in eſſentia animæ fundata, ut ſtatim uidebitur in ſequenti articulo, ſed ſolum eſt ratio agendi. Ad quartum negatur Maior: homo enim eſt agens particulare, & Sol agens uniuerſale; & tamen homo eſt nobilior Sole: quia omne animatum eſt nobilius inanimato. Poteſt tamen agens uniuerſale ſecũdum quid eſſe nobilius particulari: & iſto modo nõ eſt inconueniens, quòd aliquid accidens ſit nobilius aliqua ſubſtantia. Et quando dicitur, quòd agens particulare agit, ut inſtrumentum agentis uniuerſalis. Dico, quòd falſum eſt: homo enim non eſt inſtrumentum Solis. Ad ultimum dicendum, quòd obiecta, ut habent eſſe in phantaſmate, recipiunt influentiam ab intellectu agente: quia recipiunt illuſtrationem. Et cum dicitur, quòd tunc dependent ab eo. Dico, quòd uerum eſt, non ſimpliciter; ſed ſecundum quid, quantum ad eſſe intelligibile. Rationes ergo, ſalua reuerentia dicẽtium, non concludunt. Et hæc de primo.

*Solutio reſponſionis cuiuſdam, quæ principali obuiare uidetur.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

VTRVM intellectus agens ſit aliqua potentia immediatè fundata in eſſentia animæ diſtincta realiter ab intellectu poſsibili? Ad quod reſpondent aliqui doctores. Dicentes, quòd ſic. Probant ergo iſti duas concluſiones. Prima eſt, quòd intellectus agens eſt aliqua potentia fundata immediatè in eſſentia animæ. Secunda eſt, quòd diſtinguitur realiter ab intellectu poſsibili. PRIMA concluſio ex dictis eorum poteſt probari tripliciter.

*D. Thom. 1. par. ſub q. 79. ar. 4.*

Primo ſic. Quandocunque aliquod commune diuiditur per duas differentias ex oppoſito, tanquàm in duas ſpecies, ſi unum iſtorum, in quod diuiditur, eſt potentia; & reliquũ; ſed intellectus diuiditur in duas differentias, tanquàm in duas ſpecies, ut in intellectum agẽtem, & poſsibilem, ut patet in tertio huius: & intellectus poſsibilis eſt potentia animæ noſtræ: ergo & intellectus agens. Maior patet de ſe. Minor ponitur in tertio de anima.

*tex. c. 17. & 18.*

Secundo, Philoſophus in hoc tertio dicit, quòd in omni natura, in qua eſt dare, &c. Sed in natura animæ noſtræ eſt dare unam potentiam, quæ eſt omnia fieri, ſcilicet, intellectus poſsibilis: ergo.

*tex. c. 17.*

Tertio. Secundum Commentatorem ſuper iſto uerbo, in omni natura, &c. Dicit, quòd omni potentiæ paſsiuæ in natura ſua correſpondet potentia actiua: ergo intellectui poſsibili, qui eſt potentia paſsiua correſpõdet intellectus agens, qui eſt potentia actiua. ET PER Philoſophum confirmatur in litera, qui ponit iſtos intellectus eſſe duas differentias animæ. SECVNDA concluſio poteſt probari ex dictis eorum. Verum, quia non intendo eam negare: idcirco dimitto ad præſens.

*Com. 17.*

*tex. c. 17.*

*Confutatio præmiſſæ opin.*

ISTE AVTEM modus dicendi ualdè communis eſt, & dubius quantum ad hoc, quòd ponit intellectum agentem eſſe potentiam immediatè fundatam in eſſentia animę, quòd tamen non credo eſſe uerum. Et ideo probo concluſionem oppoſitam tripliciter.

*Pro hac materia Vide Ioan. Bac. q. 2. prolog. 1. ſent. Duran. 1. ſent. diſt. 3. q. 5.*

Primo ſic. Omnino potentia immaterialis immediatè fundata in eſſentia animæ eſt ſupra ſe conuerſiua; ſed intellectus agens non eſt huiuſmodi; & tamen eſt immaterialis: ergo non eſt aliqua potentia immediatè fundata in eſſentia animæ. Minor patet, quantum ad ambas partes. Nullus enim diceret, quòd intellectus agens eſſet ſupra ſe conuerſiuus, nec uirtus materialis; ſed probatur Maior inductiuè, & ratione. Inductiuè ſic: quia uoluntas eſt immaterialis potentia immediatè fundata in eſſentia animæ, & eſt ſupra ſe conuerſiua: uult enim ſe uelle: ſimili modo de intellectu poſsibili, & memoria. Ratione ſic. 1 Aut intellectus poſsibilis, uoluntas, & memoria ſunt ſupra ſe conuerſiuæ: quia ſunt potentiæ. Aut quia ſunt immateriales. Aut propter utrunque. Aut propter ſuas proprias naturas: hoc patet per ſufficientem diuiſionem. Sed non poteſt dici, quòd hoc competit: quia ſunt potentiæ: quia tunc competeret omni potẽtiæ, quod patet eſſe falſum: quia potentiæ ſenſitiuę non reflectuntur ſuprà ſe. Nec competit eis: quia ſunt immateriales preciſè: quia tunc cõpeteret intellectui agenti, cum ſit immaterialis, quod eſt falſum. Nec etiam propter ſuas proprias naturas: quia ſecundum Ariſt. primo Priorum, quicquid competit differentibus ſpecie, competit eis per aliquod commune, in quo conueniunt, & non per proprias naturas; ſed conuerti ſupra ſe competit intellectui poſsibili, & uoluntati, quæ differunt ſpecie: ergo relinquitur, quòd competit eis: quia ſunt potentiæ immateriales. Et hæc erat Maior, quòd omnis potentia immaterialis immediatè fundata in eſſentia animæ eſt ſupra ſe cõuerſiua: ergo.

*Elicitiuè ex cap. 23.*

2 Nulla potentia immediatè fundata in eſſentia animæ informat naturaliter intellectum poſsibilem; ſed intellectus agens informat naturaliter intellectum poſsibilem: ergo. Maior patet ex terminis. Minor probatur tripliciter. Primo. In omni actione immanẽte actiuum ſe ipſum perficit, & informat paſsiuũ; intelligere eſt actio immanẽs. 9. metaphyſicę & 2. ethicorum: ergo intellectus agens, qui ſe habet actiuè reſpectu intellectionis ſe ipſo informabit intellectum poſsibilem, qui ſe habet paſsiuè reſpectu eiuſdem. Maior patet: quia, cum actio immanens ſit perfectio agentis, neceſſariò eſt ſubiectiuè in eſſentia ſui actiui, uel alicuius immediati ſubiecti ſui actiui; actio immanens eſt ſubiectiuè in paſſo: recipitur enim intellectio in intellectu poſsibili paſsiuè, & ſubiectiuè.

*tex. c. 16. cap. 5.*

Secundo. Sicut ſe habet lux ad diaphanum, ita intellectus agens ad poſsibilem, ſecundum Philoſophum in hoc tertio: ſed lux ſe ipſa perficit diaphanum, & informat ergo.

*tex. c. 18.*

Tertio. Quandocunque aliqua duo realia ſunt in aliquo tertio, & neutrum habet eſſe per ſe, ſi ambo fluunt naturaliter ab illo tertio, & unum eſt actus reſpectu alterius, & non econuerſo; neceſſariò actus habebit ratione in perfectionis, & formę reſpectu eius, cuius eſt actus: hæc propoſitio eſt nota ex terminis, ſi inſpiciantur conditiones in ea poſitæ. Nam ſi aliqua deficeret, propoſitio non haberet ueritatem: ſi enim non eſſent duo realia, ſed duo intẽtionalia, cuiuſmodi ſunt lux, & ſpecies coloris in medio, unum aliud non informaret: quia quòd non habet eſſe reale, ſubiectum eſſe non poteſt. Tunc ſi aliquod illorum haberet eſſe reale per ſe, adhuc unum non informaret reliquum. Vnde ſi ſpiritus ſanctus, & uoluntas ſunt in tertio. i. in anima; non oportet, ꝙ ſpiritus ſanctus propriè ſit forma uolũtatis. Et tunc ſi illa duo non fluunt ab illo tertio ordine naturę; non oportet, quòd unum aliud informet. Et ideo charitas nõ eſt ſimpliciter forma omnium uirtutum, quamuis charitas, & omnes uirtutes ſint in tertio, ut in anima: quia charitas, & aliæ uirtutes nõ fluũt ab anima naturaliter. Item intellectus non dicitur formá uoluntatis, nec econuerſo: quamuis habeant omnes iſtas conditiones: quia deficit eis quarta: quia unũ eſt ſimpliciter actus reſpectu alterius magis, quàm econuerſo; ſed utrunque eſt aliquo modo actu ens reſpectu alterius: intellectus enim eſt actu ens reſpectu uoluntatis: quia bonum apprehenſum mouet uoluntatem, & uoluntas eſt actu ens reſpectu intellectus; quia habet mouere intellectum: ad uoluntatem enim pertinet mouere alias potentias ad actus ſuos. In omnibus itaque prælibatis ſic duo ſunt in tertio, quòd unum nõ propriè, uel ſimpliciter eſt forma alterius: quia non cõcurrunt omnes conditiones prędictę; ſed concurrentibus omnibus conditionibus pręnominatis, oportet duorum exiſtentium in tertio; unum reſpectu alterius habere rationem perfectionis, & formæ. Vnde ſi quantitas, & qualitas ſic ſit in ſubiecto, ut in ſubſtantia; quòd neutrũ habet eſſe per ſe, & quodlibet habet eſſe reale, & fluunt à ſubſtantia naturaliter: quia materia cum forma ſunt cauſæ omnium accidentium exiſtentium in ea, & unum ſimpliciter reſpectu alterius eſt actus; oportet, quòd unum illorum ſit perfectio alterius. Vt qualitas, quę ſe habet, ut actus reſpectu quantitatis, eſt perfectio quantitatis, & informat ipſam immediatè; ſed intellectus agens, & poſsibilis habent conditiones prædictas: ſunt enim duo realia: quorum neutrum habet eſſe per ſe, & ambo fluunt ab ipſa anima naturaliter, in qua ſunt, tanquàm in tertio, & intellectus agens eſt actus reſpectu poſsibilis, & non econuerſo, ſecundum Philoſophum in litera. Eſt enim ſubſtantia actu ens: ergo. Patet igitur Minor primæ rationis; & per conſequens tota ratio.

*tex. c. 80.*

3 AD PRINCIPALE arguitur ſic. Sicut ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, uel uoluntas ad uolibilia, ita ſe habet intellectus ad intelligibilia; ſed ſenſus nõ indiget ſenſu aliquo agente, quia diſtinguatur ab eo realiter, ſicut potẽtia à potentia, quamuis indigeat ſenſu agente, qui ſit cauſa effectiua actus ſentiẽdi, ut declaratum eſt ſupra. Et ſimiliter uoluntas non indiget uoluntate agente, quæ diſtinguatur ab ea, tanquam potentia à potentia, quamuis indigeat ipſa, ut ſit cauſa effectiua actus uolẽdi, ut



patebit inferius: ergo eodem modo dicendum eſt de intellectum quare, &c.

RESPONDEO ad rationes alterius opinionis. Ad primum, cum dicitur, quandocũque aliquod commune diuiditur, &c. Dicendum, quòd uerum eſt, ſi illud, quod diuiditur in iſta plura, diuiditur, tãquam genus, & non abſtrahat à potentia: nam ſi diuidatur tãquam analogum, & abſtrahat à potentia, non oportet, ut patet de ente: ens enim diuiditur in ſubſtantiam, & accidens: & quia abſtrahit à ſubſtantia, & accidente; nõ oportet, quòd ſi unum ſit ſubſtantia, & reliquum; &, quòd ſi unum ſit accidens, & reliquum: hoc etiam patet de ſubſtantia, quæ diuiditur tanquam analogum in materiam, & formam, & compoſitum; ſiue in actum, & potentiam, & abſtrahit à quolibet illorum. Et ideo nõ oportet, quòd ſi materia ſit potentia, quòd etiam forma, & econuerſo. Et ſic eſt in propoſito: quia iſta nõ eſt diuiſio in ſpecies, ſed analogi in analogata. Et intellectus in ſui communitate abſtrahit à potentia: quia non omnis intellectus eſt potentia, ut magis declarabitur inferius: & ideo non oportet, quòd ſi poſsibilis eſt potentia, quòd agens ſit potentia; ſed erit habitus, uel aliquid aliud, ut apparebit inferius.

Ad ſecundum concedo cum Philoſopho, quòd ſicut in anima noſtra eſt unũ, quod eſt omnia fieri, &c. Sed non ſequitur propter hoc, quòd ſit potentia: nec Philoſophus dicit; immò ſufficit, quòd talis ſit habitus connaturalis eo modo, quo dictum eſt.

Ad tertium dicunt aliqui, quòd huic potentię paſſiuæ reſpondet aliqua potentia, ut actiua, alio tamẽ, & alio modo. Eſt enim paſsiua, ut poſsibilis recipere rerum ſimilitudines. Et eſt actiua, ut habet in ſe habitum connaturalem, ſiue rationem agendi. Nec hoc uidetur eis contra principia philoſophię, ſ. quòd unũ, & idem ſit agens, & patiens, alio tamen, & alio modo: hoc enim apparet in multis; ſed quia non uidetur rationabile, ꝙ intellectus poſsibilis, qui eſt pura potentia in genere intelligibilium, ſit cauſa effectiua actus intelligendi: idcirco dicendum, quòd huic potentiæ paſsiuæ correſpondet anima ipſa, ut actiua, quæ per intellectum agentem, tanquam per rationem agendi, eſt totalis cauſa actus intelligendi, ut in ſequenti articulo declarabitur, & ipſa propriè loquendo per intellectum poſsibilem, tanquàm per rationem recipiendi, eſt receptiua eiuſdem, &c.

*Dubium cõtra præfatum reſponſum.*

SED CONTRA hoc occurrit quædam dubitatio. Nam cum intellectus agens fundetur in anima mediante intellectu poſsibili; nõ uidetur, quòd aliquid poſsit competere ipſi animæ per ipſum intellectum agentem; quin etiam competat ipſi intellectui poſsibili: quia immediatius, & perfectius informat ipſum. Et poteſt formari ratio ſic. Quandocunque aliqua tria ſunt ſic ordinata ad inuicem, quòd tertium nõ recipitur in primo, niſi mediante ſecundo, quicquid competit primo per tertium, competit & ſecundo. Sicut patet de qualitate, & quantitate reſpectu ſubſtantiæ. Et per conſequens, cum anima per intellectum agẽtem, tanquam per rationem agendi, cauſet actum intelligendi; ſequitur, quòd intellectus poſsibilis poſsit cauſare actum intelligendi, quod non eſt uerum.

*Solutio dubii.*

AD hoc eſt dicendum, quòd ſi ſecundum, quòd mediat inter primum, & tertium; poſsit habere rationem, ſicut primum, & ſecundum reſpectu illius actus, quem habet tertium per ipſum primum, tanquàm per rationem agendi, uera uidetur Maior, ſicut patet de colore reſpectu quantitatis, & ſubſtantiæ. Si uerò non: non oportet. Et ſic eſt in propoſito: nam intellectus poſsibilis, quàmuis mediet inter intellectum agentem, & ipſam animam; non tamen poteſt habere rationem cauſalitatis reſpectu actus intelligendi, cum ſolum ponatur in anima, ut principium quo reſpectu intellectionis. Intellectus poſsibilis ponitur in anima, ut principium quo, anima intelligit. VEL poteſt dici, quòd uera eſt Maior, niſi illud, quod competit tertio per primum, repugnet ſecundo. Vnde quàmuis paternitas ſit in patre mediante potentia actiua, quæ ponitur immediatum fundamentum paternitatis; eſt tamẽ propter paternitatem pater formaliter, non obſtante, quòd potentia actiua non ſit pater formaliter; nec aliquo modo. Et ratio huius eſt: quia potentiæ actiuę, quę ſolum eſt principium quo, repugnat eſſe pater. Sic autem eſt in propoſito: quia repugnat eſſe intellectui poſsibili cauſare actum intelligendi, cum ſit receptiuum eius: quia tunc reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & in potentia, quod eſt impoſsibile. Et ideo dubitatio nõ uidetur habere locum in propoſito. POSSET etiam dici aliter ad principale propoſitum. ſ. quòd Cõmentator loquitur largè de potentia, uocando potentiam actiuam, omne actiuum, ſiue ſit propriè potentia, ſiue habitus. Et iſto modo huic potentiæ paſsiuæ correſpondet pro actiua intellectus agens.

AD confirmationem Philoſophi dicendum, quòd ex illis uerbis non poteſt concedi, quòd intellectus agens, & poſsibilis ſint duæ potentiæ. Nam non omnis differentia in anima arguit diuerſitatem potentiarum; immò Ariſt. nunquàm inuenitur loqui de intellectu, niſi tanquàm de una potentia. Stante tamẽ unitate, accipi poſſunt plures differẽtię ipſius intellectus: quia adhuc agens diſtinguitur à poſsibili; ſicut habitus à potentia. Rationes igitur non concludunt.

*magiſter Iacob. Viterb. 1. quodlib. q. 14.*

ET IDEO eſt alius modus dicendi aliorum doctorum, qui dicunt, quòd intellectus agens eſt aliqua potentia animæ rationalis; non tamen ſecundum rem abſolutam eſt alia ab intellectu poſsibili; ſed una, & eadem erit potentia, quæ dicitur poſsibilis, & agẽs, licet non eodem modo: nam poſsibilis dicitur, ut ſe habet paſsiuè reſpectu intellectionis: agens uerò dicitur, ut ſe habet aliquo mõ actiuè reſpectu eiuſdẽ. Declarãt igitur iſti doctores duas concluſiones. Prima eſt, quòd anima reſpectu harum actionum, quæ ſunt intelligere, ſentire, & appetere, ſe habet aliquo modo actiuè, & aliquo modo paſsiuè. Secunda, quòd anima ſecundum unam, & eãdem potentiam; & non ſecũdum aliam, & aliam dicitur actiua, & paſsiua. Ex iſtis duabus cõcluſionibus: ſequitur ſtatim, quòd unus, & idem intellectus dicitur agens, & poſsibilis; alio tamen, & alio modo, ut dictum eſt. PRIMAM concluſionẽ probant iſti tripliciter. Primo ſic. Omnis operatio uitalis eſt à principio actiuo intrinſeco; ſed huiuſmodi operationes animæ ſunt operationes uitales: ergo ſunt à principio intrinſeco; non autem ab alio, niſi ab anima: ergo. Minor patet. Maior declarat: quia in hoc differunt uiuentia à nõ uiuentibus: quia uiuẽtia non ſolũ paſsiuè; ſed etiã actiuè ſe habent reſpectu ſuarum operationum. Quod apparet in illis motibus, qui ſunt communes uiuentibus, & non uiuentibus; ſicut generatio, & alteratio, & motus localis, dicuntur enim uiuentia moueri ex ſe ſecundum locum, & generari, & alterari ex ſe, ſicut dicit Commentator. 2. phyſicorum, & 7. metaphyſicæ: quia in ſe habent principium actiuũ iſtorum motuum: multo ergo magis dicendũ eſt, quòd reſpectu motuum, qui ſolum uiuentibus conueniunt, habeant in ſe principium actiuum: ergo.

*Com. 1. Com. 29.*

Secundo. Oportet actus proportionari actiuis potentiis: ita, quòd actus non excedat potentiam actiuam. Ex quo ſequitur, quòd actio uitalis non poteſt eſſe, niſi à principio uitali. Cum igitur operationes ſint uitales; ſequitur idem, quod prius. Tertio. Omnis actio immanens manet in agente, ut agens eſt, appetere, ſentire, intelligere ſunt operationes immanentes, nono metaphyſicæ, & 2. Ethic. ergo manent in agente. Sed manent in anima: ergo anima reſpectu harum operationum, non ſolum ſe habet actiuè, ſed etiam paſsiuè.

*tex. c. 16. cap. 9.*

SECVNDAM concluſionem declarant dicentes, quòd iſta potentia, ſecundum quam anima dicitur intelligens, ſentiens, & uolẽs, non eſt, niſi actualitas quædam incõpleta, pertinens ad ſecundam ſpeciẽ qualitatis, quę dicitur quædam potentia naturalis, cõſiderata

derata ſecundum exordium, & diſpoſitionem quandam reſpectu actus ulterioris. Vnde dicitur aptitudo, uel idoneitas quedam naturalis ad completum actum. Illud autem, quòd ſic eſt in potentia ſecundum quendam actum incompletum, mouetur ex ſe ad completum actum; non quidem efficienter, ſed formaliter. Et ita ſecundum idem anima dicitur actiua, & paſsiua; ſed non eodem modo. Et ut melius appareat intentio ipſorum, dicunt, quòd ſecundum Anſelmum tam in uolũtate, quàm in intellectu, q̃ et in ſenſu diſtinguitur inſtrumentũ, u t aptitudo inſtrumenti, & uſus inſtrumẽti. Inſtrumentum autem intellectiuum dicitur ipſe intellectus, uel ipſa potentia intellectiua, quę eſt aptitudo quædam generalis; aptitudines autem inſtrumenti dicuntur, quædam potentiæ, & aptitudines magis ſpeciales, fundatæ ſuper illam aptitudinem generalem: uſus uero inſtrumenti dicitur actus ipſe. Imaginatur tamen iſte doctor, quòd in uirtute intellectiua ſunt quidam actus incompleti concreati reſpectu omnium intelligibilium; quos uocat idoneitates, & ſimiliter in uoluntate reſpectu omnium uolibilium, quos uocat affectiones. Et eodem modo in ipſo ſenſu. Et ideo anima ſemper intelligit, uult, atque etiam ſentit actu incompleto. Dicit ergo, quòd uoluntas mouet ſe ſuis affectionibus, & intellectus ſuis idoneitatibus, ſiue aptitudinibus, & ſimiliter ſenſus. Et ſic eadem uoluntas eſt mouens, & mota: actiua, & paſsiua: & ſimiliter eadem potentia intellectus eſt mouens, & mota; actiua, & paſsiua. Et eodem modo uniformiter ponendum eſt aliquid actiuum in huiuſmodi potentiis omnibus: quia ipſa potentia cum ſuis aptitudinibus, ſecundum quòd apta eſt perfici per ulteriores actus, dicitur poſsibilis; ſecũdum uero, quòd ad illos actus mouet ſe, non quidem efficienter, ſed formaliter, dicitur agens. Et ſic intelligendum eſt, quòd intellectus agẽs, & poſsibilis eſt una, & eadem potentia; diuerſimodè tamen ſumpta. ET eſt ulterius aduertendum, quòd uniformiter imaginatur iſte doctor iſtos actus incompletos reſpectu formarum, ad quas eſt in potentia naturali in huiuſmodi potentijs. Tales autem actus incompletos in materia uocat rationes ſeminales. Et dicit, quòd tota realitas formæ præcedit in materia eius informationem actualem; ſub eſſe tamen ſpeciali, ſiue potentiali; & non deficit ſibi, niſi quidam modus; ſcilicet actualis exiſtentia: actus autem, & potentia ſecundum eum non ſunt, niſi quidam modi ſeminales ipſorum entium. Et quod dictum eſt de rationibus ſeminalibus reſpectu materiæ, intelligendum eſt de huiuſmodi aptitudinibus reſpectu harum potentiarum. Et hæc uidetur intentio iſtorum doctorum.

*Contra hũc doctorem Vide Aeg. quodlib. 6. q. 13. & 14.*

*Confutatio opinionis huius doctoris.*

*Pro hac materia. Vide Aegid. 1. ſenten. d. 3. par. 2. q. 3. prin. art. 2. item. 2. ſen. di. 24. par. 1. q. 4. ſecũdæ prin. item quodli. 1. q. 22. 5. q. 8. & 15.*

ISTE AVTEM modus dicendi, quamuis ſit ualdè ſubtilis; uidetur tamen dubius in ſe, & in modo declarandi. Pono igitur contra eum duas concluſiones. Pima eſt, quòd intellectus agens, & poſsibilis non ſunt unum, & idem intellectus realiter, ſicut iſti doctores ponunt. Secunda eſt, quòd non eſt poſsibile ponere tales aptitudines, ſiue actus incompletos concreatos in intellectu, nec in aliqua potentia animæ noſtræ, ſicut ponunt. PRIMA concluſio uidetur nota. Nã ſi intellectus poſsibilis, & agens eſſent unius, & idem intellectus realiter numero, ut dicunt; ſequeretur, quòd unum, & idem ſecundum idem eſſet actiuum, & paſsiuum reſpectu eiuſdem, quòd eſt impoſſibile. Conſequentia patet de ſe. Falſitas conſequentis etiam patet: quia tunc unum, & idem eſſet in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem: & eiuſdem ad ſe ipſum eſſet relatio realis: hęc autem ſunt impoſſibilia, ut declaratum eſt in quæſtionibus ſupra ſecundum huius quæſtione 5. articulo. 1. ergo, &c. SECVNDA concluſio, quæ uidetur magis dubia, probatur multipliciter. Primo ſic. Si in intellectu eſſent huiuſmodi idoneitates, ſiue actus incompleti concreati, & etiam tales rationes ſeminales in materia, ut ponunt; ſequeretur, quòd intellectus non eſſet potentia pura in genere intelligibilium, nec materia in genere entium; conſequens eſt falſum, & contra cõmunem doctrinã: ergo. Conſequentia probatur: quia quod habet actum in aliquo genere, ſiue completum, ſiue incompletum, nõ eſt pura potentia in illo genere; patet ex terminis: quia pura potentia excludit omnem actum. Si ergo intellectus haberet tales idoneitates; & materia tales formas ſeminales, haberent aliquem actum, ſaltem incõpletum: quia huiuſmodi idoneitates ſunt quidã actus incompleti, ut dicunt, & pari ratione rationes ſeminales in materia erunt etiam quidam actus incompleti: ergo. Secundo. Si intellectus per huiuſmodi idoneitates moueret ſeipſum actiuè ad actus completos, ſiue formaliter, ſiue effectiuè, ut dicunt, ſequeretur, q̃ materia poſſet ſe ipſam mouere actiuè ad formas ſenſibiles; conſequens eſt falſum: quia in materia nulla ponitur actualitas, ſiue uirtus actiua: ergo. Conſequentia nota. Nam pari ratione, quia intellectus, qui eſt pura potentia in genere intelligibilium, poteſt ſe ſuis idoneitatibus mouere ad actum complectum, ſiue ad formas intelligibiles; poterit materia, quàmuis ſit pura potentia in genere entium, mouere ſe ſuis rationibus ſeminalibus ad actum completum in genere entium, ſiue ad formas ſenſibiles: hoc autem eſt falſum.

Tertio. Si inintellectu ponerentur idoneitates, quibus ſe haberet actiuè reſpectu ſuorum actuum; ſequeretur, quòd omnis actio eſſet immanens, & nulla de mundo tranſiens; conſequens eſt falſum per eum in eadem quæſtione: ergo. Conſequentia probatur: quia pari ratione, quia ponuntur tales actus incompleti in intellectu poſſibili; ponerentur in quolibet paſſiuo naturali. Et per conſequens quodlibet paſſum, ſiue paſſiuum mouebit ſe ſuis aptitudinibus, & erit actiuum reſpectu actus completi; & per conſequẽs omnis actio erit immanens; cum actio immanens dicatur illa, quæ manet in agente; immo intelligere per eos non dicitur actio immanens; niſi quia intellectus ſe habet actiuè reſpectu intellectionis: idem autem eſſet dicẽdũ de omni aclione naturali. ET CONFIRMATVR iſta poſitio: quia tunc ignis moueret ſe ad formam aquæ, cum ſit in potentia ad eam: & cum talis motio non ſit libera; ſed naturalis: & ideo ſtatim conuerteretur in aquam. Quartò. Si dicta poſitio eſſet uera; ſequeretur, quòd in natura nulla eſſet generatio, nec corruptio, nec aliqua noua facto; conſequens eſt euidenter falſum: ergo. Conſequentia probatur: quia ſecundum aliam poſitionem tota realitas formæ ſenſibilis præceſſit in materia eius informationem actualem, & tota realitas formæ intelligibilis præcedit in intellectu actum intelligendi; ſic, quòd nihil de nouo acquiritur, niſi quidam modus; ſed acquiſitio modi nõ eſt generatio: nec perditio eius poteſt dici corruptio: aliàs res naturales eſſent in continua generatione, & corruptione, cum perdant, & acquirant nouos modos: ergo. Et augeo ulterius idem inconueniens: quia non ſolum hæc poſitio deſtruit generationem, & corruptionem; ſed etiam omnes cauſas agentes, ſiue efficientes; nam ex quo non deficit rei, niſi quidam modus, & ipſa ex ſe poteſt mouere formaliter ſe, ad habendum illum modum; non oportet ponere aliquam cauſam agentem: hoc autem eſt impoſſibile. Quinto. Omne recipiens debet eſſe denudatum à natura recepti tertio huius: & per Commẽtatorem, per omnes etiam Philoſophos; ſed, quòd habet actum incompletum non eſt denudatum à natura actus: quia actus incompletus habet aliquid de natura actus: ergo qui habet actũ incompletum, non poteſt accipere actum incompletum; & per conſequens intellectus nunquàm intelligeret actualiter. *tex. c. 4.* ET CONFIRMATVR: quia intellectus non ſolum dicitur recipere actũ intelligendi; ſed etiam ipſas formas intelligibiles; ſed ſecundum aliam poſitionem: intellectus enim non eſt denudatus à natura talium formarum, cum ſint in ipſo concreatę; immò non deficit eis, niſi quidam modus, ut dicũt, cui autem



autem non deficit, niſi quidam modus rei, non dicitur eſſe denudatus à natura illius rei: ergo. Sexto. Si illa poſitio eſſet uera; ſequeretur, quòd intellectus haberet in ſe infinitas realitates, ſiue entitates, quarum una non eſt alia actualiter; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia probatur: nam cum intellectus ſit infinitus extenſiuè: quia poteſt durare per tempus infinitum. Eſt enim potentia ad infinitos actus: ſi ergo reſpectu cuiuſlibet habet ſuam idoneitatem, & aptitudinem, quarum una non eſt alia; actu habebit infinitas entitates: nam quamuis non habeat eas ſub eſſe actuali; habet tamen eas ſub eſſe potentiali actualiter. Et cum ſub tali eſſe ſint uerè entia; ſequeretur, quòd actu habeant infinitas entitates. ET IAM CONFIRMATVR per ipſos met: quia iſtæ idoneitates ſunt quidam actus imperfecti: ergo actu habet infinitos actus, quamuis imperfectos, ſiue incõpletos; hoc autem uidetur impoſſibile: ergo. Septimo. Videtur deficere dicta poſitio: quia confitetur directè poſitionem Anaxagorę, qui poſuit latitationem formarũ; hoc autem à Philoſopho, & ab omnibus eſt improbatum. Conſequentia patet: quia omnes formę ſenſibiles uidentur latere in materia, & intelligibiles in intellectu, & habẽt ibi eſſe ſub eſſe potentiali, & non actuali.

Octauo, & ultimo. Quantum ad præſens deficit hæc poſitio: quia non poteſt ſaluare intellectum eſſe tanquam tabulam raſam, &c. Cuius contrarium dicit Philoſophus in hoc. 3. Conſequentia uidetur nota: nam quod habet realitates omnium formarum intelligibilium, ad quas eſt in potentia, non eſt denudatum à naturis ipſarum; & per conſequens nec eſt, ſicut tabula raſa non igitur uidetur uera dicta poſitio.

*tex. c. 14.*

*Compendioſa reſolutio rationũ Magiſtri Iacob. Viterb.*

RATIONES uero, quas adducit uerũ concludunt, ſi bene intelligantur. Concedo namque eis animam ſe habere actiuè reſpectu actus intelligendi: non tamen propter hoc ſecundum unam, & eandem potentiam, ut dicunt, ſed habet ſe paſsiuè per intellectum poſsibilem, & actiuè per intellectum agentem, qui diſtinguuntur realiter inter ſe; non quidem ſicut duæ potentiæ; ſed ſicut potentia, & habitus connaturalis potentię, ut inferius clarius apparebit: & ideo nõ oportet reſpondere ad eos.

*Opinio peculiaris iſtius doctoris de intellectu agente.*

NARRATIS igitur diuerſis opinionibus de intellectu agente, tangendus eſt quidã modus alius dicendi de ipſo, qui mihi inter cæteros probabilior uidetur, & dictis Philoſophi ſatis conſonans. Eſt autem modus talis, quòd intellectus agens eſt quoddã lumen, ſiue quidam habitus connaturalis intellectui poſsibili diſtinctus realiter ab eo, ſe ipſo perficiens, & informans ipſum. Hic autem modus dicendi tria ponit per ordinem. Primum, quòd intellectus agens eſt quoddam lumen, ſiue quidam habitus connaturalis intellectui poſsibili. Secundum, quod diſtinguitur realiter ab eo. Tertium, quòd ſe ipſo perficit, & informat ipſum. Vltima duo probata ſunt ex dictis contra primam, & ſecundam opinionẽ:

RESTAT ergo probare primum, quod probatur ad præſens tripliciter. Primo ſic. Omne, quod eſt animæ concreatum, eſt potentia, uel habitus cõnaturalis potentiæ; ſed intellectus eſt animę concreatus, & non eſt potentia: ergo eſt habitus connaturalis potentię. Maior nota pro tanto: quia omne reale, quòd eſt in anima, uel eſt ſpecies, uel actus, uel habitus, uel potentia: ſpecies autem, & actus non ſunt animæ concreati. Item habitus quidam eſt acquiſitus, quidam naturaliter inditus; acquiſitus non eſt animæ concreatus: ergo omne, quod eſt animæ concreatum eſt potentia, uel habitus connaturalis potentiæ. Minor quantum ad primam partem nota eſt de ſe: quantum ad ſecundam patet ex dictis contra primam opinionem.

Secundo ſic. Cuicunque competit diffinitio, & diffinitum; ſed diffinitio habitus competit intellectui agenti: ergo. Maior nota. Minor patet per Commentatorem tertio huius dicentem, quòd habitus eſt quo *Com. 18.* quis utitur, quando uult; ſed anima utitur intellectu agente, quandocunque intelligit, & non utitur ipſo ẽt, ut potentia, cum non ſit eius potentia, ut dictum eſt: ergo ſic, ut habitu. Tertio. Illud, quod ſe ipſo perficit, & informat intellectum poſsibilem naturaliter, ſicut lumen, & actus eius, quo potentia ſit habilis, & idonea ad recipiendum ulteriores actus: eſt habitus connaturalis ipſius; intellectus agens eſt huiuſmodi: ergo. Maior eſt nota pro tanto: quia de rõne habitus eſt, quòd ſe ipſo perficiat, & informet potentiam, cuius eſt habitus; ut potẽtia ſit perfecta, & illuminata, & idonea per habitum ad recipiendum ulteriores perfectiones; ſicut anima perfecta per uirtutes morales ſit idonea, ut perficiatur per perfectiones intellectuales: nam ut dicitur 7. ethicorum, anima ſedendo, & quieſcendo ſit prudens. Poſtquàm enim anima eſt ſedata, & quieta à paſſionibus, quod ſit per uirtutes morales, eſt diſpoſita, ut fiat magis prudens, & docibilis, quod ſit per uirtutes intellectuales. Illud ergo, quod ſe ipſo perficit, & informat intellectum poſsibilem; ſicut lumen, & actus eius; eſt habitus connaturalis ipſius, &cæt. Et hæc erat Maior. Minor, quantum ad primam partem fuit probata ſuperius contra primam opinionem. Quantum ad ſecundam ponit eam Philoſophus expreſsè, qui uult intellectum agentem eſſe actum, & lumen intellectus poſsibilis in hoc tertio. ET CONFIRMATVR hæc concluſio per Philoſophum in hoc tertio, qui expreſsè uocat intellectum agentem habitum: certum eſt autem, quòd non eſt habitus acquiſitus: relinquitur ergo, quòd ſit habitus connaturalis.

*Elicitiuè ex ca. 5. ſed in propria forma reperitur. 7. phyſi. tex. c. 20.*

*tex. c. 18.*

*tex. c. 18.*

*Dubia aduerſus propriam opin.*

SED QVIA iſte modus pluribus uidetur extraneus, & dubius. Ideo ad pleniorem intelligentiam ipſius mouendæ ſunt aliquæ dubitationes, & ſoluendæ, ut ex ipſarum ſolutione ueritas magis patefiat. Probatur ergo, quòd intellectus agens non ſit habitus connaturalis ut dicebatur, & hoc multipliciter. Primo ſic. Illud, quod præuenit omnem actum intelligendi, non eſt habitus, nec per conſequẽs habitus connaturalis; hoc patet. 2. ethicorum; ubi dicit, quòd habitus cauſantur ex actionibus: ergo non præueniunt omnem actum. Sed intellectus agens neceſſariò præuenit omnem actum intelligendi: ergo. Minor patet. Nam propter hoc ponitur intellectus agens, ut res fiant actu intelligibiles, quæ prius erant intelligibiles in potentia. Secundo. Nullum terminatiuũ eſt æqualis ambitus cum determinato: hoc patet de ſe; ſed omnis habitus eſt determinatiuus potentiæ: quia determinat ipſam ad operationem ſuam: ergo nullus habitus eſt æqualis ambitus cum potẽtia, cuius eſt habitus. Sed intellectus agens eſt æqualis ambitus cũ intellectu poſsibili, ut declaratum eſt ſupra: ergo non poteſt eſſe eius habitus. Tertio nullus habitus eſt nobilior ſua potentia: hoc patet: quia nobilior eſt tota res, quam habitus eius; ſed intellectus agens eſt nobilior intellectu poſſibili: quia agit, & poſſibilis patitur: & agens eſt nobilius, & præſtantius paſſo ſecundum Philoſophum. 3. huius. Quarto ſecundum Philoſophum, & Commentatorem. Sicut ſe habet materia ad formas ſenſibiles, ita intellectus ad formas intelligibiles; ſed materia eſt denudata omni forma ſenſibili: ita, quòd nullam habet de mundo: igitur intellectus eſt totaliter denudatus omni forma intelligibili ſic, quòd nullam habebit in ſe. Si autem intellectus agens eſſet habitus eius; iam aliquid haberet actu: ergo.

*Cap. 1.*

*tex. c. 19.*

*tex. c. 3.*

Quintò. Quod eſt in ſui primordio ſicut tabula raſa, &c. non habent habitum naturaliter inditum; intellectus poſſibilis eſt huiuſmodi: ergo. Minor ponit Philoſophus in litera. Maior eſt de ſe nota: quia quod habet habitum naturalem diſtinctum à ſe realiter, non eſt ſicut tabula raſa, &c. Sexto. Nullus naturalis habitus acquiritur inductiuè; ſed intellectus acquiritur inductiuè: ergo. Maior patet: quia, quod eſt naturale non acquiritur, &c. Minor probatur: nam intellectus agens dicitur habitus principiorum; habitus autẽ prin-

*3. de anima tex. c. 14.*

*tex.c.27.*

principiorum, ut dicitur. 2. Poſteriorum acquiritur inductiuè. Septimo. Nullus habitus naturalis acquiritur uia ſenſus, memoriæ, & experientiæ: hoc patet per probationem Maioris præcedentis rationis. Sed intellectus, cum ſit habitus principiorum, acquiritur huiuſmodi: ergo. Minor etiam patet. 6. ethicorum, & in proœmio metaphyſicæ; ubi dicitur, quòd principia acquiruntur uia ſenſus, memoriæ, & experientiæ; & per conſequens habitus principiorum, quod idem eſt.

*Cap.4.*
*1.Metaph. in proœ.*

Octauo. Sapientia non eſt nobis connaturalis, nec ſecundum ſe totam, nec ſecundum aliquam partem ſui: hoc patet de ſe: ſed ſi intellectus agens, qui eſt habitus principiorum, eſſet nobis connaturalis; ſapientia eſſet in nobis connaturalis, ſaltem ſecundum partẽ: ergo. Probatur aſſumptum: quia habitus principiorum eſt quædã pars ſapientiæ. Nono. Probatur, quòd intellectus agens non ſit habitus connaturalis reſpectu principiorum, & arguitur ſic. Illud, quod eſt indifferens ad cognitionem principiorum, & concluſionum, non eſt habitus naturalis principiorum; ſed intellectus agens eſt indifferens ad iſta: ergo. Maior eſt nota. Minor patet: quia intellectus agens non eſt, niſi ratio agendi; ſed iſta ratio agendi eſt reſpectu principiorum, ſicut concluſionum, & econuerſo: ergo. Decimo. Illud non eſt habitus, cui non competit diffinitio habitus; ſed intellectui agenti non competit diffinitio habitus; immò competit ſibi diffinitio potentiæ: ergo non eſt habitus; ſed potentia. Maior patet. Minor probatur: quia habitus eſt, quo male, & bene poſſumus; potentia qua abſolutè poſſumus; ſed per intellectum agentem abſolutè poſſumus; quia abſolutè per eum intelligimus: cum per ipſum intelligibilia in potentia fiant actu intelligibilia. Vndecimo. Omnis habitus eſt determinatè uerorum; ſed intellectus agens non eſt determinatè uerorum; ſed omnium, quæ intelligimus; cum per ipſum intelligamus, quicquid intelligimus: ergo. Duodecimo. Nullus habitus abſtrahit à conditionibus materialibus, cum cauſetur ex actibus; & per conſequens ſequatur abſtractionem; ſed intellectus agens abſtrahit à conditionibus materialibus: ergo non eſt habitus. Immò neceſſario potentia, cum potentiæ ſit abſtrahere.

*Commentator 3. de anima.*
*Com.18.*

*Solutio rationum aduerſantium ſuæ peculiari opinioni.*
*tex.c.27.*
*cap.4.*

AD ISTA reſpondeo per ordinem. AD primum igitur dico, quòd duplex eſt habitus. Vnus quidem naturalis, qui eſt ratio agendi. Alius autem acquiſitus, qui ex aliis habetur. Concedo ergo, quòd illud, quod præuenit omnem actum intelligẽdi, non eſt habitus acquiſitus: cum talis habeatur per actus. De iſto autem loquitur Philoſophus, Secundo Poſteriorũ & ſexto ethicorum, non autem de habitu connaturali. Et quia talis præuenit omnem actum; immò eſt cauſa ipſius actus intellectus, & ſi non eſt habitus acquiſitus; erit tamen habitus connaturalis, qui eſt ratio agendi, & habendi huiuſmodi actus.

Ad ſecundum dicendum, quòd duplex eſt determinatiuũ. Quoddã contrahens illud, quod determinat ad naturam ſpecialem; ſicut rationale, quod contrahit aĩal ad naturam determinatum. Aliud uerò contrahens illud, quòd determinat non ad naturam determinatam; ſed determinans ipſum ad ſuam operationem. Et iſto modo intellectus agens determinat intellectũ poſſibilem; non, quòd contrahat ipſum ad naturam aliquam determinatam; ſed determinat ipſum ad ſuam operationem. Tunc ad Maiorem dico, quòd determinatiuum primo modo ſumptum non eſt æqualis ambitus cum eo, quòd determinat, & de tali procedit ratio. Sed determinatiuum ſecundo modo ſumptum neceſſariò eſt æqualis ambitus cum determinato: aliter non determinaret eam in omni operatione ſua.

Ad tertiam poſſet negari Maior: eo, quòd actus nobilior eſt potentia: quia potentia eſt propter actum, & non econuerſo: quia habitus tenet medium inter potentiam, & actum: quia nec totaliter potentia, nec totaliter actus. Ideo habitus magis accedit ad naturam actus, quam potentia; & per conſequens erit nobilior ipſa ſecundum quid. Et ſic intellectus agens eſt nobilior intellectu poſſibili ſecundum quid. Quid tamen ſit de hoc, dico, quòd potentia poteſt eſſe ſimpliciter nobilior habitu, & habitus nobilior ſecundum quid. Et ſicut intellectus poſſibilis eſt nobilior ſimpliciter intellectu agente, ſic intellectus agens nobilior ſecundum quid, ut ſuperius dictum eſt, & hoc probat illa probatio, & non plus. Ad quartum concedo, quòd ſicut materia eſt denudata omni forma ſenſibili, ad quas eſt in potentia: ſic etiam intellectus poſſibilis eſt denudatus ab omni forma intelligibili, ad quam eſt in potentia. Et hæc eſt directè intentio Philoſophi: quia non uult probare, niſi, quòd ſit denudatus ab omni ſpecie, ſiue ſimilitudine rerum intelligibilium; ſed non habetur propter hoc, quòd non habeat habitum connaturalem; bene tamen habetur, quòd non habet actũ magis incompletum, ſiue idoneitates illas, quas ponit præcedens opinio. Ad quintum patet per idem, quid dicendum. Cum enim dicitur intellectus in ſui primordio, &c. Concedo, quòd nulla ſimilitudo, uel ſpecies alicuius rei intelligibilis, nec actus incompletus eſt in eo. Et hoc uult probare Philoſophus, & Cõmentator, & nihil aliud; eo, quòd recipiens debet eſſe denudatũ à natura recepti: & ſic intellectus debet eſſe denudatus ab omni ſpecie, ſiue ſimilitudine, & actu, qui in eo debet recipi. Ad ſextum concedo Maiorem: ſed quãdo poſtea dicitur, quòd intellectus agẽs acquiritur inductiuè. Dico, quòd falſum eſt. Ad probationem, cum dicitur, quòd habitus principiorum acquiritur inductiuè; non eſt uerum de primis principiis, quo ſunt ſimpliciter prima principia; ſed de principiis, quæ ſecundum quid ſunt principia in ſcientia. Et de talibus dicitur ſexto ethicorum, quòd acquiruntur inductiuè; non autem de principiis ſimpliciter primis. Intellectus agens non dicitur iſtorum principiorum, ſed primorum. Ad ſeptimum patet per idem, quid dicendum: habitus enim principiorum in ſcientia, quæ ſunt principia ſecundum quid, acquiritur uia ſenſus, & memoriæ, & experientiæ. Et de talibus loquitur Philoſophus: habitus autem primorum principiorum non acquiritur iſto modo. Ad octauum patet per idem: habitus autem primorum principiorum non eſt pars ſapientiæ: quia talis habitus naturaliter ineſt nobis: habitus autem principiorum ſecundum quid eſt pars ſapientiæ, & talis habitus non eſt intellectus agens.

Ad nonum dicendum, quòd intellectus agens principaliter, & primo reſpectu principiorum eſt habitus: reſpectu uero concluſionum ex cõſequenti, & mediante habitu principiorum. Et ideo dicitur habitus principiorum, & non concluſionum. Ad decimum concedo Maiorem: ſed nego Minorem. Ad probationem dico, quòd diffinitio iſta eſt habitus acquiſiti; non autem habitus connaturalis. Per talem enim neceſſariò poſſumus abſolutè. Ad undecimum dicẽdum, quòd intellectus agens primo, & principaliter eſt uerorum; per accidens autem eſt falſorum: quia talis non eſt intellectio; ſed potius intellectus deceptio: & quia unũquodque denominatur ab eo, quod eſt per ſe: ideo denominatiuè dicitur uerorum.

PROPTER SOLVTIONEM ultimi argumenti cadit quædam dubitatio. ſ. quam operationem habeat intellectus agens circa phantaſmata.

*Gotf. quodlib.5. q.10. Pro hac materia. Vide Ioan. Bac. 1. ſent. q.2. prol. ar.4.*

AD QVOD reſpondent aliqui doctores dicentes, quòd intellectus agens habet operationem, ſiue actionem aliquam circa phantaſmata; non quidem poſitiuam: quia nihil in ipſis phantaſmatibus ponit; ſed tantum remotiuam, ſiue ſequeſtratiuam: quia remouet ab eis illud, quo ſtante, non poterant intelligi.

PROBANT ergo iſti doctores duas concluſiones. Prima eſt, quòd intellectus agens habet aliquã operationem, ſiue actionem circa phantaſmata. Secunda, quòd huiuſmodi operatio non eſt poſitiua; ſed tantum remotiua, ſiue ſequeſtratiua.

PRIMAM



PRIMAM concluſionem probant dupliciter. Primo ſic. Omne, quod nunc mouet, & prius non mouebat, habet aliquam diſpoſitionem in ſe factã, quæ prius facta non erat: hæc propoſitio in creaturis uidetur neceſſaria, ſpecialiter in mouẽtibus naturaliter, & non per liberum arbitriũ; ſed phantaſmata mouent modo, quæ prius non mouebant: ergo habent aliquam diſpoſitionem, quam prius non habebant. Hanc autem diſpoſitionem non poteſt agere, niſi intellectus agens: ergo. Secundo. Intellectus poſſibilis reducitur de potentia ad actum: ergo hoc eſt uirtute alicuius agentis; ſed illud agens non poteſt dici intellectus agens: quia nullum agens creatum poteſt agere de nouo, niſi aliquid recipiat, quod non poteſt dici de intellectu agente, cum ſit purè actiuus: ergo illud agens erit ipſum phantaſma. Sed phantaſma non poteſt agere in intellectum poſſibilem, niſi mediante uirtute intellectus agentis: ergo neceſſariò intellectus agens habet aliquam operationem circa phantaſmata. SECVNDAM concluſionem etiam probant dupliciter. Primo ſic. Si intellectus imprimeret aliquid in phantaſmatibus poſitiuè. Iſta diſpoſitio poſitiua, quam ſibi imprimeret, aut eſſet ſpiritualis, aut corporalis. Nõ ẽ ſpiritualis: quia omne, quod in alio recipitur, recipitur ad modũ rei recipientis, &c. Et cum phantaſmata ſint de ſe materialia, & corporalia; illud immateriale, quod reciperetur in eis: reciperetur modo materiali, & corporeo: & ſic non moueret, ſicut nec prius mouebat. Nec iſta diſpoſitio poteſt eſſe materialis, aut corporalis: quia non daret uirtutem mouendi, nec poſſet magis mouere phantaſmata poſt talem diſpoſitionẽ, quàm ante: ergo. Secundo. Nũquam ignobilius agit in nobilius: quia ſemper agens ẽ præſtantius patiẽte; ſed phantaſma cũ iſta diſpoſitione adhuc eſſet ignobilius intellectu poſſibili: & per cõſequens non poſſet cum iſta diſpoſitione agere in ipſum: talis igitur diſpoſitio poſitiua non eſt ponenda: quia fruſtra poneretur.

*Elucidatio huiuſce opinionis.*

DICVNT ergo iſti doctores ad declarationem ipſorum, quòd huiuſmodi diſpoſitio eſt tantum remotiua, & ſequeſtratiua conditionum materialiũ: ita, quòd intellectus agens illuminat illud phãtaſma ſolũ, quãtum ad quidditatem, & non quantum ad conditiones materiales. Et quòd hoc ſit poſſibile, declarant per exẽplum. Videmus enim, quòd lumen illuminat ipſum lac, non quidem, quantum ad dulcedinem; ſed ſolum, quantum ad albedinem; licet albedo, & dulcedo ſint ſimul in lacte inuenta in genere ſuo. Iſto modo intellectus agens illuminat ipſum phantaſma ſolũ, quantum ad quidditatem: & non quantũ ad conditiones materiales: licet iſta uel ſint in phantaſmate coniuncta. Imaginantur enim, ſicut & Auicenna fuit imaginatus, ut dicitur ſexto naturalium, quòd phantaſma habet duas facies. Vnam uerſus intellectum agentem, & iſta facies eſt clara. Aliam uerſus phantaſiam. Eſt. n. hæc obſcura, ſicut patet de flamma: quia uerſus ligna habet faciem obſcuram, & uerſus partem ſuperiorem habet faciem claram. Et quòd iſta acceptio intellectus agentis ſit bona, patet: quia hoc modo ſecundum eos, ſaluantur omnia, quæ dicuntur de intellectu agente, ſcilicet, quòd facit potentia intelligibilia actu intelligibilia: quia reducit de potentia ad actum, facit uniuerſalem: quia facit, quòd iſta ſpecies exiſtens in phantaſia repræſentet quidditatem rei; & quidditas ſecundum eos eſt ipſum uniuerſale. Vlterius dicũt, quòd non uidetur inconueniens, quòd iſta ſpecies exiſtens in phantaſia, moueat intellectum poſſibilem uirtute intellectus agentis: quia uidemus, quòd aliquid, quod non eſt de ſe uiſibile, ſit uiſibile per lumẽ aliquod; ſicut colores; dato, quòd de ſe non poſſent immutare uiſum; tamen poſſent mediante lumine: ita etiam licet phantaſma de ſe non poſſit immutare intellectum poſſibilem, ſiue mouere; uirtute tamen intellectus agentis, qui ſe habet ad phantaſmata, ſicut lumen ad colores, ut dicitur tertio huius, poterit ipſum mouere. Et etiã addunt in dictis ſuis, quòd ſi eſſet aliqua quidditas, quæ de ſe eſſet abſtracta, & à cõditionibus materialibus ſeparata, iſta talis quidditas de ſe abſque lumine intellectus agentis moueret intellectum: & ideo concedũt, quòd tantum propter iſtam abſtractionem ponendus eſt intellectus agens.

*Parte.5. Cap.8.*

*Tex.c.18.*

*Confutatio præfatæ opinionis.*

ISTE TAMEN modus dicendi non uidetur uerus, quãtum ad aliqua, quæ ponit. Et ideo pono tres concluſiones contra eum. Prima, quòd operatio intellectus agentis circa phantaſma, non eſt tantum remotiua, ut dicunt; ſed etiã neceſſariò poſitiua. Secunda, quòd ſi intellectus agens illuminat phantaſma quantum ad quidditatem, ut dicunt, quòd neceſſariò illuminabit ipſum, quantum ad conditiones materiales. Tertia eſt, quòd phantaſma uirtute intellectus agentis non repræſentat in intellectu poſſibili ipſum uniuerſale, ut dicunt. PRIMAM concluſionem probo quadrupliciter. Primo ſic. Si operatio intellectus agentis circa phantaſmata, tantum eſſet remotiua, & non poſitiua; ſequeretur, quòd phantaſmata ita modicum poſſent mouere, ſicut ante, poſt illuminationem; conſequens eſt falſum, & contra eos. Conſequentia probatur: quia quandocunque aliquid habet illud, quod prius non habebat, & nihil plus; omnem operationem, quam modo habet, poterat habere prius: ex quo nihil modo habet plus, quàm ante; ſed phantaſmata per eos nihil acquirũt: ergo quicquid modo poſſunt, poterant ante. Sed ante non poterant mouere: ergo nec modo. Et ſi modo poſſunt: ergo & ante. Quorum utrunque eſt contra eos. Secundo. Si intellectus agens nihil imprimeret in phantaſmatibus poſitiuè; ſequeretur, quòd phantaſmata propria uirtute poſſent mouere intellectum poſſibilem; conſequens eſt falſum, & contra eos: ergo. Conſequentia probatur: quandocunque aliquod agẽs agit ſolum remouendo illud, circa quod agit, remoto prohibente ſibi derelictum, poteſt in actionem, propter quam fiebat talis remotiuo, propria uirtute: hoc patet per exemplum. Si enim ſit aliquid graue, quod non poſſit deſcendere propter aliquod prohibens, ſi amoueatur illud prohibens per aliquod agens, tunc graue propria uirtute, & non alia deſcendet; ſed intellectus agens per eos non agit, niſi remouendo in phantaſmatibus: ergo, remoto prohibente, phantaſmata propria uirtute, & non per aliquid aliud mouebunt intellectum poſſibilem. Tertio intellectus agens eſt agens per ſe, & non per accidens; ſed illud, quod ſolum agit remouendo prohibens, non eſt agens per ſe: ſicut apparet de aperiente feneſtram; immò per accidens: ergo intellectus agens non ſolum agit, remouendo prohibens; & per conſequens eius actio non erit tantum remotiua. Quarto. Omnis actio agentis per ſe eſt poſitiua; & per conſequens habet aliquem effectum poſitiuum; ſed intellectus agens eſt agens per ſe: ergo eius actio eſt poſitiua, & per conſequens habet effectum poſitiuum. Et ſic non ſolum agit remouendo; ſed aliquid ponendo. SECVNDAM concluſionem probo dupliciter. Primo ſic. Agens, quod uniformiter agit, & de neceſſitate naturæ, & non per liberum arbitrium in paſſum ſibi uniformiter repræſentatum ſibi, uniformiter agit illud: ſed intellectus agens, eſt agens naturale, non per liberum arbitrium, & phantaſmata ſibi repræſentantur uniformiter; & quantum ad quidditates, & quantum ad conditiones materiales: ergo utrunque illuminabit uniformiter. Maior, & Minor uidentur notæ ex terminis.

Secundo. Illud, quod de ſe eſt intelligibile, circunſcripto quocunque alio, non indiget lumine intellectus agentis ad hoc, ut intelligatur; ſed quidditas per eos eſt intelligibilis per ſe: quia, ut dicunt, ſi quidditas eſſet abſtracta, abſque aliquo alio moueret intellectum: ergo quidditas, quantum

H eſt de ſe

eſt de ſe,non indiget lumine intellectus agentis; & per conſequens,ſi intellectus agens habet illuminare phantaſmata; multo magis illuminabit, quantum ad conditiones materiales,quàm quantum ad quidditates,cuius oppoſitum dicunt,& uolunt. TERTIAM concluſionem probo etiam dupliciter. Primo ſic.

Phantaſia poteſt uti omni ſpecie in ea exiſtente;ſed per eos ſpecies repræſentatiua uniuerſalis eſt in phantaſia: ergo phantaſia poteſt ea uti; & per conſequens poteſt uti uniuerſali, quod eſt manifeſtè falſum: ergo oportet,quòd aliqua præmiſſarum ſit falſa. Non Maior,ut patet de ſe: quia omnis potentia poteſt uti ſpecie exiſtente in ea: ergo Minor, quod eſt intentum.

*Occurrit cuidam reſponſioni, quæ argumentum infirmaret.*

NEC VALET, ſi dicatur, quod poteſt uti uniuerſali ſpecie, inquantum habet conditiones materiales: quia potentia habens aliquam ſpeciem, poteſt uti tota illa ſpecie; aliter fruſtra haberet eam. Secundo. Quod eſt poſterius actu intelligendi,non repræſentatur per aliquam ſpeciem præuenientem omnem actum intelligendi; uniuerſale eſt huiuſmodi, quantum ad ſuum eſſe formale, & completum, ut declaratum eſt quæſtione tertia primi libri: ergo. Cum igitur ſpecies exiſtens in phantaſia præueniat omnem actum intellectus, nõ poterit repræſentare ipſum actu uniuerſale. ET CONFIRMATVR, quod nihil habet, quod prius non habebat, non poteſt repræſentare,quod prius repreſentabat; ſed phantaſma poſt illuminationem intellectus agentis nihil habet,quod prius non habebat per eos: quia actio intellectus agentis eſt tantum remotiua,& nihil ponit: ergo phantaſma non poterit repræſentare uirtute ipſius intellectus agentis ipſum uniuerſale, quod prius non repræſentabat.

*Elucidatio difficultatis.*

DICO igitur quantũ ad dubitationem,ꝙ intellectus agens aliquid imprimit ipſis phãtaſmatibus, ſcilicet, lumen quoddam,ut patuit per rationes factas contra prædictam poſitionem. Illud autem lumen eſt in ipſa phantaſia, ſiue in ipſis phantaſmatibus formaliter, & ſubiectiuè. Quod probo ſic. Illud lumen eſt accidens, ut patet: non enim eſt ſubſtantia: ergo non poteſt per ſe exiſtere. Vel ergo erit in intellectu poſsibili. Vel in intellectu agente Vel in phantaſia, ſeu phantaſmatibus, uel in aliquo alio. Non in aliquo alio: quia tunc nihil faceret ad intellectionem. Nec in intellectu poſsibili: quia tunc non illuminarentur phantaſmata; ſed intellectus poſsibilis. Nec in intellectu agente: quia nihil illuminat ſe ipſum; nec agit in ſe ipſum. Item etiam non illuminarentur phantaſmata; ſed intellectus agens: ergo neceſſariò illud lumen erit in phantaſmatibus,ſeu in phãtaſia. Vlterius dico,quòd phantaſma ſic illuſtratum, ſic illuminatum cauſat in intellectu poſsibili ſpeciem intelligibilem; non tamen actum intelligendi:talis.n. ſpecies intelligibilis præuenit oẽm actum intelligẽdi.

ISTA DVO probantur per ordinem.

Primum ſic. Sicut ſe habet lumen ad colores, ſic intellectus agens ad phantaſmata; ſed colores uirtute luminis cauſant ſpeciem intentionalem in medio uel in potentia;non tamen cauſant ſpeciem totaliter immaterialem:eo, quod medium,& potentia non ſunt totaliter immaterialia. Et ſpecies debet recipi in medio,uel in potentia; cauſant tamen ſpeciem uirtute luminis: ergo phantaſmata uirtute intellectus agentis cauſabunt in intellectu poſsibili ſpeciem intelligibilem. Et quia intellectus poſsibilis eſt potentia immaterialis,iſta talis ſpecies in eo recepta erit immaterialis. Secundum ſic probatur. Actus intelligendi, cum ſit actio immanens,uel erit in agẽte,à quo cauſatur effectus,uel ſaltem in eodem ſubiecto cum eo,ut clarius declarabitur in articulo ſequenti; ſed actus intelligendi non eſt in phantaſmate, nec in eodem ſubiecto cum eo, cum phantaſmata ſint in phantaſia, & actus intelligendi in intellectu: ergo non poterit talis actus à tali ſpecie cauſari.

*Solutio rationum Gotfr.*

RESPONDEO igitur ad rationes alterius opinionis. Ad primam concedo cum eis concluſionem, quòd per aliquam diſpoſitionem; ſed hæc diſpoſitio non eſt remotiua;immò oportet,ut probatum eſt,quòd ſit poſitiua. Vnde ratio iſta magis eſt contra eos,quàm pro eis. Ad ſecundum etiam patet ſolutio: nam bene uolo, quòd intellectus agens habeat operationem circa phantaſmata; ſed non ſolum remouendo; ſed aliquid ponendo: & ideo nihil concludit pro ſe. AD PRIMAM rationem probantem ſecundam concluſionem dico, quòd iſta diſpoſitio eſt ſpiritualis. Ad probationem, cum dicebatur, quicquid recipitur,&c. Nego probationem ſic ſimpliciter acceptam. Videmus enim, quòd accidens recipitur in ſubſtantia; & non tamen eſt ſubſtantia. Et anima recipitur in corpore quanto, & non eſt quanta. Et punctus recipitur in linea quanta, & diuiſibili;& tamen non eſt quantus,nec diuiſibilis. Debet ergo iſta propoſitio ſic intelligi,ſicut alibi declaratum eſt, quòd omne,quod in alio recipitur habet modum recipientis, niſi talis modus ſecũdum ſuam naturam repugnet ipſi recepto. Et ideo, quia animæ intellectiuę ſecundũ ſuam naturam repugnat extenſio, licet recipiatur in quanto,& extenſo; non tamen propter hoc extenditur nec ſit quanta. Sic etiam dicendum eſt in propoſito, quòd licet illud lumen ſpirituale recipiatur in aliquo materiali,& extenſo; tamen quia ſecundum ſuam naturam in eo, quod ſpirituale eſt, ſibi repugnat extẽſio, & materialitas:propter hoc non oportet, quòd extẽdatur,nec quòd ſit materiale. Vel poſſet dicere,qui uellet,quòd illud lumen eſt materiale,& extenſum.

*Obiectio contra poſtremam ſolutionem ad primam rationem.*

ET SI dicatur contra hoc:quia tunc non poſſet cauſare ſpeciem immaterialẽ. Diceretur,quòd nunquam phantaſma poſſet cauſare uirtute cuiuſcunque agentis ſpeciem immaterialem, niſi receptiuum illius ſpeciei eſſet immateriale,ut declaratum fuit ſuperius. Et ideo dato, quòd totũ ſit materiale; adhuc illud lumen poterit cauſare ſpeciem immaterialem: ex quo receptiuum illius ſpeciei.ſ. intellectus poſsibilis eſt immaterialis. Ad ſecundum dicendum,quòd ad hoc quòd phãtaſma poſsit agere in intellectũ poſsibilem, cauſando in eo ſpeciem intelligibilem;non oportet,ꝙ ſit nobilius eo ſimpliciter;ſed tantum ſecundum quid, ut pluries probatũ eſt ſuperius, & ideo rationes nõ concludunt. Patet igitur quam operationem habeat intellectus agens circa phantaſmata.Sed ſi quæratur.Quam operationem habet circa intellectum poſsibilem? Dicendũ,quòd illuminat ipſum,reducendo ipſum de potentia ad actum: quia ipſum diſponit ad recipiendum actum intelligẽdi.

*Iacob. de Appanis contra prædicta.*

SED CONTRA arguit quidam reuerendus doctor tripliciter. Primo ſic. Illud,quod ſecundum ſuam naturam eſt ſummè diſpoſitum,non indiget aliquo diſponente; ſed intellectus poſsibilis ſecundum ſuam naturam eſt ſummè diſpoſitus: ergo non indiget aliquo diſponente. Maior, nota de ſe. Minor etiam patet:quia intellectus poſsibilis eſt pura potentia in genere intelligibilium; & per conſequens ſummè diſpoſitus in tali genere.

*Auer. 3. de Anima. Com. 5.*

Secundo ſic. Si intellectus agens daret intellectui poſsibili aliquam diſpoſitionẽ, uel eſſet priuatiua, uel poſitiua. Non priuatiua: quia tunc intellectus eſſet naturaliter indiſpoſitus ad ſuam perfectionem. Nec poſitiua:poſtquàm.n.naturaliter eſt diſpoſitus,non oportet,ꝙ ſibi detur aliqua diſpoſitio poſitiua diſpõnes ipſum. Tertio intellectus poſsibilis eſt ſicut tabula raſa, &c. Et quod tale eſt, non indiget diſpoſitione, quantum ad primam picturã:licet fortè indigeat, quãtum ad ſecundam,uel quantum ad alias:non igitur uidetur,quòd intellectus agens diſponat ipſum.

*Ariſt. 3. de Anima. tex. c. 14.*

*Solutio rationum Iacob. de Appam.*

HIS igitur non obſtantibus. Dicendũ eſt ſicut prius, & ideo reſpondeo per ordinem ad prædicta.

AD primum dicendum,ꝙ intellectum poſsibilẽ eſſe ſummè diſpoſitum ſ͂m ſuã naturam poteſt intelligi dupliciter. Vno mõ cũ excluſione cuiuſcunque alterius in ratione diſponẽtis. Alio modo cũ incluſione alicuius,



alicuius ipſum naturaliter diſponentis. Intellectus igitur poſsibilis dicitur ſummè diſpoſitus ſecundum ſuã naturam: quia habet habitum connaturalem ipſum naturaliter diſponentem ad ulteriores perfectiones. Et cum dicitur, quòd intellectus poſsibilis eſt pura potentia &c. Dico, quòd uerum eſt: quia nullum actum habet, nec ſpeciem intelligibilem. Et non ſequitur propter hoc,quòd non habeat habitum connaturalem ipſum naturaliter diſponentem, & de potentia ad actũ reducentem. Vel poteſt dici, quòd ſicut non obſtante, quòd materia ipſa ſit pura potentia in genere entium; requirit tamen determinatas diſpoſitiones ad recipiendum formam ſubſtantialem: quia actus actiuorum ſunt in patiente diſpoſito, ut dicitur ſecundo huius: ita etiam ſuo modo, non obſtante, quòd intellectus poſsibilis ſit pura potentia in genere intelligibilium; indiget tamen alio diſponente ipſum. Et quia intelligere eſt actio immanens, requirit diſponentem coniunctum ſibi naturaliter,qui etiam ſit cauſa effectiua actus intelligendi. Ad ſecundum dicendum,quòd iſta diſpoſitio eſt poſitiua, & non remotiua. Et cum dicitur, poſtquàm enim eſt naturaliter indiſpoſitus: ideo non indiget diſponente. Patet etiã quid dicendum per iam dicta. Intellectus enim poſsibilis n eſt naturaliter indiſpoſitus; immò eſt diſpoſitus naturaliter: quia habet habitum naturalem, naturaliter ipſum diſponentem. Vel poſſet dici, quòd licet non ſit naturaliter indiſpoſitus; non tamen eſt naturaliter diſpoſitus. Et ideo non indiget diſponente, ſicut materia prima, licet non ſit naturaliter indiſpoſita: non tamen eſt naturaliter diſpoſita: & ideo indiget diſponente, & diſpoſitione præcedente introductionem ipſius formæ. Ad tertium dicendum, ſicut prius dictum eſt, quòd intellectus poſsibilis eſt ſicut tabula raſa: quia de ſe nullum actum habet, nec ſpeciem intelligibilem. Et ideo bene ſequitur, quòd non indiget aliquo actu intelligẽdi completo, nec incompleto; nec ſpecie aliquã intelligibili ipſum diſponente ad primum actum intelligendi, uel ad primam ſpeciem intelligibilem: non tamen ſequitur, quòd nõ indigeat habitu naturali diſponente ipſum naturaliter ad primum actum intelligendi, uel ad omnes ſequentes. Vnde tabula raſa, quamuis non indigeat aliqua pictura ipſam diſponente ad primam picturam: quia eſſet proceſſus in infinitum; indiget tamen aliqua forma diſponente ipſam ad picturas ſequentes: quia nulla res poteſt agere, uel pati, niſi mediantibus qualitatibus actiuis, & paſsiuis. Rationes igitur, ſalua reuerentia dicentis, non uidentur concludere.

*Tex. c. 24.*

*Epilogus omnium eorum, quæ in iſto articulo comprehenduntur.*

EX ISTIS autem apparet, quòd intellectus agens, ſit aliquid animæ: & quòd non ſit aliqua potentia ipſius immediatè fundata in ea. Illud enim quod diſponit intellectum poſsibilem ad actum intelligendi,& informat ipſum eſt aliquid animæ, non tamen potentia fundata immediatè in eſſentia eius. Intellectus agens eſt huiuſmodi, ut patet ex dictis: ergo. Eſt igitur intellectus agens lumen quoddam, & habitus connaturalis intellectui poſsibili. Et quòd debeat uocari habitus patet: quia tunc melius ſaluantur omnia, quæ ſunt de ratione formali eius: ſaluatur enim melius, quòd actuet intellectum poſsibilem: nam ex quo eſt eius forma, melius poteſt ipſum actuare, quàm ſi eſſet potentia diſtincta: quia tunc non informaret eũ. Vlterius non impeditur illuſtratio phantaſmatum, ſi ponatur habitus, ſiue forma: quia æqualis diſtantia eſt ipſius ad phantaſmata; ſi ponatur habitus connaturalis informans intellectum poſsibilem; ſicut ſi poneretur potentia diſtincta ab intellectu poſsibili. Et iſta uidetur intentio Beati Auguſtini xij. de Trinit. ubi dicit quòd oĩa, quæ ĩtellectus uidet, uidet in quadã luce ſui generis. Vnde recitat de quodam puero, qui nunquàm audierat Geometriam, qui cum interrogaretur de Geometricitis ordinatè, & optimè reſpondebat: hoc autem non eſſet, niſi homo haberet quandam lucem connaturalem, qua mediante hæc uideret. Videtur igitur uelle Beatus Auguſtinus, quòd intellectus agẽs ſit lux quædam connaturalis, naturaliter ipſi animæ inſerta.

*Cap. 15. Tom. 3.*

HIS ergo ſuppoſitis, facile eſt reſpondere ad rationem duodecimam cuius gratia hæc fuerunt introducta: nam habitus connaturalis potens eſt abſtrahere, ut patet ex dictis. Et ſic patet, quid ſit dicendum de intellectu agente; & per conſequens de ſecundo articulo.

## ARTICVLVS TERTIVS.

VTRVM intellectus agens ſi totalis cauſa effectiua actus intelligendi? Ad cuius declarationem hoc ordine procedetur. Quoniam primo tangentur aliqui modi dicendi doctorum de materia iſta.

Secundo tangetur quidam alter modus, qui inter ceteros uidetur mihi probabilior, & doctrinæ Philoſophi magis conſonus. Tertio ſoluentur rationes,& motiua aliorum doctorum.

QVANTVM ad primum tangentur in ſumma, quatuor modi dicendi.

*Primus dicendi modus.*

EST igitur unus modus dicendi, quòd talis cauſa effectiua actus intelligendi eſt obiectum intelligibile, & non intellectus,nec agens, nec poſsibilis:quod poteſt probari ex dictis eorum tripliciter. Primo ſic. Illud, quod eſt actu tale, qualis eſt intellectus in potentia; & per conſequens reductiuum eius de potentia ad actum,eſt neceſſarium, ut ſit talis cauſa effectiua actus intelligendi; ſed obiectum eſt huiuſmodi: ergo. Maior uidetur nota: quia reducere aliud de potentia ad actum uidetur neceſſariò, quòd agit in illud. Minor probatur: quia intellectus eſt in potentia ad intelligendum; aliter nunquam poſſet intelligere. Et obiectum de ſe eſt actu intelligibile: ergo. Secundo. Illud, quod neceſſariò exigitur ad intellectionem; & non ſicut paſsiuum, neque ſicut receptiuũ; illud requiritur, ſicut actiuum: hoc patet: quia non apparet alia ratio, ad quid requiratur; ſed obiectum neceſſariò requiritur ad intellectionem, & non ſicut paſsiuum: quia intellectus non agit in rem extra. Nec ſicut receptiuum, quia non recipit intellectionem: quod patet de ſe: ergo. Tertio. Illud, quod comparatur ad intellectum, ſicut ſenſibile ad ſenſum, eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi: hoc patet: quia ſecundum Philoſophum ſecundo huius, ſenſibile eſt totalis cauſa effectiua actus ſentiendi. Probatur: quia ſi ſenſus eſſet cauſa; tunc ſenſus ſentiret ſe ipſum; ſicut ſi combuſtibile combureret, combureret ſe ipſum; ſed obiectum ſecundum Ariſtotilem tertio huius comparatur ad intellectũ, ſicut ſenſibile ad ſenſum: ergo.

*Tex. c. 52.*

*Tex. c. 28.*

ET CONFIRMATVR: quia quod mouet intellectum ad intelligendum, uidetur eſſe totalis cauſa effectiua actus intelligendi; ſed obiectum ſecundum Philoſophum, & Commentatorem mouet intellectum ad intelligendum: ergo.

*Secundus dicendi modus.*

ALIA OPINIO eſt, quæ ponit, quòd intellectus creatus poſsibilis eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi: hæc autem opinio probatur tripliciter. Primo ſic. Omnis operatio immanens manet in agente, ut agens eſt, hoc ponitur nono Metaphyſicæ, & 2. ethicorum; ſed intelligere eſt operatio immanens ſecundum Ariſtotilem, ubi ſupra: ergo manet in agente, ut agens eſt. Sed manet totaliter in intellectu poſsibili, & nullo mõ in obiecto, nec in aliquo alio: ergo totaliter eſt ab intellectu poſsibili, & non ab aliquo alio. Secundo. Non minus intellectus eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi, quàm uoluntas ſit actus uolendi; ſed uoluntas eſt huiuſmodi: ergo intellectus. Maior eſt nota. Minor patet: quia actus uolendi aliquã rẽ propter malitiã eius non põt cauſari

*Tex. c. 16. Cap. 5.*

ab ipſo obiecto, quod eſt malum: quia malum ſolum habet rationem priuatiuam, cum non ſit niſi priuatio boni: priuatio autem non eſt cauſa alicuius actus realis; & per conſequens talis actus cauſabitur totaliter ab ipſa uoluntate. Tertio. Non minus intellectus eſt totalis cauſa actus intelligendi, quàm potentiæ inferiores ſuorum actuum: hoc patet: quia eſſe cãm dicit perfectionem ſimpliciter; & per conſequens magis perfecto debet magis competere; ſed potentiæ inferiores cauſant ſuos effectus, uel actus: ergo. Minor patet: quia potentia generatiua, motiua, calefactiua ſunt cauſæ ſuorum actuum.

ET CONFIRMATVR: quia uel intellectus poſsibilis eſt cauſa partialis, uel nulla, uel totalis ſui actus; ſed nec partialis, nec nulla: ergo totalis. Maior patet. Minor probatur. Non eſt nulla: quia ſicut potentia locutiua corporalis non eſt nulla cauſa locutionis: ita nec potentia locutiua mentalis, quæ eſt intellectus, poteſt eſſe nulla cauſa ſui actus. Nec partialis cauſa poteſt eſſe: quia illud aliud, quod cum eo concurreret, aut eſſet obiectum ſecundum eſſe, quod habet in ſe, uel phantaſma: uel intellectus agens, uel obiectum ſecundum eſſe, quod habet in phantaſia; ſed nullum iſtorum. Non obiectum: quia eſt quid corporale: & nullum tale poteſt agere in ſpũm. Nec phantaſma: quia hoc non eſt obiectum intellectus. Nec obiectum ſecundum eſſe, quod habet in phantaſia: quia, ut ſic, eſt eſſe rationis, & diminutum; & per conſequens non erit cauſa actus realis. Nec intellectus agens: quia non habet facere, niſi abſtrahere à conditionibus materialibus, & illuminare phantaſmata, ut patet ex dictis Ariſt. in tertio huius.

*Tex. c. 18.*

*Tertius dicendi modus.*

ALIA EST opinio, quæ dicit, quòd intellectus noſter poſsibilis, & obiectum naturaliter conceptibile concurrunt, ſicut duæ cauſæ partiales, integrantes unam cauſam totalem ad cauſandum actum intelligendi: hæc autem opinio quaſi innititur rationibus utriuſque poſitionis prædictæ. Non enim uidetur iſtis doctoribus poſsibile, ut dicunt, quòd obiectum non concurrat aliquo modo effectiuè ad cauſandum actum intelligendi: cum moueat intellectum ad intelligendum, & reducat ipſum de potentia ad actum. Nec uidetur eis etiam poſsibile, quòd intellectus poſſibilis non ſit aliquo modo cauſa effectiua ſui actus: cum intelligere ſit actio immanens; concurrunt ergo duo hęc, ſcilicet, intellectus, & obiectum, ſicut duæ cauſæ partiales, integrantes unam totalem cauſam ad cauſandum actum intelligendi. ET CONFIRMATVR iſta poſitio per Beatum Auguſtinum.

*Pro iſta opinio. Vide Greg. Arim. 2. ſentent. diſt. 7. q. 2.*

*Quartus dicendi modus.*

*Iſta eſt opin. Cõmun. Scoti, & Sancti Thomæ, & Ioan. Gand. atque parum differunt inter ſe.*

ALII VOLVNT, quòd intellectus poſsibilis ſit purè paſsiuus, quantum ad receptionem ſpeciei intelligibilis; ſed eſt actiuus mediante iſta ſpecie reſpectu ſuæ intellectionis. Dicunt ergo, quòd intellectus noſter poſsibilis informatus ſpecie intelligibili eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi. Quod poteſt probari ex dictis eorum una ratione tali.

*Probac materia.*

Omne ens actu habet aliquam operationem propriam, ſecundum quòd eſt in actu; ſed intellectus poſſibilis, informatus ſpecie intelligibili eſt ens in actu: ergo, ut ſic, poteſt agere, & operationem aliquam habere: ſed eius propria operatio non eſt, niſi eius intellectio: erit igitur intellectus ſic informatus totalis cauſa ſui actus.

*Vide Scot. 1. ſent. diſt. 1. q. 7. Ioan. Bac. 2. ſent. d. 24. per totam.*

*Ioan. Gand. 3. de Anima. q. 24.*

*Vide Chriſoſt. Iauel. 3. de Anima. tract. 5. q. 2. & 3.*

NARRATIS ISTIS modis dicendi, reſtat nunc uidere, quid mihi uidetur probabiliter eſſe dicendum. Et quia uniformiter uidetur mihi eſſe loquendum de intellectu, & uoluntate: idcircò introducantur per ordinẽ ſex concluſiones. Prima eſt, quòd obiectum naturaliter conceptibile nõ eſt totalis cauſa effectiua, nec partialis actus intelligendi. Secunda, quòd intellectus noſter poſsibilis præciſè ſumptus, nõ eſt totalis cauſa effectiua, nec partialis actus intelligendi. Tertia eſt, quòd intellectus poſsibilis informatus ſpecie intelligibili, non eſt totalis cauſa effectiua, nec partialis actus intelligendi. Quarta eſt, quòd intellectus agens eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi. Quinta eſt, quòd ſicut in anima noſtra oportet dare intellectum agentem, ita oportet dare uoluntatem agentem. Sexta, quòd uoluntas agens, quæ ponitur in anima noſtra, non eſt totalis cauſa effectiua actus uolendi. PRIMA concluſio probatur tripliciter. Primo ſic. Illud, cui accidit, quòd ab intellectu intelligatur eſſe in potentia, uel in actu, non mouet effectiuè intellectum ad intelligendum, nec eſt cauſa totalis, nec partialis effectiua actus intelligendi; ſed obiecto naturaliter conceptibili accidit eſſe in actu, uel in potentia ad hoc, quòd ab intellectu intelligatur: ergo. Maior patet pro tanto; quia mouens in actu, & motum in actu debent eſſe ſimul. Si igitur obiecto accidit eſſe in actu, non erit iam mouens effectiuè. Item patet eadem Maior quia quod eſt in potentia, non poteſt eſſe totalis cauſa effectiua, nec partialis actus realis in actu: quia cauſa, & effectus ſimul ſunt. 2. phyſicorum. Minor patet: quia ita intelligitur eſſe in actu, ſicut eſſe in potẽtia, & ecõuerſo. Secundo illud, cui accidit eſſe reale, uel rationis, non eſt totalis cauſa effectiua, &c. Iſta patet: quia cauſa effectiua actus realis, debet eſſe realis; ſed actus intelligendi quicunque eſt realis actus: ergo. Sed obiecto accidit eſſe reale, uel rationis. Patet: quia non ſolum intelligitur ens reale: ſed etiam rationis: ergo. Tertio. Illud, cui accidit eſſe abſolutum, uel reſpectiuum, non eſt totalis cauſa effectiua: & hoc patet: quia relatio non eſt terminus, nec principium actionis, quinto Phyſicorum; ſed obiecto naturaliter conceptibili hoc accidit: ergo. Minor patet: quia tam abſoluta, quàm reſpectiua intelliguntur ab intellectu. ET CONFIRMATVR: quia ſi obiectum naturaliter conceptibile, eſſet totalis cauſa, &c. Sequeretur, quòd effectus naturaliter productus excederet ſuam cauſam producentem ſimpliciter in nobilitate, & perfectione, quod eſt abſurdum. Conſequentia patet: quia actus intelligendi albedinem eſt nobilior albedine: cum dicat perfectionem ſimpliciter. Si ergo cauſaretur ab ea effectiuè, excederet ſuam cauſam in perfectione, ſcilicet, productiuam. TERTIAM concluſionem probo tripliciter. Primo ſic. Illud, quod ſolum eſt potẽtia pura in genere intelligibilium, non poteſt eſſe totalis cauſa, &c. Sed intellectus noſter poſsibilis præciſè ſumptus, eſt huiuſmodi: ergo. Maior nota pro tanto: quia unumquodque agens agit, ſecundum quòd eſt in actu. Illud ergo, quòd nullam habet actualitatem in aliquo genere, nullo modo poteſt agere in eodem. Minor eſt Philoſophi. 3. huius dicentis, quòd intellectus poſsibilis non habet aliquam naturam, niſi quia poſsibilis uocatus eſt. Secundo.

*Tex. c. 27.*

*Tex. c. 18.*

*Tex. c. 5.*

Si intellectus poſsibilis præciſè ſumptus, eſſet totalis cauſa, &c. Sequeretur, quòd unum, & idem ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem eſſet in actu, & in potentia; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet: quia, ut cauſaret actum, eſſet in actu: quia illud, quod actu agit, neceſſariò eſt ens in actu; & ut reciperet, neceſſariò eſſet in potentia ad recipiendum intellectionem: ergo reſpectu eiuſdem intellectionis eſſet in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem, & ſecundum idem. EST TAMEN aduertendum, quòd aliqui conantur iſtam rationem ſoluere dicentes, quòd non eſt inconueniens unum, & idem ſecundum idem, & reſpectu eiuſdem eſſe in actu, & in potentia alio, & alio modo. Sicut uidemus, quòd graue in actu eſt, & in potentia, ut moueatur deorſum, remoto prohibente, ſimiliter dicũt ipſi intellectus eſt in actu, & in potentia reſpectu ſuæ intellectionis: alio tamen, & alio modo: quia eſt in potentia formali, & actu uirtuali. In actu uirtuali: quia habet actu uirtutem mouendi, & producendi ſuam intellectionem; ſed

*Solutio quorundam ad huiuſmodi rationem.*



nem; ſed eſt in potentia formali: quia eſt in potentia, quòd habeat ſuam intellectionem ſibi in hærentem formaliter: ergo alio, & alio modo eſt in potentia, & in actu. Et ideo non eſt ibi aliqua contradictio.

*Confutatio huius ſolutionis.*

ISTA AVTEM ſolutio in rei ueritate non ſoluit rationem. Verum, quia aliqui arguunt contra eam minus debitè. Idcirco Primo adducam rationem, quę ſit communiter contra dictam ſolutionem; & oſtendam eam non concludere. Secundo arguã contra ipſam directè, & oſtendam rationem primam non eſſe aliquo modo ſolutam. Arguitur igitur ab aliquibus contra dictam ſolutionem ſic. Nullum agẽs habens aliquam formam ſub eſſe perfectiori, deducit ſe ad habendum illam formam ſub eſſe minus perfecto. Patet: quia in anima non eſt proceſſus naturalis de perfecto ad imperfectum; ſed habere aliquam formam in actu uirtuali, eſt eam habere perfectius, quàm habere eam formaliter: ergo ſi intellectus haberet ſuam intellectionem in uirtute actiua, non reduceret ſe ad habendum formaliter. Minor patet: quia continentia uirtualis eſt perfectior formali: nam quod habet aliquid formaliter, dependet ab ipſo uirtualiter: quod autem habet aliquid uirtualiter, non dependet ab eo, quod continet formaliter; immò potius econuerſo. ET CONFIRMATVR iſta ratio: quia nos uidemus, quòd Sol, qui eſt uirtualiter calidus non ſit calidus formaliter, & ratio huius eſt: quia nobilius eſt habere calorem uirtualiter, quàm formaliter. HAEC AVTEM impugnatio, ſalua reuerentia dicentium, non uidetur concludere: nam licet in his, quæ dicunt perfectionem ſecundum quid, perfectius ſit continere talia uirtualiter, quàm formaliter; in his tamen, quæ dicunt perfectionem ſimpliciter, perfectius eſt continere formaliter, quàm uirtualiter. Et ideo deus, licet ſit uirtualiter lapis, & leo, & ſic de ſingulis; eſt tamen formaliter iuſtus, & ſapiens: quia talia dicunt perfectionem ſimpliciter; & non tantum ſecundum quid. Et ideo Minor non eſt ſimpliciter uera: non eſt enim nobilius habere aliquam formam in actu uirtuali, quàm eam habere formaliter, ſi talis forma dicit perfectionem ſimpliciter. Sic autem eſt in propoſito: quia intelligere dicit perfectionem ſimpliciter, ſecundum regulam Anſelmi: quia nobilius eſt in uno quoque eſſe, quàm non eſſe. Nec exemplum, quod adducunt, eſt ad propoſitum: quia calor nõn dicit perfectionem ſimpliciter; ſed tantum ſecundum quid. Et ideo Sol, qui eſt calidus uirtualiter, non formaliter ſit calidus. Ratio ergo non uidetur concludere.

*Confutatio impugnationis adductæ.*

*Propria impugnatio cõtra ſolutionem datam.*

ARGVO igitur contra dictam ſolutionem aliter. Nam, quando dicitur quòd intellectus reſpectu ſuæ intellectionis eſt in actu uirtuali, & in potẽtia formali. Peto, uel intellectus includit in ſe aliqua duo ſic, quòd per unum illorum ſit in actu uirtuali; & per aliud in potentia formali: uel non: ſed per unum, & idẽ eſt in actu omnino uirtuali, & potentia formali.

Primum non poteſt dari: quia intellectus poſsibilis eſt una potentia ſimplex, nõ includens dualitatem aliquam ex parte rei; immò ſi includeret talia duo, quorum unum eſſet ratio agendi; aliud uerò ratio recipiendi; unum illorum uocaremus intellectũ agentẽ; aliud uerò intellectum poſsibilem: requiritur ergo ſecundũ. TERTIO ſic. Illud, quod nõ eſt intellectus agens, non eſt totalis cauſa, &c. Sed intellectus poſſibilis nõ eſt intellectus agẽs: ergo. Maior patet tertio. huius. Minor patet ibidẽ: quia dr̃, neceſſe eſt has differẽtias eſſe in anima noſtra. ET CONFIRMATVR: quia ſi intellectus poſsibilis eſſet totalis cauſa, &c. Sequeretur, ꝗ nõ eſſet pati; immò agere, cuius oppoſitũ dicit Philoſophus tertio huius. TERTIA concluſio probatur tripliciter. Primo ſic. Operatio uitalis, quę cõpetit homini, ut homo eſt, debet habere aliquod principiũ naturale effectiuũ: hoc patet: nã ſi detur oppoſitũ; ſequitur, quòd homo non poſsit exire in ſuã propriã operationem naturalẽ; & per cõſequẽs natura deficeret ei in neceſſariis, quod ẽ falſum: ſed intelligere ẽ operatio naturalis, quæ cõpetit homini, ut homo eſt: ergo debet habere principiũ effectiuũ aliquod naturale. Sed ſpecies non eſt hominis naturalis; cum tales ſpecies non ſint in hominibus concreatæ, ſed acquiſitæ, ut ſuppono ad præſens: ergo ſpecies intelligibilis non eſt principium productiuum actus intelligendi, & per conſequens intellectus poſsibilis informatus ſpecie intelligibili, non eſt totalis cauſa effectiua, nec partialis actus intelligendi. Secundo ſic. Si ſpecies intelligibilis eſſet principium productiuum, ſiue effectiuum actus intelligendi; ſequeretur, quòd phantaſma haberet aliquam cauſalitatem effectiuam reſpectu intellectionis; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis patet in articulo præcedenti, ubi fuit oſtenſum, quòd phantaſma uirtute actus intellectus agentis cauſat in intellectu ſpeciem intelligibilem; nõ tamen actum intelligendi. Conſequentia probatur: nã quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt aliquo modo cauſa cauſati; ſed phantaſma uirtute intellectus agentis cauſat in intellectu ſpeciem intelligibilem, ut dictum eſt: ergo ſi ſpecies intelligibilis eſt cauſa, ſiue ratio producendi actum intelligendi, ſequetur, quòd phantaſma habeat aliquam cauſalitatem effectiuam reſpectu intellectionis. Tertio. Ratio agendi in agente, non eſt perfectionis minoris, & entitatis effectu naturaliter producibili, uel producto. Patet: aliàs effectus naturaliter productus excederet ſuam cauſam producentẽ in perfectione; ſed ſpecies intelligibilis exiſtens in intellectu noſtro eſt minoris perfectionis, & entitatis, quàm ſit actus intelligendi: ergo ſpecies intelligibilis nõ eſt ratio producendi intellectionem. Minor probatur: quia quicquid eſt perfectius perfectiori, eſt perfectius minus perfecto; ſed actus intelligendi albedinem, eſt perfectior ipſa albedine, quæ tamen eſt perfectior ſpecie ſua intelligibili: ergo. ET CONFIRMATVR: quia, quando agens eſt ſufficienter diſpoſitũ ad agendum, & patiens ad recipiendum, non requiritur aliquod aliud principium ad actionem; ſed intellectus agens, qui eſt omnia facere, eſt ſufficienter diſpoſitus ad agendum, & intellectus poſsibilis, qui eſt omnia fieri, eſt ſufficienter diſpoſitus ad recipiendum: ergo non requiritur ibi aliqua tertia ſpecies, tanquam principium elicitiuum, quę ſit principium intelligendi. QVARTA concluſio probatur tripliciter. Primo ſic. Quandocunque actiuitas actiui adæquat ſibi paſsibilitatem paſsiui, ad quicquid ſe extendit paſsiuè paſsibilitas paſsiui, ſe extendit actiuè actiuitas actiui; ſed actiuitas intellectus agentis adæquat poſsibilitatem intellectus poſsibilis naturaliter: ergo ad quicquid paſsiuè intellectus poſsibilis naturaliter ſe extendit, ad totum illud actiuè ſe extendit intellectus agẽs. Sed intellectus poſsibilis ſe habet paſsiuè, & eſt totalis cã receptiua cuiuſcũq; actus intelligẽdi naturaliter: ergo intellectus agens reſpectu cuiuſcũque intellectionis naturalis ſe habet actiuè. Et eſt totalis cã effectiua dicti actus. Maior, patet ex terminis: nã ex oppoſito prædicati deſtruetur ſubiectum. Minor ponit expreſsè Philoſophus in hoc tertio dicens, quòd ſicut intellectus poſsibilis eſt omnia fieri, ſic intellectus agens eſt omnia facere. Secundo. Omnis operatio immanens eſt ſubiectiuè ſui principii actiui, uel actus immediati ſubiecti ſui actiui; ſed intelligere eſt actio immanens, & recipitur ſubiectiuè in intellectu poſsibili: ergo producetur effectiuè ab intellectu poſsibili, uel ab aliquo fundato immediatè in eodem ſubiectiuè; ſed nihil fundatur ſubiectiuè in intellectu poſsibili, à quo poſsit cauſari effectiuè actus intelligendi, niſi intellectus agens, ut patet ex prædictis: ergo. Maior huius patet, nono metaphyſicæ, & 2. ethicorum, ubi dicit, quòd operatio immanens eſt perfectio agentis. Hoc autem non haberet ueritatem, niſi eſſet ſubiectiuè ſui actiui, uel alicuius immediati

*Tex. c. 17. & 18.*

*Tex. c. 14.*

*Tex. c. 18.*

*Tex. c. 16. cap. 5.*

ius immediati ſubiecti ſui actiui. Minor patet ex terminis quantum ad utranque partem: ergo.

Tertio illud, quod continet uirtualiter omnem intellectionem, ad quam intellectus poſsibilis eſt in potentia naturali, eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi: ſed intellectus agens, & nihil aliud exiſtens in anima noſtra eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet ex terminis: quia continere aliquid uirtualiter, eſt habere uirtutem producendi illud. Minor probatur: quia uel intellectus agens continet omnem intellectionem, ad quam intellectus poſsibilis eſt in potentia naturali, uel ipſe intellectus poſsibilis, uel obiectum, ſecundum eſſe, quod habet in ſe, uel phantaſma, uel obiectum ſecũdum eſſe, quod habet in anima. Non intellectus poſsibilis, ut patet ex ſecunda concluſione. Nec phantaſma: quia non poteſt agere in intellectum poſsibilem, niſi uirtute intellectus agentis; & per conſequens non continet intellectionem uirtualiter; immò uirtute intellectus agentis cauſat ſolum in intellectu poſsibili ſpeciem intelligibilem; non autem actum intelligendi, ut dictum eſt ſupra. Nec obiectum ſecundum eſſe, quod habet in anima: quia ut ſic, eſt ens diminutum, & nullũ tale continet uirtualiter actum intelligendi: cum ſit actus realis: relinquitur ergo, quòd intellectus agens, & nihil aliud contineat uirtualiter intellectionem, & hæc fuit Minor. Item etiam ſecundum communem modum loquendi omnium doctorum, intellectus agẽs aliquo modo continet omnem ſcientiam, & intellectionem, ad quam intellectus poſsibilis eſt in potentia naturali; ſed certum eſt, quòd non continet iſta formaliter, ergo uirtualiter. ET CONFIRMATVR: quia ſi non pertineret ad intellectum agentem cauſare effectiuè actum intelligendi; ſed ſolum illuminare phãtaſmata, & abſtrahere à conditionibus materialibus, ut aliqui dicũt, nõ uocaretur intellectus agens; ſed abſtrahens, cuius oppoſitum dicit Ariſtoteles. QVINTA concluſio probatur etiam tripliciter. Primo ſic. Quandocunque aliquæ duæ potentiæ ita ſe habent, ſcilicet, per modum excedentis, & exceſsi; ſi exceſſa propter ſui imperfectionem indiget aliqua alia uirtute agente ſui generis, & excedens: hoc patet; quia aliàs non ſe haberent per modum excedentis, & exceſsi; ſed intellectus, & uoluntas ſunt huiuſmodi. Nam uoluntas excedit intellectum perfectionaliter; ut ſuppono ad præſens, quia declarabitur inferius, & intellectus poſsibilis propter ſui imperfectionem indiget intellectu agente ipſum informante, ut deductum eſt ſupra: ergo uoluntas ad ſui perfectionem indiget uoluntate agente ipſam ſimiliter informante. Secundo. Potentiæ æqualis ambitus obiectiuè, immaterialitatis ſubiectiuè, & in ſuo genere æqualis entitatiuè actualitatis; ſi una aliqua uirtute agente indiget ſui generis ad ſui operationem, & altera: hoc patet: nam non indiget magis una, quàm altera: eo, quòd obiectum unius non excedit obiectum alterius; nec eo, quòd una magis ſit materialis, quàm alia: nec eo, quòd in ſuo genere ſit minus actualis. Nec uidetur poſsibile aſsignare aliã cauſam ſufficientem; ſed intellectus, & uoluntas ſunt huiuſmodi; & intellectus indiget intellectu agente ſui generis ad ſuam operationem: ergo & uoluntas.

Tex. c. 17.

Tertio. Reduco rationem Ariſt. quam facit tertio huius in illo cap. Quoniam autem in omni natura. Ad probandum, quòd oportet dare intellectũ agentem in nobis. Et arguo ſic. Vel ratio Philoſophi aliquid concludit, uel non. Non eſt dicendum, quòd non: quia nimis derogaretur Ariſtoteli ſpecialiter in tali materia: ratio igitur uerè concludit. Sed per illam eandem rationẽ probatur, nihilo addito, nihilo remoto, quòd oportet dare uoluntatẽ agentem in nobis: ergo. Probatur aſſumptum reſumendo rationem, ſicut eam facit Ariſt. In omni natura, in quá eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, eſt dare unum, quod eſt omnia facere: Sed in natura uolitiua eſt dare unum, quod eſt omnia fieri, uoluntatem, ſcilicet, paſsiuam, quæ poteſt omnem actum uolendi recipere: ergo oportet dare uoluntatem agentem neceſſariò, quæ ſit omnia facere. Tota ratio eſt formaliter Ariſtotelis; niſi, quòd infert de natura intellectiua: & quia uult probare intellectum agentem; hoc autem infertur de natura uolitiua: quia uolumus probare uoluntatem agentem.

*Dilutio cuiuſdam reſponſi quod aduerſari uidetur rationi adductæ.*

NEC VALET, quod dicitur ab aliquibus, ſcilicet, quòd per iſtam rationem non oportet probare in nobis uoluntatem agentem; ſed probatur, quòd oporteat aliquod actiuum, quòd reducat uoluntatem de potentia ad actum, & hoc eſt obiectum: non enim oportet, quòd actiuum ſit coniunctum paſsiuo loco, & ſubiecto, ſicut patet per exemplum poſitum ab Ariſt. in eodem textu. Ars enim in artificialibus comparatur ad materiam, ſicut actiuum ad paſsiuum, & tamen diſtinguuntur loco, & ſubiecto: ſic igitur, ut dicunt, eſt in propoſito. HAEC AVTEM euaſio in nullo euadit rationem: quia pari ratione diceretur, quòd ratio Ariſtotelis non probat, quòd oportet dare intellectum agentem in nobis; ſed quòd oportet dare aliquod actiuum, quod reducat intellectum de potentia ad actum: hoc autem erit obiectum: hoc eſt expreſsè contra mentem Philoſophi, qui expreſsè per iſtam rationem concludit has duas differentias eſſe in anima noſtra, ſcilicet, intellectum agentem, & poſsibilẽ; dare ergo talem euaſionem nihil aliud eſt, quàm dicere rationem Philoſophi non concludere, quod tamen non uidetur dicendum in tali materia.

*Reſponſio Aegidii. 3. quodlib. q. 13.*

*Elucidatio ſuæ poſitionis.*

*Tex. c. 16. Cap. 5.*

IDEO VT magis appareat intentio Ariſt. eſt intelligendum, quod actio eſt duplex ſecundum Ariſt. nono Metaphyſicæ & 2. ethicorum, ſcilicet, immanens, & tranſiens. Actio immanens manet in agente, & eſt perfectio agentis. Tranſiens uerò tranſit impaſſum ſecundum Philoſopum ibidem. Actiuum uerò, & paſsiuum non ſemper coniunguntur loco, & ſubiecto, niſi ſit actio immanens: nam in actione tranſeunte actiuum neceſſariò diſtinguitur à paſsiuo loco, & ſubiecto, ſicut patet de exemplo, de arte, & materia: propter quod talia exempla faciunt ad propoſitum. Ratio ergo Ariſtotelis neceſſariò concludit, quandocunque Minor infertur de actione immanente: nam non minus uelle eſt actio immanens, quàm intelligere: & ideo ratio concludit neceſſariò intelligenti mentem Philoſophi. CONFIRMATVR hæc poſitio per omnes rationes probantes, quòd oportet dare in nobis intellectum agentem, & ſenſum agentem. Require rationes ſuperius: quia ſi bene adaptentur, ita bene concludunt de uoluntate, ſicut de ſenſu. SEXTA, & ultima concluſio probatur etiam tripliciter. Primo. Sicut ſe habet intellectus agens ad intellectum poſsibilem, & actum intelligendi: ita ſe habet uoluntas agens ad uoluntatem paſsiuam, & actum uolendi: hoc patet: quia ſicut intellectus agens eſt omnia facere, & intellectus poſsibilis omnia fieri; ita uoluntas agens eſt omnia facere, & uoluntas poſsibilis eſt omnia fieri, ut eſt deductum; ſed intellectus agens eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi, ut patet ex quarta concluſione: ergo, &c.

*in. 2. huius q. 6. art. 2.*

Secundo. Voluntas agens eſt totalis cauſa effectiua actus uolendi, uel nulla, uel partialis. Non nulla, nec partialis: ergo totalis. Probatur Minor: quia non quidem nulla; cum actus uolendi non poſsit cauſari effectiuè à uoluntate paſsiua, in qua recipitur ſubiectiuè: quia eiuſdem ad ſe ipſum eſſet relatio realis, & idem eſſet in actu, & in potentia reſpectu eiuſdem. Si non cauſetur aliquo modo à uoluntate agente; ſequeretur, quòd uelle non eſſet actio immanens, cuius oppoſitum eſt oſtenſum. Nec partialis: quia illud, quod cum eo concurret ad cauſandum actum, uel eſſet obiectum ſecundum eſſe, quod habet in ſe; uel ſecundum eſſe, quod habet in anima; uel intellectus; uel actus intelligendi; ſed nullum iſtorum: ergo. Non obiectum ſecundum eſſe, quod habet in ſe: quia ut ſic, eſt quid materiale, & corporale: & nullum tale

poteſt agere



*Elicitiuè ex 9. ſuper Gen. ad literam cap. 23. 24. & 12. ſuper Gen. ad lit. cap. 16. & 17.*

poteſt agere in ſpiritum ſecundum Beatum Auguſtinum. Nec ſecundum eſſe, quod habet in anima: quia tale eſſe eſt diminutum; & per conſequens non eſt cauſa actus realis. Nec intellectus: quia uel poſsibilis; uel agens. Non poſsibilis: quia ad ipſum non pertinet agere. Non agens: quia tunc actiuitas intellectus agentis excederet paſsibilitatem intellectus poſsibilis, quod eſt falſum. Nec actus intelligendi: quia actus uolendi eſt maioris entitatis, & perfectionis ſua cauſa producente. Relinquitur ergo, quòd uoluntas agens eſt totalis cauſa effectiua actus uolendi. Tertio. Si uolũtas agens non cauſaret effectiuè actum uolendi; ſequeretur, quòd uoluntas non eſſet libera, nec domina ſui actus; conſequens eſt falſum, & contra Philoſophum. Conſequentia probatur: quia agente de neceſsitate naturæ non per liberum arbitrium ſummè diſpoſito ad agendum, & paſſo ſummè diſpoſito ad recipiendum, de neceſsitate ſequitur actio: patet ex terminis; ſed ſi uolũtas ſic ſe habet paſsiuè reſpectu uolitionis, quòd nullo modo ipſam cauſat effectiuè: agens, quòd agit cauſat actum uolendi, agit de neceſsitate naturæ, & non per liberum arbitrium, ſiue tale agens ſit obiectum, uel intellectus, ſiue quodcũq; aliud. Et poteſt eſſe ſummè diſpoſitũ ad agendum; immò de facto quandocunque agit. Et uoluntas, quantum eſt de ſe, diſpoſita eſt ad recipiendum: ergo de neceſsitate ſequitur actio; & per conſequens uoluntas non eſt libera, nec domina ſui actus. Et hæc erat conſequentia. AD VITANDVM ergo tantum, & tale inconueniens, oportet neceſſariò concedere, quòd uoluntas habeat aliquam cauſalitatem effectiuam reſpectu uolitionis: ſed hanc cauſalitatem non poteſt habere uoluntas paſsiua, ut patet ex præcedentibus: ergo actiua. Erit igitur uoluntas agens totalis cauſa effectiua reſpectu uolitionis. Et probatur hęc concluſio per rationes probantes intellectum agentem eſſe totalem cauſam actus intelligendi: nam adaptando ad uoluntatem; ita probant de uoluntate agente; ſicut de intellectu agente. Patent igitur prædictę concluſiones.

*Solutio rationum primæ opin.*

RESTAT ergo reſpondere ad motiua, & rationes aliarum poſitionum. AD PRIMVM, cũ dicitur, quòd illud, quod eſt tale in actu, quale intellectus eſt in potentia, &c. Dicendũ, quòd iſta propoſitio non eſt ſimpliciter uera. Verum eſt enim, quòd obiectum eſt aliquo modo tale in actu, qualis intellectus eſt in potentia; non tamen ſequitur propter hoc, quod reducat eum de potentia ad actum: quia obiectũ non eſt tale in actu uirtualiter, qualis eſt intellectus in potentia formaliter: Videmus enim, quòd ignis eſt in potentia ad comburendum, & combuſtibile eſt in actu, quantum eſt de ſe, combuſtibile tamen non reducit ignem de potentia ad actum, nec agit in ipſum; immò potius econuerſo: non obſtante ergo actualitate obiecti reducitur: intellectus poſsibilis de potentia ad actum per intellectum agentem effectiuè, qui ſufficienter continet intellectionem uirtualiter. Et ideo ſi diceretur, quòd obiectum ſibi aſsimilat intellectum. Dicendum, quòd non effectiuè; ſed ſicut materia circa quam.

Ad ſecundum dicendum, quòd Maior non eſt uera; præexigitur tamen, ſicut materia circa quam. Et quòd non ſit paſsiuum, nec receptiuum, finis præexigitur neceſſariò ad operationem; & tamen non eſt ſicut paſsiuum, nec ſicut receptiuum: ſed ſicut illud, ad quod alia ordinantur. Et ideo illa Maior non eſt ſufficiens; immò ſi eſſet ſufficiens, pari ratione probaret, quòd intellectus agens ſit tota cauſa effectiua actus intelligendi: quia exigitur neceſſariò ad intellectionem, & non ſicut paſsiuum, nec receptiuum. Et ideo ratio non concludit. Ad tertium ſimiliter eſt dicendũ, quòd Maior non eſt uera: nam ſenſibile non eſt totalis cauſa effectiua actus ſentiendi, nec iſta fuit intentio Philoſophi. Et cum dicitur, quòd Philoſophus probat, quòd ſenſus non cauſat ſenſationem. Dicẽdum, quòd uerum eſt de ſenſu paſsiuo; non autem de ſenſu agente, ut declaratum eſt ſupra. Vtrũ autem ſenſibile aliquo modo ſit cauſa ſenſationis, uel non; nihil eſt ad propoſitũ: neque illa ſimilitudo Ariſto. in tertio. Sicut ſe habet ſenſibile ad ſenſum; ita intelligibile ad intellectum: currit per omnem modum: quia intellectus eſt uirtus omnino immaterialis, non autem ſenſus. Et ideo obiectum materiale minus poterit agere in intellectum, quàm in ſenſum. Ad confirmationem dicendum, quòd obiectum conceptibile mouere potẽtiam ad intelligendum poteſt intelligi dupliciter. Vno modo effectiuè. Alio modo excitatiuè, ſicut materia circa quam. Primo modo obiectum non mouet potentiam, ſed intellectus agens. Alio modo bene mouet: excitatiuè enim mouet intellectum ad intelligendum, ſicut panis excitat nos ad comedendum, quamuis non ſit cauſa effectiua comeſtionis; ſed materia circa quam.

*Solutio rationum ſecundæ opin.*

AD RATIONES alterius opinionis, quæ probant intellectum poſsibilem eſſe totalem cauſam effectiuam ſui actus, dicendum per ordinem.

AD PRIMVM, quando dicitur, quòd omnis operatio immanens, &c. Patet quid ſit dicendum. Nam ad hoc, quòd operatio immanens ſit perfectio agẽtis, ſufficit, quòd ſit ſubiectiuè ſui principii actiui. Vel uirtus immediati ſubiecti ſui actiui, ſicut declaratum fuit in arguendo, ſic autem eſt in propoſito. Et ideo non concludit. Vel poteſt dici, ſicut aliàs fuit dictum, quòd principale principium intellectionis agẽs, & recipiens eſt anima intellectiua, quæ per intellectũ agentem agit, tãquam per rationem agendi; & per intellectum poſsibilem recipit, tanquam per rationem recipiendi. Intellectus igitur agens eſt totalis cauſa effectiua actus intelligendi; ſicut quo; anima autem, ſicut quod. Et intellectus poſsibilis eſt totalis cauſa receptiua dicti actus, ſicut quo; anima autẽ ſicut quod. Et ſic uerificatur, quòd operatio immanens manet in agente, ut agens eſt. Ad ſecundum autem conceditur Maior; ſed cum dicitur in Minori, quòd uoluntas eſt totalis cauſa effectiua uolitionis. Verum eſt de uoluntate agente eo modo, quo dictum eſt; non autem de uoluntate paſsiua. Ad tertium conceditur, quòd intellectus eſt totalis cauſa effectiua intellectionis; non tamen poſsibilis, ſed agens. AD confirmationem dicendum, quòd intellectus poſsibilis eſt nulla cauſa effectiua intellectionis. Nec probatio ualet: nam non eſt ſimile de potentia locutiua corporali, & de potentia locutiua mentali, quæ dicitur intellectus: nam potentia locutiua corporalis non eſt receptiua locutionis; potentia autem locutiua mentalis poſsibilis recipit intellectionem: & ideo non poteſt eam effectiuè producere, uel cauſare. Per iam dicta patet, quid ſit dicendum ad motiua tertiæ poſitionis, quę innititur, quaſi rationibus prædictarum.

AD confirmationem Beati Auguſtini dicẽdum, quòd ex intelligente, & intellecto gignitur notia; non tamen effectiuè ab utroque; ſed ab intelligente ſolum effectiuè; ab intellecto autem ſolum, ut ex materia circa quam. Sicut dicitur, quòd ex patre, & matre gignitur filius; non tamen ex utroque effectiuè.

AD RATIONEM probantem quartam opinionem dicendũ, quòd ſi intelligatur de uera actione; nõ oportet, quòd cuiuslibet entis in actu ſit aliqua propria actio: nam qualitates paſsiuę fundantur in aliquo ſubiectiuè, & informant, & actuant ipſum; non tamen ſubiectum huiſmodi qualitatum poteſt agere ipſis mediantibus; immò patitur. Item anima informatur per intellectum poſsibilem, & actuatur per eum; non tamen agit ipſo mediante; immò recipit intellectionem: non obſtante ergo, quòd intellectus poſsibilis informetur ſpecie intelligibili, & aliquo modo dicatur eſſe in actu per ipſam: non tamen ſequitur propter hoc, quòd talis ſpecies ſit ei ratio agendi, loquendo propriè de actione. Patet igitur quid ſit dicendum ad prædicta, & per conſequens tota concluſio.

RESTAT nunc reſpondere ad rationes principales. Ad primam, cum dicitur, quòd intellectus agens non eſt aliquid animæ noſtræ. Dicendum, quòd non eſt uerũ, ſicut patet ex primo articulo. Nec probatio ualet: quia intellectus agens non eſt prima cauſa: non enim eſt omnia facere ſimpliciter, ſed in genere.ſ. in genere intelligibilium. Ad ſecundam dicendum, quòd quamuis intellectus agens non ſit aliqua potentia animę noſtræ, ut declaratum eſt in ſecundo articulo, eſt tamen aliquid realiter deſtinctum ab intellectu poſsibili: quia eſt habitus connaturalis ipſius informans ipſum immediatè. Et cum dicitur, quòd ſi diſtinguitur realiter ab intellectu poſsibili poſt ſeparationem animæ, eſſet fruſtra. Negatur, nec probatio ualet: quia quàmuis actu non abſtraheret à phantaſmatibus: quia actu non haberet phantaſmata, in quæ ageret; aptitudine tamen abſtraheret: quia quotieſcunque reuniretur corpori, poſſet agere in phantaſmata, & cauſare actum intelligendi, quamuis in patria non cauſet uidendi actum beatificum; ſed obiectum, cum talis actus ſit ſupernaturalis, & non naturalis: ergo.

## QVAESTIO III.

### An intellectus ſit nobilior potentia, quàm uoluntas, uel econuerſo?

VTRVM intellectus ſit nobilior potentia, quàm uoluntas, uel econuerſo? Et uidetur primo, quòd non excedat ſe perfectionaliter. Quia ſicut ſe habet inæqualitas obiectorũ ad inæqualitatẽ potentiarũ in perfectione; ita æqualitas ad ęqualitatem; ſed inęqualitas obiectorũ arguit inæqualitatem potentiarum perfectionaliter: ergo æqualitas arguit æqualitatem; ſed obiecta iſtarum potentiarum ſunt æqualia, & æqualis ambitus. *D. Auguſt. 10. de trin. cap. 2. tom. 3.* Nam idem ſub eadem ratione formali eſt neceſſariò obiectum intellectus, & uoluntatis; cum nil uolitum, niſi prius cognitum, & omne uolitum cognitũ, quorũ utrunque pertinet ad uoluntatem. 2 Præterea uidetur, quòd intellectus ſit nobilior uoluntate: quia in actu nobilioris potentiæ exiſtit beatitudo, qua formaliter beatificatur; ſed hæc conſiſtit in actu intellectus, & non uoluntatis: ergo. Maior patet. Minor probatur; *Ioan. 17.* Per illud, quod habetur in euãgelio: Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te, &c. ergo. AD OPPOSITVM arguitur ſic. Illa potentia eſt nobilior alia, cuius actus perficit actum alterius; ſed actus uoluntatis perficit actum intellectus: ergo. *10. de trin. cap. 2. tom. 3.* Aſſumptum probatur per Beatum Auguſtinum dicentem, quòd nullum bonum perfectè cognoſcitur, quod non perfectè amatur. Et per conſequens amor eſt perfectio cognitionis: ergo.

AD DECLARANDVM, quod quæritur, tria ſunt uidenda. Primum eſt. Vtrum idem ſub eadem ratione formali ſit obiectum intellectus, & uoluntatis? Sicut tangit. primum argumentum.

Secundum eſt. Vtrum beatitudo, qua formaliter beatificatur, conſiſtat in actu intellectus, uel uoluntatis? Sicut tangit ſecundum argumentum. Tertium eſt, quod quærit quæſtio principalis.

## ARTICVLVS PRIMVS.

QVANTVM ad primum. Vtrum unum, & idẽ ſub eadem ratione formali ſit obiectũ intellectus, & uoluntatis? AD quod reſpondent aliqui doctores dicentes, quod non. *Scotus. 4. ſenten. diſt. 59. q. 4. corp. q. poſt impugnationem opi. D. Thom.* Dicunt enim quòd rationes obiectales intellectus, & uoluntatis uerum.ſ. & bonum, uel ens, uel quæcunque ſint illæ, differunt plus quàm ratione: nam quàmuis ſint una res materialiter; differunt tamen formaliter, ex natura rei. Et hæc differentia eſt præter omnem actum intelligendi: non enim differunt: quia intellectus eas differenter intelligit; ſed ideo eas differenter intelligit: quia differunt in re. *Itẽ. 1. ſent. d. 8. q. 3. Vide etiam æmulatores huius opinion.* Probant ergo iſti doctores duas concluſiones. Prima eſt, quòd diſtinctio formalis extra intellectum poteſt ſtare cum idemptitate reali. Secunda eſt, quòd rationes obiectales intellectus, & uoluntatis differunt iſto modo formaliter.

AD DECLARATIONEM, uel ad declarandam primam concluſionem procedit quidam doctor hoc ordine: *Perſpicua, & clare elucidatio huiuſce poſitionis.* nam primo dat intellectum propoſitionis, præmittendo quatuor diuiſiones, & quatuor ſuppoſitiones, & quatuor comparationes. Secundo oſtendit hanc propoſitionem eſſe de intentione Ariſt. in diuerſis locis. Tertio probat ipſam eſſe de neceſsitate rationis.

PRIMA diuiſio eſt, quòd rerum, aliæ ſunt ſingulares, aliæ uerò uniuerſales; hæc diuiſio, ut dicit, traditur ab Ariſtotile primo Periherm. *1. periherm. cap. 5.* Ex hac diuiſione habet, quòd differentia duorum poteſt dici, uel ſumi, uel per realitatem uniuerſalem, uel particularem ex una parte, uel ex alia.

SECVNDA diuiſio eſt, quòd realitatum alia ſimpliciter, alia ſecundum quid. Et hæc diuiſio traditur in diuerſis locis ab Ariſt. & poteſt ſumi ſpecialiter in. 7. metaphyſicę, ubi diſputat contra Platonem. *tex. c. 51.* Et hæc diuiſio, ut dicit, coincidit cum prima. Realitas enim ſingularis eſt realitas ſimpliciter, & realitas uniuerſalis eſt realitas ſecundum quid. Et non accipit hic hanc diuiſionem, ſecundum quòd poteſt diuidere inter ſubſtantiam, & accidens: quoniam aliter ſumitur hic, & ibi ſimpliciter, & ſecundum quid.

TERTIA diuiſio eſt, quòd realitatum alia prima, alia ſecunda: hæc diuiſio traditur in prædicamẽtis de ſubſtantia ſolum; *Cap. de ſubſtantia.* tamen poteſt extendi ad alia prædicamenta; ſicut dictum eſt de pręcedenti. Et hæc diuiſio coincidit cum præcedentibus: quoniam realitas ſingularis eſt realitas ſimpliciter, & prima; realitas uniuerſalis eſt realitas ſecundum quid, & ſecunda.

QVARTA diuiſio eſt, quòd realitatum alia eſt hoc aliquid; alia uerò quale quid: hęc diuiſio traditur in prædicamentis de ſubſtantia ſolum; *Cap. de ſubſtantia.* tamen poteſt extendi ad alia prædicamenta, ſicut dictum eſt de præcedentibus: hæc autem diuiſio coincidit cum pręcedentibus. Realitas enim ſingularis eſt realitas ſimpliciter, & prima; & hoc aliquid; ſed realitas uniuerſalis eſt realitas ſecundum quid, & ſecunda; & quale quid. Et hæ ſunt quatuor diuiſiones.

SVPPOSITIONES ſunt iſtæ. Prima eſt, quòd quidditas ſiue, quod quid eſt dicit realitatem uniuerſalem ſecundum quid, & ſecundam, & quale quid hoc eſt, quia quidditas nata eſt reſponderi ad interrogationem factam per quid. Sola autem realitas uniuerſalis nata eſt ſic reſpõderi, & prædicari, ut habetur ex iſta diuiſione in antepræ dicẽtis. *Cap. 2.* Eorũ, quæ ſunt, alia dicuntur de ſubiecto, &c. Quare quidditas eſt realitas uniuerſalis.

SECVNDA ſuppoſitio eſt, quòd realitas uniuerſalis, & ſecundum quid, & ſecũda, & quale quid eſt formaliter realitas: quia quidditas, & formalitas idẽ eſt: quia ſuperiora, & uniuerſaliora ſunt formaliora reſpectu inferiorum, & inferiora materialia reſpectu ſuperiorum.

TERTIA ſequitur ex prima.ſ. quòd differre per realitatem uniuerſalem, ſiue ſecundum quid, ſiue ſecundam, ſiue ſecundum quale quid eſt differre per quidditatem, & quidditatiuè: hoc enim eſt euidens ex prima ſuppoſitione.

QVARTA ſuppoſitio ſequitur ex ſecunda.ſ. quòd differre per realitates uniuerſales, ſiue ſecundum quid, ſiue ſecundum ſecundam, ſiue ſecundum quale quid eſt differre per realitates formales, & formaliter.

QVA-



- Realitas
  - Vniuerſalis
    - Secundum quid
    - Secunda
    - Quale quid.
  - Singularis
    - Simpliciter
    - Prima
    - Hoc aliquid.

QVATVOR comparationes ſunt iſtæ. Prima eſt duarum realitatum ſingularium ſub una uniuerſali. Secunda duarum realitatum uniuerſalium, & una ſingularium. Tertia duarum realitatum ſingularium ſub duabus uniuerſalibus. Quarta duarum uniuerſalium in duabus ſingularibus.

In ultimis duabus comparationibus, ut dicit, eſt explicita pluralitas, & diuerſitas comparatorum ſine unitate, & idemptitate; ſed in primis duabus implicantur unitas, & idemptitas: pluralitas, & diuerſitas ſimul. Et quia hic quærimus unitatem ſimul cum pluralitate, idemptitatem cum diuerſitate. Illæ duæ ultimæ comparationes non ſunt ad propoſitum; ſed duæ primæ faciunt ad propoſitum. Vna pro danda imaginatione, ut dicunt. Altera pro declaranda, ſiue demonſtranda propoſitione.

HIS ergo præmiſsis, dant intellectum propoſitionis, dicentes, quòd quærere. Vtrum diſtinctio formalis ſtet cum unitate reali, eſt quærere. Vtrũ aliqua duo poſsint differre per realitates uniuerſales, & ſecũdum quid, & ſecundum ſecundam, & per quale quid, ſtante interea aliqua idemptitate in aliqua realitate ſingulari, & ſimpliciter, prima, & hoc aliquid; ſicut uidemus econuerſo, quòd aliqua duo poſſunt differre per realitates ſingulares, & ſimpliciter, & primas, & hoc aliquid, ſtante inter ea idemptitate in aliqua realitate uniuerſali, & ſecundum quid, & ſecunda, & quod eſt quale quid; ſicut, Sor. & Plato, & quęcũque aliqua duo realia ſub eadem ſpecie contenta, quæ per nullam realitatem differunt uniuerſalem: quia quicquid eſt uniuerſale in uno, & in altero. Iſte igitur eſt intellectus propoſitionis, ut dicunt, & hæc de primo.

QVANTVM ad ſecundum introducuntur quatuor auctoritates ad pręſens, per quas conantur oſtendere hanc eſſe intentionem Ariſt. Cuius gratia notandum, ut dicunt, quòd Philoſophus ſumit idemptitatem, uel diuerſitatem ſecundum eſſe pro diuerſitate, uel idemptitate diffinitiua, ſiue formali. Nam pro eodẽ ſumit eſſe, & quod quid erat eſſe; ſed quod quid erat eſſe eſt ipſa rei quidditas: ergo eſſe accipitur quidditatiuè; & per conſequens, ubicunque Philoſophus dicit, res eſt eadem: eſſe autem non eſſe idem. Intelligendum eſt, quòd ſunt idem realiter, non autem quidditatiuè, ſeu formaliter, ut patet ex dictis.

HOC SVPPOSITO inducitur primo, *tex. c. 41.* quod dicitur primo de generatione, & 2. de anima.ſ. *tex. c. 47.* quòd idem actus eſt augumentatio, & nutritio; eſſe autem non idem. Ex quibus dictis habetur, quòd iſti duo actus ſunt idem ſecundum rem, & diſtincta formaliter. *Cap. 4.* Secundo inducitur quod ſcribitur 5. ethicorũ, ubi dicitur, quòd uirtus, & legalis iuſtitia eſt quædam eadem, eſſe aut non idem, quod eſt intelligendum, ſicut prius. *tex. c. 103.* Tertio inducitur, quòd ſcribitur 4. Phyſicorum, ubi habetur. Sic eſt autem nunc idem, ſecundum quòd idem diuiſio, & unio: eſſe autem non idem eſt. Ex quo patet idem, quod prius. Quarto, inducitur illud, quòd ſcrbitur. 10. metaphyſicæ, ubi dicitur. *tex. c. 2.* Non enim idem ignis, & elementi eſſe; ſed ut quod re, & natura ignis eſt elementum, quod eſt intelligendum, ut prædicta. Propter hæc igitur, & alia multa patet eſſe de intentione Ariſt. aliqua differre ſecundũ eſſe quidditatiuum, quod quidem eſt differre per realitatem uniuerſalem, & ſecundum ſecundã, & quale quid, ſtante inter talia unitate, & idemptitate reali, hoc eſt, in realitate ſingulari, & ſimpliciter, & prima, & hoc aliquid. Et hęc ſufficiunt de ſecundo.

ADVERTENDVM autem, quòd ad oſtendendum, quòd hæc cõcluſio ſit de neceſsitate rationis, & neceſſariò uera, præmittuntur duæ ſuppoſitiones. Quarum prima eſt, quòd ea, quæ Ariſt. dicit de prima cauſa. 12. met. quę immediatè recitabuntur, ſunt in ea ex natura rei ſine operatione intellectus cuiuſcunque: quæ ſunt hæc. Dicit enim, quòd cauſa prima eſt actus purus, ſubſtantia æterna, ſimplex, unica, optima, neceſſaria, diuina, infinita, immaterialis, & impaſsibilis. *tex. c. 30. tex. c. 33. tex. c. 78. tex. c. 37. tex. c. 39. tex. c. 41. tex. c. 49.* Secunda ſuppoſitio eſt, quòd hæc omnia ſunt unica ſingularis realitas, omnino eadem idemptitate, & unitate ſingularitatis. Hæ autem ſuppoſitiones abſque probatione ſupponuntur: quia conceduntur ab omnibus.

HIS ERGO ſuppoſitis, arguitur ſic. Omnia attributa primæ cauſæ ſunt unica eadem ſingularitas, idemptitas, & ſimplicisſima realitas: & tamen differunt formaliter per diuerſas quidditates, & diuerſas realitates uniuerſales, & per diuerſas quidditates ſecũdũ quid, & per diuerſas realitates ſecundas, & qualia quid: ergo poſsibile eſt aliqua differre formaliter ex natura rei, ut ſumptum eſt, ſtante inter ea idẽptitate reali. Conſequentia huius euidens eſt per locum à parte ſubiectiua. Antecedens patet ex ſuppoſitionibus præmiſsis, quantum ad primam partem ſui. Secundam partem probant.ſ. quòd talia attributa primæ cauſę formaliter differant: quia differunt per talia diſtinctiua qualia expoſita ſunt.ſ. per quidditates diuerſas, & uniuerſales, & realitates diuerſas.

HOC AVTEM probatur quadrupliciter. Primo ſic. Illę quidditates adinuicem ſunt diuerſę, quarum una alteri oppoſita, non dat magis, nec remota, minus: hoc eſt euidens: non enim eſt poſsibile, quòd quidditas hominis æquè maneat, ipſa remota ab homine, ſicut appoſita homini; ſed quidditas bonitatis appoſita æternitati, uel ſapientię non dat magis, nec remota, minus: ergo ſunt diuerſę. Probatur Minor primo ethicorum, ubi dicit Philoſophus. *Cap. 7.* Sed neque perpetuum quidem eſſe magis bonum erit. Sed neque magis album, quod deus eſt: eo, quod eſt unius dei. Ex hoc habetur, quòd ſi ſint duo bona, uel duo ſapiẽtes, & uni duorum bonorum, uel ſapientum apponatur æternitas, & ab alio remoueatur, cæteris paribus exiſtentibus, quòd illud, à quo remouetur, nec erit minus bonum, nec minus ſapiens: nec illud, cui perpetuitas apponitur. Et idem etiam apparet, ut dicunt ſine auctoritate, ſi ſint duo homines iuſti, & magnanimi in eodẽ gradu; ſi unus eorum moreretur cras, & alter ex dono dei perpetuaretur, & conſeruaretur in eodem gradu; non eſſet iſte perpetuus iuſtior illo cras morituro, uel ſapientior. Secundo. Quorumcunque quidditates habent eſſentialitatem ordinem prioritatis, & poſterioritatis naturalis p̃ſuppoſitionis, ipſa differunt formaliter, & quidditatiuè per huiuſmodi quidditates: hoc patet: quia hoc eſt impoſsibile neceſſariò, naturaliter unam quidditatem ad ſe ipſam habere talem ordinem; ſed quidditates, q̃ attribuuntur primæ cauſæ, ſunt huiuſmodi: ergo ipſa ſunt diſtincta quidditatiuè. Probatur Minor de notitia, & amore, & delectatione. Hęc .n. ſunt omnia in prima cauſa; & tamen habent ordinẽ naturalis, p̃ſuppoſitionis ex natura ſuarũ quidditatũ: delectatio enim neceſſariò, & naturaliter, in quocunque ſit, præſupponit appetitum rei, ex cuius attingẽtia prouenit delectatio. Impoſsibile eſt enim aliquid delectari in re nõ appetita qualicũque appetitu. Et iterum impoſsibile eſt eſſe amorem in aliquo, nõ præſuppoſita notitia. Vnde Auguſtinus. 10. de trinitate dicit, *Cap. 1. et 2. tom. 3.* quod quiſque prorſus ignorat, amare nullo modo poteſt: quare &c. Patet igitur, quòd attributa primæ cauſæ ſecundum rationes ſuorum generum, ſeu realitatum in cõmuni ſumptarum habent eſſentialem ordinem naturalis p̃ſuppoſitionis; & per cõſequens ſunt diuerſa quidditatiuè. Tertio quidditas unius attributi primæ cauſæ reperitur ſecundum ratione communem in aliquo ſine quidditate alterius: ergo ipſa ſunt

diuerſa

diuerſa formaliter,& quidditatiuè. Antecedens patet: quia communis ratio notitię eſt in quodam actu intellectus mei,uel tui,in quo non inuenitur communis ratio amoris:cum in nobis amor,& notitia ſint diſtincta realiter,& eſſentialiter. Conſequentia tenet:quia una quidditas non inuenitur in aliquo ſine ſe ipſa,niſi dicatur,quòd quidditas inferior,& ſuperior ſint in eodem:& tamen ſuperius inuenitur ſine inferiori, quod in propoſito locum non habet:quia notitia,& amor nõ ſe habent ſicut ſuperius,& inferius. Quartò. Prima cauſa nouit omne cognoſcibile,quantum eſt cognoſcibile,per quodcunque cognitum;ſed non uult,uel appetit omne appetibile,quantum eſt appetibile, per quẽcunque appetitum:ergo notitia,& appetitus in ea differunt formaliter,& ex natura rei. Prima pars antecedentis patet de ſe. Et ponit eam Algazel in metaphyſica ſua 1. tractatu,ſumma tertia, ſub his uerbis. Primus.i.prima cauſa ſcit omnes ſpecies, & genera omnium,quæ ſunt, & nihil deeſt ſcientiæ ipſius. Secunda pars patet:quia multi homines mali appetunt fornicari,& furari,quæ deus non appetit,niſi permiſsiuè; immò & aliquando permittit, quòd mala deſideria compleantur. Sic igitur patet antecedens. Conſequentia tenet:quia non eſt poſsibile, nec intelligibile quòd aliquod unum,& idem ſuper aliquod unum, & idem ſecũdum eandem lationem latoris feratur,uel non feratur; ſed prima cauſa,ut dictum eſt,fertur ultimatè ſecundum notitiam ſuper hanc fornicationem;nõ autem ſecundum appetitum:ergo alia eſt ratio formalis notitiæ, & alia ratio formalis appetitus; & per conſequens notitia, & appetitus in prima cauſa formaliter differunt. Sic igitur probatum fuit antecedens dictæ rationis quarto methaphyſicæ,& per conſequens declarata eſt propoſitio,ſeu concluſio,ut dicunt.

SECVNDAM concluſionem,quę directè eſt ad propoſitum,probant multi ſic. Primo. Si rationes obiectales intellectus,& uoluntatis non diſtinguerentur ex natura rei formaliter; ſequeretur, ꝙ intellectus, & uoluntas non eſſent potentiæ diſtinctæ eſſentialiter;conſequens eſt falſum:ergo. Conſequentia patet: quia ſecundum Ariſtotilem ſecundo huius, *tex. c.22.* potentię diſtinguuntur per actus,& actus per obiecta, quòd eſt intelligendum formaliter ſumpta:ergo à deſtructione conſequentis. Si obiecta non diſtinguuntur formaliter,nec actus; nec per conſequens potentię. Secundo. Ratio formalis in obiecto intellectus debet pręcedere actum intelligendi:quia nõ eſſet uerum,ſi ad eius cognitionem; & per conſequens diſtinctionẽ concurreret intellectus:rationes igitur obiectales intellectus,& uoluntatis non diſtinguuntur per actum rationis; & per conſequens diſtinguuntur ex natura rei formaliter. Tertio quæcũque ſunt actualiter in aliquo, ſunt ibi diſtincta ſecundum rationes ſuas formales:hoc patet:quia ad actum ſemper ſequitur diſtinctio 7. metaphyſicæ; *tex. c.49.* ſed rationes obiectales intellectus,& uoluntatis ſunt actualiter in quocunque ente creato,uel increato:ergo,&c. Quarto. Subiectum, & eius propria paſsio diſtinguuntur, ad minus formaliter,& quidditatiuè; ſed obiectum,quod obiectat uoluntatem, formaliter eſt propria paſsio entis,quod eſt obiectum intellectus; ergo.

*Confutatio præfatæ opin.*

ISTE MODVS dicendi eſt omnino impoſsibilis,& quantum ad ſuppoſitum, & quantum ad propoſitum. Et ideo pono contra eum duas concluſiones. Prima eſt,quòd diſtinctio formalitatis, & formalitatis arguit neceſſariò extra intellectum diſtinctionem rei,& rei. Secunda eſt,quòd impoſsibile eſt rationes obiectales intellectus,& uoluntatis diſtingui ex natura rei formaliter. Pro declaratione primę concluſionis, ſeu propoſitionis in probatione prędictæ opinionis prẽmittuntur quatuor ſuppoſitiones.

PRIMA eſt, quòd omnis realitas de mundo eſt realitas ſingularis; realitas ſimpliciter,realitas prima,& hoc aliquid. Et hæc deſtruit quatuor eius diuiſiones,& quatuor comparationes huius doctoris.

SECVNDA ſuppoſitio eſt,quòd quid eſt,& quidditas dicit realitatem ſingularem;realitatem ſimpliciter, hoc aliquid. Et hæc deſtruit eius quatuor ſuppoſitiones.

TERTIA ſuppoſitio eſt quòd differre formaliter,& quidditatiuè eſt differre per ſingularem realitatem per realitatem ſimpliciter primam,hoc aliquid. Et hęc deſtruit fundamentum poſitionis.

QVARTA eſt,quòd Philoſophus non ſumit ſemper idemptitatem,uel diuerſitatem ſecundum eſſe pro idemptitate, & diuerſitate quidditatiua, ſiue formali. Et hæc oſtendit poſitionem ſuam non eſſe de intentione Ariſt.

PRIMA ſuppoſitio ſufficienter fuit probata quæſtione tertia primi libri articulo primo, ſecundo,& tertio. Probatur tamen ad pręſens dupliciter.

Primo. Omnis realitas Pauli,quæ poteſt annihilari,manente Martino,eſt realitas ſingularis ſimpliciter,prima,& hoc aliquid;ſed omnis realitas Pauli poteſt annihilari,Martino manente:ergo omnis realitas Pauli eſt ſingularis,& ſimpliciter,& prima,& hoc aliquid. Et pari ratione,qua probatur de uno indiuiduo,poteſt probari de quocunque alio:ergo omnis realitas de mundo eſt realitas ſingularis:cum omnis realitas de mundo ſit alicuius indiuidui realitas. Declaro ergo Maiorẽ, & Minorem propoſitionem, & primo Maiorem. Cuius gratia aduertendum, quòd omnis entitas uniuerſalis,quæ erat in Paulo manet, manente Martino:hoc patet quia omnis entitas uniuerſalis, quæ erat in Paulo,erat in Martino;ſed omnis entitas Martini manet in annihilato Paulo:aliàs deus nõ poſſet abſtrahere influentiam ſuam ab uno indiuiduo, aliud in eſſe cõſeruando, quod eſt falſum:ergo omnis entitas uniuerſalis, quæ erat in Paulo manet, manente Martino;& per conſequens omnis realitas Pauli, quæ poteſt annihilari,manẽte Martino,eſt realitas ſingularis. Et hæc erat Maior. Minor patet de ſe. Nam ſi omnis realitas Pauli nõ poſſet annihilari, manente Martino,Paulus, qui ponitur annihilatus non eſſet annihilatus, quod implicat contradictionem. Conſequentia patet: quia annihilatio dicit totam deſtructionem. Secundo ſic. Accipio diuinam eſſentiam, uel deitatem, per quam deus eſt deus: & hoc ens, quæ eſt una ſingularis realitas, ut ſuppono, ex una parte;& realitatem illam, per quam deus eſt ens,uel bonus,uel ſapiens ex alia. Et arguo ſic. Aut in deo ſunt duæ realitates diuerſæ. Vna.ſ. per quam eſt deus,& hoc ens. Et alia per quã eſt deus,bonus,& ſapiens. Aut per unam, & eandem realitatem præciſè habet deus,quòd ſit hoc ens,& bonus,& ſapiens;& quod ſit deus, & hoc ens. Primum dari non poteſt propter duo. Primo:quia non poſſet ſaluari diuina perfectio. Secundo: quia non poſſet uitari realis compoſitio. PRIMVM declaro per rationem Ariſt. quam facit 12. metaphyſicę *tex. c.36.* ad probandum,quòd ſubſtantia, & intelligere primæ cauſę ſint unum,& idem. Arguit enim. Si eſſet aliud intelligere primę cauſæ, & ſubſtantia eius; ſequeretur, quòd ſubſtantia eius non eſſet optima ſimpliciter, quod eſt reputandum impoſsibile. Conſequentia probatur: nam ſi ſubſtantia primæ cauſę non eſt intelligere eius; ſequitur,quòd prima cauſa ſecundum ſubſtantiam ſuã non eſt perfectiſsima, nec optima; immò perficitur per aliquid.ſ. per ipſum intelligere:ergo relinquitur, quòd ſubſtantia primæ cauſæ ſit ſuum intelligere. Hãc rationem reſumo formaliter,accipiendo diuinã eſſentiã, uel deitatem, per quã deus eſt deus. Et hoc ens ex una parte. Et realitatẽ illam,per quam eſt ens,bonus,& ſapiens ex alia parte,& arguo, ſicut Ariſtotiles. Si eſſet alia realitas primæ cauſæ,per quam eſſet ens, bonus,& ſapiens,& alia, per quam eſſet deus, & hoc ens;ſequeretur,quòd diuina eſſentia, uel deitas non eſſet optima ſimpliciter,quod eſt reputandum impoſsibile.



Conſequẽtia tenet,ſicut conſequentia Ariſt. quia quod non eſt ens,nec ſapiens per ſe,& per eſſentiã ſuã, non eſt perfectiſsimum,nec optimum ſimpliciter; ſed ſtante ſuppoſito,prima cauſa nõ eſſet ens, ſiue bonus, nec ſapiens per ſe, nec per eſſentiam ſuam; ſed per quandam aliam realitatem:ergo. NEC VALET; ſi dicatur,quòd deus eſt deus per deitatem, & diuinam eſſentiam;& etiam hoc ens,quæ.ſ.deitas, uel diuina eſſentia eſt una ſingularis realitas,& eſt bonus ſapiens,&c. Per realitatem aliquam uniuerſalem; iſta tamẽ realitas uniuerſalis idemptificatur eſſentiæ, uel deitati,ſicut ſuperius ſuo inferiori. Et per conſequens adhuc, ſtante ſuppoſito,Deus eſſet ens, bonus, ſapiens per eſſentiam ſuam. HOC AVTEM non ualet. Primo:quia aſſumit falſum. Secundo:quia confirmatur propoſitum. Aſſumit quidem falſum, quòd in prima cauſa nulla ponitur uniuerſalis realitas:nam uniuerſalis realitas eſt realitas ſecundũ quid, ut dicunt,ſed omnis realitas ſecũdum quid eſt imperfecta:ergo nulla talis eſt ponenda in deo. CONFIRMATVR etiam propoſitum: quia ſi iſta uniuerſalis realitas idemptificatur diuinæ eſſentiæ,uel deitati,quæ eſt unica ſingularis realitas. Iam non erũt ibi duæ realitates;ſed una tantum,quod eſt propoſitũ. Oportet ergo cõcedere propoſitum, uel negare ſuppoſitũ;& per conſequẽs declaratum eſt, ſtante ſuppoſito, ꝙ non poſſet ſaluari diuina perfectio.

*Diluit reſponſionem quandam, quæ præfatæ rationi aduerſari potuiſſet.*

SECVNDVM declaro,ſcilicet,quòd non poſsit uitari realis compoſitio. Nam ubicunque ſunt duæ realitates ſimpliciter, ibi eſt compoſitio,uel aggregatio ſimpliciter. Ergo ubicunque ſunt duæ realitates ſecundũ quid,erit compoſitio,uel aggregatio ſecundum quid;& per conſequens, ubi eſt una realitas ſimpliciter,& alia ſecundum quid; ſicut in compoſito,realis erit compoſitio,uel aggregatio ſimpliciter,uel ſaltem ſecundum quid:quicquid detur,tollit diuinam ſimplicitatem. Primum igitur dari non poteſt propter duo prædicta. Relinquitur ergo ſecundum,uidelicet,quòd realitas,per quam deus eſt deus,& hoc ens:& realitas,per quam deus eſt ens, bonus,& ſapiens ſit una realitas præciſè. Sed iſta,per quam deus eſt deus, & hoc ens, eſt ſingularis realitas: ergo & illa,per quam deus eſt bonus,& ſapiens: aliàs una,& eadem realitas eſſet ſingularis, & nõ eſſet ſingularis,quod implicat;ſed pari ratione,qua realitas, qua deus eſt ens, eſt ſingularis, & quæcunque realitas eſt ſingularis:ergo omnis realitas, quę in deo eſt,eſt realitas ſimpliciter, prima,&c. eodem modo deducendo rationem. Omnis realitas, cuiuſcunque indiuidui erit ſimpliciter: & per conſequens oportet concedere oẽm realitatem eſſe realitatem ſingularem,primam, ſimpliciter,hoc aliquid.

ET CONFIRMO iſtam deductionem in creaturis. Nam conſtat,quòd Petrus & eſt homo, & hic homo:animal,& hoc animal. Aut in Petro ſunt duæ humanitates;una,per quam eſt homo:& alia, per quàm eſt hic homo. Et duæ animalitates:una, per quã eſt animal,& alia per quam eſt hoc animal. Aut per unam,& eandem humanitatẽ Petrus eſt homo, & hic homo:& per unam animalitatẽ eſt animal,& hoc animal. Primum uidetur ridiculum.ſ. quòd in homine ſint duæ humanitates diuerſæ; uel duæ animalitates; cum per unam formam ſingularem habeat omnia prædicta. Relinquitur ergo ſecundum. Scilicet, quòd per unam,& eandem humanitatem Petrus eſt homo,& hic homo. Sed humanitas,per quam Petrus eſt hic homo eſt una ſingularis realitas:ergo & humanitas,per quam eſt homo,& ſic de ſingulis conſimilibus. Omnis igitur realitas Petri,& cuiuſcũque indiuidui alterius erit ſingularis realitas,& realitas ſimpliciter, realitas prima,& hoc aliquid. Et ſic patet prima ſuppoſitio.

SECVNDA ſequitur ex prima. Si enim omnis realitas eſt realitas ſingularis: cum quidditas ſit quædam realitas:aliàs eſſet nihil,uel ens rationis; ſequitur, quòd quidditas ſit ſingularis realitas.

CONFIRMATVR dupliciter.

Primo ſic. Quidditas diuina eſt quidditas ſingularis;alias non eſſet perfectiſsima per naturam,quod eſt reputandum impoſsibile: ergo quidditas diuina erit realitas ſingularis, ſimpliciter, prima, & hoc aliquid. Conſequentia patet: nam ſi quidditas diuina eſt ſingularis:cum ſit aliqua realitas, erit realitas ſingularis. ET CONFIRMATVR. Nam ſi quidditas diuina eſt uniuerſalis realitas, ut dicunt, cum uniuerſale,ſit aptum natum prędicari de pluribus ſequitur,quòd quidditas primæ cauſæ ſit apta nata prędicari de pluribus,& reperiretur in plurib. quod etiam eſt erroneum, & contrarium rationi, & fidei. Vlterius apparet conſequentia huius ex dictis huius doctoris,qui dicit,quòd duo indiuidua eiuſdem ſpeciei nullo modo differunt,quantum ad quidditates: quia non differunt,quantum ad realitates uniuerſales: ergo eo ipſo,quòd quidditas eſt uniuerſalis realitas;ſequitur, quòd prædicetur de pluribus,& reperiatur in pluribus una,& eadem quidditas: & per conſequens hoc competeret quidditati diuinæ. Vel oportet concedere ſaltem,quòd iſta eſt realitas ſingularis. Secundo. Si quidditas cuiuſcunque indiuidui non eſſet realitas ſingularis;ſequeretur, quòd nullum indiuiduum poſſet corrumpi aliqua uirtute, quantum ad quidditatem, alio indiuiduo eiuſdem ſpeciei manente; immò, quòd plus eſt:ita completè,& ita perfectè maneret quidditas Martini,ipſo mortuo,ſicut ipſo uiuente: cuius oppoſitum dicat ratio recta. Conſequentia patet: quia quicquid uniuerſalitatis eſt in Martino, manet completè,& perfectè in quolibet alio indiuiduo,& homine manẽte:quare,&c. Et ſic patet ſecũda ſuppoſitio.

TERTIA ſuppoſitio ſequitur euidenter ex iſta ſecunda. Si enim quidditas eſt ſingularis realitas,differre formaliter,& quidditatiuè erit differre per realitatem ſingularem,per realitatem ſimpliciter,primam,& hoc aliquid.

QVARTA ſuppoſitio apparet euidenter ex dictis Ariſt. Dicit.n. Ariſt.3. huius ꝙ non eſt alterum appetitiuum,& fugitiuum,nec inter ſe, nec à ſenſitiuo,eſſe autem alterum. *tex. c.29.* Tunc peto uel Ariſt. in hac auctoritate accipit diuerſitatem ſecundum eſſe pro diuerſitate tantum formali; uel pro aliqua alia. Si detur ſecũdum,habetur propoſitum. Si detur primum;ſequitur appetitiuum,& fugitiuum non plus diſtingui à ſenſitiuo,quàm inter ſe,quòd falſum eſt. Conſequentia patet:nam utrobique eſt diſtinctio formalis. Falſitas conſequentis patet:nam appetitiuum, & fugitiuũ diſtinguũtur à ſenſitiuo eſſentialiter: nam alia uirtus, ſeu potentia eſt in nobis appetitus, & alia ipſe ſenſus, quamuis idem loco,& ſubiecto. Fundamentaliter.n. in eodem organo ſunt,& ſubiectiuè ſecundum intentionem Ariſt. inter ſe tamen appetitiuum, & fugitiuum non diſtinguuntur eſſentialiter:non enim eſt in nobis alia uirtus,per quam appetimus delectabile; & alia, per quam fugimus triſte:ſed per unam, & eandem uirtutem facimus hoc,& illud. Sicut uidemus,ꝙ per unã, & eandem formam graue tendit à loco ſurſum,tanquã à loco diſconuenienti,& tendit deorſum; ſicut in locum ſibi conuenientem. Non ergo ſemper Ariſt. ſumit diuerſitatem,uel idemptitatem ſecundum eſſe pro idẽptitate,uel diuerſitate formali, ſiue quidditatiua.

ET IDEO notandum,quòd Ariſtotiles quãdoque dicit aliqua eſſe eadem: eſſe autem non idem: quia ſunt idem ſubiectiuè:diſtincta autem quidditatiuè. Et tunc accipit eſſe pro quidditate. Et iſto modo, non eſt alterum appetitiuum à ſenſitiuo:eſſe autem alterum:quia non diſtinguuntur loco,& ſubiecto;diſtinguuntur tamen quidditatiuè. Sed quæ ſic diſtinguuntur,neceſſariò realiter diſtinguuntur, ut inferius patebit. Quandoque autem dicit,quòd res eſt eadem, eſſe autem non idem:quia ſunt idem realiter; differunt tamen ratione. Et iſto modo non eſt alterum appetitiuum,à fugitiuo; eſſe autem alterum,ut patet ex dictis.

Sic ergo

Sic ergo apparent ſuppoſitiones prædictæ.

*Probatio primæ concluſionis latæ in aduerſarios.*

HIS ERGO ſuppoſitis, facile eſt uidere, quòd diſtinctio formalitatis, & formalitatis eo modo, quo loquitur iſte doctor de formalitatibus arguunt neceſſariò diſtinctionem rei, & rei: quod probatur triplici medio. Primo ſic. Quæ diſtinguuntur aliquo modo realiter, diſtinguuntur in aliqua realitate ſingulari, & in aliqua realitate ſimpliciter, prima, & hoc aliquid: hæc patet ex prima ſuppoſitione: quia omnis realitas eſt realitas ſingularis; ſed quæ diſtinguuntur formaliter, aliquo modo diſtinguuntur realiter ſecundum iſtū doctorem, & rationem: quia diſtinguuntur ex natura rei: ergo quę diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur in aliqua realitate ſingulari, & ſimpliciter, prima, & hoc aliquid; & per conſequens diſtinguunt ſimpliciter, & abſolutè realiter. Diſtinctio ergo formalitatis, & formalitatis neceſſariò arguit diſtinctionem rei, & rei.

Secundo. Quidditas eſt realitas ſingularis: ergo diſtingui quidditatiuè per diuerſas quidditates eſt diſtingui realiter per realitates ſingulares; & per conſequēs, ſequitur idem, quòd prius. Antecedens patet ex ſecunda ſuppoſitione. Conſequentia tenet ex terminis.

Tertio. Quæ differunt per quidditates, differunt per realitates, & realiter: hæc patet ex tertia ſuppoſitione: quia differre formaliter, & quidditatiuè eſt differre per realitates ſingulares, &c. Sed quæ differunt per formalitates, differunt per quidditates: cum quidditates ſint formalitates per eos: ergo quæ differunt per formalitates, differunt per realitates, ſiue realiter.

SIC IGITVR apparet prima propoſitio ſecundum expoſitionem huius doctoris. Vnde non credo omnes tenentes formaliter hanc poſitionem, ſic intelligere: idcirco probo ulterius hanc propoſitionem tripliciter. Primo ſic. Accipio realitatē cuiuſcunque entis creati, uel increati, & eius formalitatem. Et peto. Vel eius formalitas, & eius entitas ſunt unum, & idem omnibus modis extra intellectum. Vel non. Si detur primum, habetur propoſitum: nā quæ ſunt unū, & idem omnibus modis ex natura rei, multiplicato uno extra intellectum, multiplicatur & reliquū; alias unum, & idem omnibus modis multiplicatur, & non multiplicatur, quod implicat. Patet etiam per eos, qui probant eſſentiam diuinam, & relationem in diuinis non eſſe idem omnibus modis: quia non multiplicatur eſſentia, multiplicata relatione. Si igitur realitas, & ſua formalitas ſunt unum, & idem omnibus modis ad multitudinem, & diſtinctionem formalitatum, ſequitur multiplicatio, & diſtinctio etiam realitatum, quod eſt propoſitum. Si uero detur ſecundū. Quæro ulterius. Vel realitas, & eius formalitas nullo modo ſunt idem. Vel aliquo modo ſunt idem, & aliquo modo non: patet hæc diuiſio à ſufficienti partium enumeratione. Si detur primum, habetur propoſitum. Nam formalitas, uel eſt aliqua realitas, uel nulla. Si nulla: ergo nihil: quia, quòd nulla res eſt, omnino nihil eſt, ſecūdū Beatum Auguſtinū primo de doctrina chriſtiana; & per conſequens diſtingui per formalitates eſt diſtingui per realitates, uel entitates. Si aliqua: cum non ſit ſua realitas ex ſuppoſito, erit alia; & per conſequens diſtingui formaliter eſt diſtingui realiter; & per duas realitates alias à realitate, qua fundatur, quòd eſt propoſitum. Si detur ſecundum, ſcilicet, quòd ſit aliquo modo idem, aliquo modo non. Peto uel realitas eſt ſua formalitas una, & eadem: omnimodè conueniunt, & differunt extra intellectum, uel non; ſed alio, & alio differunt, & conueniunt. Primum dari non poteſt etiam per eos: nam, ut dicunt, quæcunque conueniunt, & aliquo ſui conueniunt, & aliquo ſui differunt. Et hoc eſt mediū, & principiū, per quod conantur probare, quòd relatio, & eſſentia in diuinis aliquo mō diſtinguuntur ex parte rei: quia pater, & filius conueniunt in eſſentia, & differunt in relatione. Relinquitur ergo ſecundum, ſ. quòd aliquo modo conueniunt, & aliquo modo differunt; & per conſequens infra ambitum realitatis præciſè ſumptæ, ut pſcindit à ſua formalitate, eſt aliquid aliud, & aliquid aliud: & ſimiliter infra ambitum formalitatis, ut præſcindit à realitate. Et tunc petam ulterius de illo alio, & alio; ſicut prius petitum eſt de realitate, & formalitate; & per conſequens erit proceſſus in infinitum in entibus extra intellectū. Sed talis proceſſus eſt uitandum: ergo poſitio nulla.

*Cap. 2. Tom. 3.*

ET CONFIRMATVR quia realitas, & formalitas ſua conueniunt; & differunt extra intellectum: ergo eſſent eandē formaliter, & diſtincta realiter. Vel eſſent eadem realiter, & diſtincta formaliter: hoc patet etiam per eos. Primum non poteſt dari propter duo: quia, quòd non eſt realitas, nec includens realitatem à nullo diſtinguitur realiter; ſed formalitas ut pręſcindit à ſua realitate, à qua diſtinguitur ex ſuppoſito, nec eſt realitas, nec habens realitatem: ergo non diſtinguitur realiter ab ipſa. Secundo: quia ſequeretur, quòd magis diſtingueretur à ſua realitate formalitas, quam à formalitate ſibi oppoſita, quòd eſt falſum, etiam per eos. Conſequentia patet: quia diſtinctio formalitatis à formalitate eſt tantum formalis: hæc autem ponitur realis; ſed diſtinctio realis eſt maior diſtinctione formali, ut dicunt: ergo.

Secundum etiam dari non poteſt propter alia duo. Primo: quia, quod non eſt formalitas, nec habens formalitatem à nullo diſtinguitur formaliter; ſed realitas, ut præſcindit à ſuis formalitatibus, à quibus diſtinguitur ex ſuppoſito, nec eſt formalitas, nec habens formalitatem: ergo. Secundo. Quia non eſt minoris uirtutis, & efficaciæ realitas ad diſtinguendum realiter, quàm formalitas ad diſtinguē dum formaliter: ſi ergo formalitas diſtinguitur formaliter à ſua realitate: quàmuis, ut ſic, realitas non ſit formalitas: pari ratione realitas diſtingueretur realiter à ſuis formalitatibus: quanuis, ut ſic, non ſint realitates; & per conſequens ſi realitas, & formalitas diſtinguerentur formaliter, diſtinguerentur & realiter.

SECVNDO ad principale ſic. Vel realitas, & formalitas ſunt idem adæquatè, & conuertuntur: uel unum ſub alio continetur, puta, formalitas ſub realitate: uel econuerſo: uel ambo continentur ſub quodam tertio: uel ſunt duo penitus diſperata: hoc patet per ſufficientem diuiſionem. Si detur primum; ſequitur, quòd, quæ diſtinguuntur formaliter, diſtinguuntur realiter, & econuerſo; & per conſequens habetur propoſitum. Si uero detur ſecundum, puta, quòd formalitas contineatur ſub realitate; & cum quodlibet inferius includat ſuum ſuperius eſſentialiter, & recipiat prædicationem ipſius; ſequitur, quòd, quæ diſtinguuntur formaliter per duas formalitates, diſtinguuntur realiter per duas realitates: quod eſt propoſitum. Item, quę non ſunt idem in ſuperiori, non idemptificantur in inferiori, ut puta, quæ idemptificantur in animalitate, nō idēptificātur in humanitate: ſi ergo realitas eſt quid ſuperius ad formalitatem; ſequitur, quòd, quę non ſunt idē realiter, non erunt idem formaliter, & in formalitate, cuius oppoſitum ipſi dicunt. Nam per eos Petrus, & Paulus, qui diſtinguuntur realiter, nullo modo diſtinguuntur formaliter, ſiue in aliqua formalitate. Si autem detur tertium. ſ. quòd realitas contineatur ſub formalitate; ſequitur, quòd aliqua formalitas non ſit realitas: ſicut eo ipſo, quòd animal eſt ſuperius ad hominem, aliquod animal eſt, quod non eſt homo; immò dicitur fallacia cōſequentis, arguendo à ſuperiori ad inferius affirmatiuè; & per conſequens aliqua formalitas erit nihil; quia non erit realitas; & ſic ens rationis, uel nihil. Si uero detur quartum; ſequitur, quòd nec realitas erit formalitas, nec econuerſo; & per conſequens formalitas erit nihil: quia, quòd nulla res eſt, omnino nihil eſt, ut dictum eſt ſupra. Conſequentia patet: nam quę ſic continentur ſub aliquo tertio, ꝙ unum ſub alio non continetur, nec econuerſo; unum nō prædicatur de alio prædicatione dicente, hoc eſt hoc. Nam eo ipſo, quòd homo eſt aſinus, continentur ſub animali, quòd unum ſub alio non continetur; nec econuerſo; unum non recipit prædicationem alterius, nec ecō ſo; unum non recipit prædicationem alterius, nec ecōuerſo. Si autem detur quintum; idem inconueniens ſequitur euidentius: nam quæ ſunt penitus diſperata, non prædicantur de ſe inuicem prædicatione dicente, hoc eſt hoc. Quicquid ergo detur habetur propoſitum, uel ſequitur impoſsibile; & per conſequens poſitio eius non eſt uera.

*D. Auguſt. 1. de doctr. chr. cap. 2. tom. 3.*



TERTIO. Formalitas ſumpta præciſè, ut formalitas eſt, & ut diſtincta formaliter ab alia formalitate. Vel eſt aliquid, uel nihil. Si nihil ergo diſtinctio formalitatis nulla. Si aliquid; uel realis, uel rationis. Si rationis: ergo diſtinctio formalis, ut ſic, eſt diſtinctio rationis. Si reale; uel eſt aliqua res, uel nulla res. Si nulla res: ergo nihil, cum nihil, & nulla res in his, quæ ſunt extra animam æquipolleant ſecundum regulam Beati Auguſtini ſuperius allegatam. Si aliqua res, uel eſt illa res, quæ ſupponitur, ut realitas, aut alia. Si illa: ſequitur quòd idem erit principium idemptificans, & diuerſificans, quod eſt impoſſibile. Si alia: ergo ſunt ibi duæ res diſtinctæ; & per conſequens diſtingui formaliter eſt diſtingui realiter, quod eſt propoſitum. Patet igitur prima propoſitio.

*1. de doc. Chriſt. cap. 2. Tom. 3.*

SECVNDA concluſio probatur tripliciter. Primo ſic. Diſtinctio formalitatis, & formalitatis arguit neceſſariò diſtinctionem rei, & rei: ergo à deſtructione conſequentis. Quæ non diſtinguuntur realiter, nec formaliter; ſed rationes obiectales intellectus, & uoluntatis non diſtinguuntur realiter etiam per eos: ergo nec formaliter. Secundo. Si rationes obiectales intellectus, & uoluntatis diſtinguuntur ex natura rei formaliter; ſequeretur, quòd incognitum eſſet uolitum; conſequens eſt exprēſſè contra Beatum Auguſtinum. 10. de trinitate dicētem, quòd nihil uolitum, niſi prius cognitum. Conſequentia patet: quia ratio formalis obiecti uoluntatis; cum terminat actum, eſt uolita, & deſiderata: & tamen non erit cognita, cum nulla potentia ſe extendat, niſi ad illud, in quo reperitur ratio formalis ſui obiecti.

*Cap. 1. & 2. Tom. 3.*

Tertio ſic. Illud, quod ſubterfugit rationem entis, eſt omnino nihil; ſed ſecundum uiam iſtorum doctorum, quod ſubterfugit rationem formalem obiecti adæquati intellectus noſtri, ſubterfugit rationem entis: quia ens, inquantum ens, eſt obiectum adæquatum intellectus noſtri, ut dicunt: ergo, quòd ſubterfugit rationem formalem obiecti adæquati intellectus noſtri, eſt omnino nihil ſecundum eos: ergo ratio formalis, quæ ponitur in obiecto uoluntatis eſt diſtincta formaliter à ratione formali obiecti intellectus, eſt omnino nihil, quod eſt impoſſibile. Rationes igitur obiectales intellectus noſtri, & uoluntatis non poſſunt diſtingui ex natura rei formaliter, ut dicunt, nec rationes eorum in aliquo conuincunt. Verum, quia aliquæ ex eis non poſſunt bene ſolui, quouſque appareat, quid dicendum ad propoſitum: idcirco unà cum quibuſdam alijs in fine huius articuli ſoluentur.

*Magiſtri. Ger. Sen. 1. Sent. d. 1. q. tertia prin. arg. 3.*

DIMISSO igitur iſto modo dicendi, adhuc eſt alius modus dicendi cuiuſdam doctoris noſtri dicentis, quòd obiectum cuiuſcunque potentiæ cognitiuæ, uel ſenſitiuæ habet ſe ad potentiam ipſam in duplici habitudine, ſcilicet, in habitudine mouentis, & in habitudine terminantis. Obiectum ergo intellectus, & uoluntatis ſi comparetur ad potentias in ratione mouentis, ut ſic, obijcit ſe eis ſub una, & eadem ratione formali. Si uero comparetur ad eas in ratione terminantis, ſic obijcit ſe eis ſub alia, & alia ratione formali.

PRIMAM propoſitionem probant una ratione tali. Quandocunque aliquod mouens mouet aliqua duo mobilia ſecundum quendam ordinem, ut puta, unum mediante alio, ſemper mouet ſecundum per eandem rationem, per quam mouet primum. Patet: nam ſi per aliam rationem moueret primum, & per aliam ſecundum, non moueret ſecundum mediante primo. Sed obiectum intellectus, & uoluntatis mouet iſtas duas potentias ad actus ſuos, & mouet uoluntatem mediante intellectu, ut ab omnibus conceditur: ergo.

SECVNDAM propoſitionem, quæ eſt magis dubia, probat tripliciter. Primo ſic. Si obiectum intellectus, & uoluntatis cauſaret actum uolendi, & intelligendi ſub eadem ratione formali; ſequeretur, quòd præfati duo actus eſſent eiuſdem ſpeciei; conſequens eſt falſum. Falſitas conſequentis ab omnibus conceditur communiter. Conſequentia uidetur nota: quia quicunque actus animæ ſumunt ſpeciem ab obiectis. Secundo. Si obiectum intellectus, & uoluntatis terminaret actum uolendi, & intelligendi ſub eadem ratione formali; ſequeretur, quòd duæ habitudines diuerſarū rationum poſſent habere eundem terminum formaliter; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet. Nam conſtat, quòd iſti duo actus habent eſſentialem dependentiam, ſiue habitudinem ad obiectum. Cum ergo actus præfati ſint diuerſarum rationum, & eorum eſſentiales habitudines erunt diuerſarum rationum. Si ergo obiectum terminaret hos duos actus ſub eadem ratione formali; duæ habitudines diuerſarum rationum haberent eundem terminum formaliter. Falſitas conſequentis patet: ſi enim duæ habitudines diuerſarum rationum haberent eundem terminum formaliter; tunc terminus non faceret per ſe ad unitatem habitudinis; & per conſequens nec ad diuerſitatem, quod tamen ad ſenſum patet eſſe falſum. Nam uidemus, quòd ſtante eodem obiecto, uel ſubiecto, uel fundamento, puta, albedine, plurificatur realis habitudo, & relatio propter diuerſitatem terminorum. Alia enim eſt ratio ſimilitudinis, quæ fundatur in albo reſpectu alterius albi. Et alia eſt ratio diſsimilitudinis, quæ fundatur in eodem albo reſpectu nigri: tales. n. relationes plurificantur ad plurificationē terminorum. Item non requiritur minor diuerſitas in terminis relationum, quàm in fundamentis; ſed impoſſibile eſt, quòd idem fundamentum formaliter ſumptum, fundet diuerſas relationes: ergo nec idem terminus formalis poterit eas terminare. Minor probatur per Ariſtotilem in 3. phyſicorum dicentem, quòd potentia ad ſanitatem, & infirmitatem non eſt eadem: quia ſi eſſent eædem potentiæ; ſanitas, & infirmitas eſſet idem: ergo eodem modo, ſi in albedine eſſet eadem ratio, & potentia fundaret ſimilitudinem, & diſsimilitudinem; ſequeretur, quòd ſimilitudo, & diſsimilitudo eſſent idem. *Tex. c. 10.*

Tertio. Ad principale. Si obiectum per eandem rationem formalem terminaret hos duos actus; ſequeretur, quòd eandem determinationem reciperet ab eis; conſequens eſt falſum: ergo. Conſequentia patet: quia obiectum non ſortitur denominationem ex actu. Nec propter rationē terminādi: quia ſecundū illā rationem habet actus eſſentialiorem habitudinem ad obiectum. Falſitas conſequentis, quamuis probet eam, manifeſta eſt de ſe.

*Confutatio opin. præmiſſæ.*

SED NEC ISTE modus uidetur uerus, ſalua reuerentia dicentis, principaliter propter duo. Primo. Quia incidit in poſitionē formalitatum neceſſariò, quam tamen ipſemet improbat eſſe. Secūdo. Quia ponit, ꝙ obiectū per aliā rationē mouet potentiam, & per aliā terminat eius actū, quòd non eſt uerum. Oſtendo ergo primo, quòd ſic dicentes incidunt in poſitionē formalitatū. Et arguo ſic. Aut iſtæ duæ rationes obiectales, quæ terminant actum uolendi, & intelligendi diſtinguūtur inter ſe ſola ratione, uel ex natura rei, circūſcripto opere intellectus. Si detur primū; ſequitur, quòd poſitio eius ſit falſa, & ſuperflua. Eſt quidem falſa. Nam ſicut rationes terminantes dicūtur di-

ſtingui ſecundum rationem: quia terminant diſtinctos actus: quàmuis ex parte rei non diſtinguantur: ex oppoſito pari ratione, rationes mouentes diſtinguerentur ſecundum rationem: quia mouent diſtinctas potentias, non obſtante earum idemptitate reali. Erit igitur ſuperflua: nam ſic dicentes incidunt de plano impoſitionem Commentatoris, qui ponit rationes obiectales intellectus, & uoluntatis diſtingui ratione ſola. Nec differt iſta poſitio ab illa, ſtante ſuppoſito niſi in uerbis; & per conſequens erit ſuperflua. Si uero detur ſecundum, habetur propoſitum: nam ponere in obiecto intellectus, & uoluntatis, ſtante idemptitate reali ipſius, duas rationes diſtinctas ex natura rei, eſt ponere formalitates expreſsè.

*12. Metaph. Com. 39. & 51. Item. 4. Metaphy. Tex. c. 3.*

*Solutio Magiſtri Gerard. Seneſ. ubi ſupra.*

NEC VALET ſolutio, quæ datur ad iſta rationem. Dicunt enim iſti doctores, quòd differentia inter iſtas rationes eſt ex natura obiecti fundamentaliter, & potentialiter; ſed ex ipſis actibus completiuè, & actualiter, ſic intelligendo, quòd ipſum obiectum habet in ſe naturam, ſecundum quam poteſt terminare iſtos actus diuerſos alio, & alio modo; iſta tamen differentia reducitur de potentia ad actum. Et completur per hoc, quod iſti actus terminantur actualiter ad obiectum, ſecundum quòd ipſum erat in potentia ad terminandum eos. Sicut etiam uidemus, quòd relatio ſimilitudinis in albedine fundata, non exiſtente termino oppoſito, dicitur eſſe in eodem fundamento ex natura rei, ſolum potentialiter. Exiſtente uero termino oppoſito, incipit eſſe in eodem fundamento actualiter; per nullam tamen mutationem in ipſo factam; ita ſuo modo, ut dicunt, in propoſito, puta, quia rationes terminandi ſunt in obiecto, non exiſtentibus perfectis actibus; ſed ſolum ſecundum potentiam: & tunc potentialiter diſtinctè: & ipſis incipientibus, incipiunt iſtæ rationes eſſe actualiter in obiecto, & actualiter diſtinctæ.

ISTE ERGO modus nam incidit in poſitionem formalitatum: quia illa poſitio ponit, quòd illæ rationes obiectales, ita differunt ex natura rei; quòd præueniunt ipſos actus, & ſunt completæ in obiecto, antequam actus præfati ſint in potentijs, quod hic negatur. SED IN rei ueritate hæc ſolutio, quàmuis ſit apparens: non tamen euadit rationem propter duo. Primo. Quia aſſumit falſum. Secundo. Quia conceſſo, quod aſſumitur, habetur propoſitum. Aſſumit enim falſum: quia ponit, quòd rationes terminandi ſunt in obiecto, non exiſtentibus actibus, niſi ſolum potentialiter: & ipſis exiſtentibus, incipiunt ibi eſſe actualiter. Sicut relatio ſimilitudinis exiſtens fundata in albedine, non exiſtente termino oppoſito. Hoc autem eſt falſum: quia adhuc ſequitur, quòd rationes obiectales terminantes actum uolendi, & intelligendi ſint reſpectus, ſiue relatio formaliter, & præciſè, quod eſt omnino falſum. Conſequentia patet: quia quicquid erat in potentia, & reducitur ad actum per ſolam mutationem factam in altero eſt relatio, ſiue reſpectus formaliter, & præciſè. Hoc patet; quia per hoc diſtinguitur abſolutum à reſpectiuo per Ariſtot. & per eum. Sed ex ſuppoſito, rationes terminantes hos actus intelligendi, ſcilicet, & uolendi erant potentialiter in obiecto, non exiſtentibus ipſis actibus, & ipſis exiſtentibus, incipiunt ibi eſſe actualiter: eo, quòd actus actualiter terminantur ad obiectum: ergo tales rationes obiectales erunt reſpectus, ſiue relatio formaliter, & præciſè: patet igitur conſequentia. Sed falſitas conſequentis probatur dupliciter. Primo: quia ſi huiuſmodi rationes eſſent reſpectus, ſiue relatio formalis, & præciſè; ſequeretur, quòd obiectum ſumptum formaliter, realiter referreretur ad actum intelligendi, & uolendi, quod apparet falſum eſſe.

*Confutatio ſolutionis præfati Doctо.*

Secundo: quia, quod quietat appetitum noſtrum non poteſt eſſe relatio, ſiue reſpectus formaliter, & præciſè; ſed obiectum formaliter acceptum, quietat uoluntatem noſtram: ergo &c. Aſſumit igitur falſum dicta ſolutio.

SED OSTENDO ſecundo, quòd conceſſo aſſumpto, adhuc habetur propoſitum. Nam, ut ipſimet concedunt, quamuis huiuſmodi rationes præcedant ſolum potentialiter in obiecto terminationem ipſorum actuum. Exiſtentibus tamen actibus dictę rationes obiectales ſunt in obiecto actualiter, & actualiter diſtinctæ.

QVAERITVR ergo. Vtrum rationes terminantes actum intelligendi, & uolendi, exiſtentibus actibus, diſtinguantur inter ſe ſola ratione, uel ex natura rei? Si detur primum incidit in poſitionem Commentatoris, ſicut prius dicebatur. Si detur ſecundum habetur propoſitum.

ET CONFIRMATVR: quia iſtæ rationes, ut ſunt actualiter diſtinctæ, uel ſunt duo quædam ex natura rei, uel non. Si detur primum, uel ſunt duæ res, uel non. Primum dari non poteſt, etiam ipſi dicunt: relinquitur ergo ſecundum; & per conſequens cum idemptitate reali aliquorum ſtat uera dualitas ex natura rei. Et hoc eſt incidere in formalitates. Si autem dicatur, quòd non ſunt duo quædam ex natura rei, cum omnis dualitas, quæ non eſt realis, ſit rationis, habetur poſitio communis. Præterea. Vel exiſtentibus actibus, rationes terminantes ſunt realiter in obiecto, uel non. Non poteſt dici, quòd non: quia tunc obiectum non terminaret realiter. Si dicatur, quòd ſic, cum exiſtentibus actibus, ſint duæ, & diſtinctæ rationes actualiter, ut dicunt, ſequitur; quòd cum reali idemptitate obiecti ſtat uera dualitas realis talium rationum: cum quicquid eſt in obiecto realiter, ſit aliquid reale; & per conſequens habemus formalitates expreſsè. Patet igitur, ſcilicet, primum, uidelicet, quòd hæc poſitio, ſi debet differre à poſitione communi, incidit in poſitionem formalitatum neceſſariò.

OSTENDO igitur ſecundo, quòd ſit impoſſibile ponere, quòd obiectum per aliam rationem moueat potentiam, & per aliam terminet actum eius, ut dicunt. Et, quòd hoc ponant: patet, quia in obiectis intellectus, & uoluntatis, ponunt tres rationes unam communem eis, per quam mouent potentias, & duas ſpeciales, per quas terminant actus ipſarum; ex quo ſequitur, quòd obiectum per aliam rationem mouet potentiam, & per aliam terminat actum. Impoſſibilitatem autem huius oſtendam tripliciter.

Primo ſic. Si obiectum per aliam rationem moueret potentiam, & per aliam terminaret actum potentiæ; ſequeretur, quòd incognitum eſſet uolitum; conſequens eſt falſum etiam per eos: ergo. Conſequentia probatur; quia illud, quod non mouet intellectum ad intelligendum, nec terminat eius actum, non eſt cognitum ab intellectu; ſed ratio obiecti, quæ terminat actum uoluntatis, non mouet intellectum, nec actum intelligendi terminat: ergo nullo modo eſt intellecta; ſed ad ipſam moueter uoluntas, cum ponatur terminare actum uoluntatis. Eſt ergo uolitum aliquid, quod non eſt cognitum, quod eſt abſurdum.

Secundo. Ratio ueri per eos terminat actum intelligendi, & ratio boni terminat actum uolendi: ergo ratio motiua intellectus, & uoluntatis eſt alia à ratione ueri, & boni, quod non uidetur dicendum. Tum: quia bonum cognitum excitat appetitum; tum etiam: quia ipſi non dicunt, cuiuſmodi ratio eſt illa: deberent enim eam nominare, ut melius poſſent intelligi. Tertio. Sicut ſe habet ſenſibile ad ſenſum; ita intelligibile obiectum ad intellectum tertio huius; ſed ſenſibile per eandem rationem ſe tenente ex parte rei mouet ſenſum, & terminat eius actum: ergo, &c. Iſte igitur modus dicendi non uidetur bonus.

*Tex. c. 3. et 37.*

ET IDEO



*Tertius dicēdi modus quorūdam.*

ET IDEO adhuc eſt alter modus dicendi, qui ponit, quòd rationes obiectales intellectus, & uoluntatis ſunt penitus indiſtinctæ re, & ratione. Primum: quia conceditur ab omnibus, non curant probare: ſed ſecundum, uidelicet, quòd huiuſmodi rationes non diſtinguuntur ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter probant tripliciter. Primo ſic. Iſtæ rationes ſunt reales, & non ſecundum rationem, quæ cauſant actus reales: hoc patet: quia ens rationis non eſt cauſa entis realis; ſed rationes obiectales intellectus, & uoluntatis cauſant actum intelligendi, & uolendi, qui ſunt actus reales, ut communiter conceditur: ergo ſunt rationes reales, & non ſecundum rationem. Secundo ſic. Rationes obiectales intellectus, & uoluntatis non præſcindūt actum intelligendi, & uolendi: hoc patet: quia actus cauſantur ab obiectis formaliter ſumptis; ſed illud, quod conſtituitur per actum intelligendi, non præcedit dictum actū: ergo rationes formales obiecti intellectus, & uolūtatis non conſtituuntur per actum intelligendi, & uolendi; & per conſequens nec diſtinguuntur per actum intelligendi. Tertio. Sic aliqua differentia eſſet inter rationes formales obiecti harum potentiarum. Vel una contineretur ſub alia, puta, ratio formalis obiecti intellectus contineretur ſub ratione formali obiecti uoluntatis. Vel econuerſo; uel ambæ ſub tertia. Vel eſſent omnino æquales, & una non contineretur ſub alia, non ambæ ſub tertia. Primum dari non poteſt. Nam ſi ratio formalis obiecti intellectus contineretur ſub ratione formali obiecti uoluntatis, uel conuerſo; ſequeretur, quòd intellectus, & uoluntas non eſſent æqualis ambitus obiectiuè, quod communiter reputatur falſum. Conſequentia patet: quia potentia non ſe extendit, niſi ad id in quo reperitur ratio formalis ſui obiecti. Si igitur una illarum rationum ſub alia contineretur; illa, ſub qua alia contineretur, eſſet uniuerſalior; & per conſequens potentia, cuius eſſet talis ratio ad plura ſe extenderet ſubiectiuè, ideſt, obiectiuè. Nec poteſt dari ſecundum, ſcilicet, quòd ambæ contineantur ſub tertia: quia tunc, ſi mouerent ſecundum illam tertiam rationem, non mouerent diſtinctæ; ſed magis, ut una. Item non poteſt dari tertium, ſcilicet, quòd ambæ ſint æquales ſic, quòd non reducantur in ſe inuicem. Nec in tertiam: quia hoc poſito; ſequeretur, quòd intellectus non intelligeret, quod uellet uoluntas: nec uoluntas uellet, quod intelligeret intellectus, quod eſt abſurdum. Concludunt ergo iſti doctores, quòd idem obiectum ſub eadem ratione formali ſe offert intellectui, & uoluntati.

*Inquiſitio non inutilis.*

ET SI petatur ab eis, quomodo cauſant diuerſos actus in iſtis diuerſis potentijs.

*Solutio aduerſariorū.*

DICVNT, quòd non eſt inconueniens, quòd idem agens æquiuocum ſub una ratione cauſet diuerſa in diuerſis ſubiectis. Sicut uidemus de Sole, qui per eundem calorem liquefacit ceram, & deſiccat lutum: poterit igitur à ſimili idem ſubiectum, ideſt, obiectum ſub eadem ratione formali penitus indiſtincta re, & ratione diuerſos effectus cauſare in diuerſis ſubiectis, ſiue in diuerſis potentijs.

*Confutatio opin. præmiſſæ.*

ISTE AVTEM modus dicendi, inquantum concordat cum dictis communibus, ponendo unitatem realem inter iſtas rationes, uerus eſt: aliàs non poſſet ſaluari, nec uitari, quòd uoluntas tenderet in cognitum. Sed inquantum negat, diſtinctionem rationis ab eiſdem, impoſſibilis eſt. Quod probo tripliciter. Primo. Si idem ſub eadem ratione formali penitus in diſtincta re, & ratione eſſet obiectum intellectus, & uoluntatis; ſequeretur, quòd actus utriuſque potentiæ eſſent eiuſdem ſpeciei; conſequens eſt falſum: ergo. Falſitas conſequentis conceditur ab omnibus & fuit probata ſuperius in quæſtionibus ſuper .4. ubi oſtenſum fuit, quòd præfati actus non ſolum ſpecie; immò genere remoto diſtinguuntur. Conſequentia patet: quia, ut oſtenſum fuit ibidem, actus ſpecificatur ab obiectis formaliter ſumptis: ubi ergo eſt idem omnino obiectum, ibi erunt actus eiuſdem ſpeciei. Secundo. Quæ non ſunt ſynonyma differunt re, uel ratione: ſed rationes obiectales intellectus, & uoluntatis non ſunt ſynonyma: ergo differunt re, uel ſaltem ratione. Maior patet: quia quæ nec differunt re, nec ratione ſunt ſynonyma. Minor probatur: quia obiectum intellectus formale uel eſt ens, uel uerum, uel quidditas rei materialis: obiectum autem uoluntatis bonum; bonum autem, & uerum, & ens non ſunt ſynonyma, ut omnes concedunt. Et poteſt probari per rationem, quam facit Ariſt. 3. Metaphyſicæ: nam quando dicimus ens eſt bonum, uel uerum eſt bonum: uel uerum eſt ens: non facimus nugationem, & per conſequens talia non ſunt ſynonyma. Tertio. Quæcunque ſunt penitus indiſtincta re, & ratione, quicquid conuenit uni, & qualitercunque competit ei, idem eodem modo competit, & alteri; ſed obiecto intellectus competit aliquid cum reduplicatione, quod non competit obiecto uoluntatis cum reduplicatione: ergo iſta obiecta formaliter accepta, aliquo modo differunt. Sed per eos non differunt re: ergo differunt ratione. Maior patet ex terminis: quia ſi aliquid aliquo modo competit uni, quod non competit alteri. Eodem modo in illo neceſſariò diſtinguitur ſaltem ſecundum rationem. Minor etiam probatur: quia obiectum intellectus, inquantum eſt obiectum intellectus, adæquat potentiam intellectiuam: aliàs intellectus non haberet obiectum adæquatum aliquo modo. Sed obiectum uoluntatis, inquantum obiectum uoluntatis, non adæquat potentiam intellectiuam: aliàs non attingeretur per uoluntatem: quia obiectum adæquatum unius potentiæ non attingitur per actum alterius. Et per conſequens obiectum uoluntatis non eſſet obiectum uoluntatis, quod implicat.

*Scilicet. q. 4. art. 2.*

*Tex. c. 10.*

*Quartus dicēdi modus communis. Vide Aegi. 1. ſent. d. 2. q. 2. & q. 3. ar. 1. 2. & 3. Itē. 4. Metaph. q. 8.*

DIMISSIS igitur iſtis modis dicendi propter inconuenientia, quæ ipſos ſequuntur, eſt alter modus dicendi communis, qui ponit, quòd quamuis rationes intellectus, & uoluntatis ſint realiter una res; differunt tamen ad inuicem ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter. Et quoniam iſtum modum dicendi bene intellectum reputo uerum: idcirco ad declarationem aliqualem ipſius hoc ordine procedam, uel procedetur. Quoniam primo præmittentur quædam notabilia ex, quibus clarius apparebit iſte modus dicendi, & facilius ſoluentur, quæ introducuntur contra eum. Secundo introducentur aliquæ propoſitiones. Tertio reſpondebitur ad rationes aduerſariorum.

QVANTVM Ad primum eſt notādū, ꝙ quantū ad declarationem iſtius opinionis præmittuntur tria. Primum eſt, quòd aliud eſt quærere. Vtrum aliquæ rationes ſint reales, & realiter in aliquo? Et aliud eſt quærere. Vtrum tales rationes ſint in illo realiter diſtinctæ? Hoc patet: certum eſt enim, quòd rationes attributorum primæ cauſæ reales ſunt, & realiter continentur in ipſa. Nullus tamen dicit, quòd diſtinguuntur realiter ab ea, nec inter ſe ſimiliter: ergo aliud eſt quærere. Vtrum rationes obiectales intellectus, & uoluntatis ſint reales, & præueniant in quocunque ente creato, uel increato actum intelligendi. Et aliud eſt quærere. Vtrum diſtinctio earum ad inuicem ſit realis, uel rationis? Primum enim de plano ab omnibus conceditur; ſed hoc non obſtante, dicitur, quòd diſtinctio earum ad inuicem eſt tantum rationis.

SECVNDVM notabile eſt, quòd coniuncta realiter diſtingui, uel ſeparari ſecundum rationem, ſiue conceptum poteſt intelligi dupliciter. Vno modo per negationem dicendo, hoc non eſſe hoc. Alio

modo per abſtractionem, ſcilicet, quòd poteſt unum intelligi, alio non intellecto. Primus intellectus ſemper falſus eſt: nam ſi aliqua ſunt coniuncta realiter, ſiue idemptice; ſiue ſubiectiuè; & ſepares ea ab inuicem per negationem, dicendo iſta non eſſe coniuncta: oportet intellectum ſic dicentem, falſum eſſe. Vnde ſi homo, & riſibile ſint coniuncta; & ſepares ea per negationem dicendo homo non eſt riſibilis; oportet intellectum eſſe falſum.

Item ſi bonitas, & ſapientia coniunguntur idemptice, & dicis bonitatem, non eſſe ſapientiam, falſum dicis, & falsò intelligis: ſed ſi ſepares per abſtractionem, quæ ſunt coniuncta realiter: quia intelligis unum, alio non intellecto, puta, quia intelligis hominem, non intellecto riſibili. Vel quia intelligis bonitatem, non intellecta ſapientia; intellectus non erit falſus. Et iſto modo mathematicalia dicuntur abſtracta à materia ſenſibili: quamuis ſint ei coniuncta ſecundum eſſe: propter quod dicit Ariſt. 2. phyſicorum, quòd abſtrahentium non eſt mendacium. Rationes igitur obiectales intellectus, & uoluntatis diſtingui ſecundum raationem, ſiue concipi poteſt intelligi dupliciter. Vno modo per negationem huius ab hoc, ut dicatur ſecundum rationem diſtingui: quia intellectus intelligit rationem obiectalem uoluntatis, non eſſe rationem obiectalem ſuam, uel ſui ipſius, & econuerſo. Et iſte intellectus falſus eſt, ut patet ex prædictis. Etiam ſicut habent res ad eſſe, ita ad intelligi, ut ſcribitur 3. huius. Alio modo poſſunt, intelligi diſtingui huius rationes ſm rationem: ſiue conceptum ſecundum abſtractionem unius ab altera, ut dicantur ſecundum rationem diſtingui, quæ poſſunt diſtinctè concipi, ſiue intelligi; & iſtum intellectum reputo uerum; ſicut poteſt per ſimile declarari. Videmus enim, quòd unum, & idem inſtans penitus indiſtinctum ex parte rei, eſt finis præteriti, & principium futuri, uel econuerſo. Et ideo inſtans, & finis præteriti eſt, dicitur diſtingui à ſe ipſo, ut eſt principium futuri ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter: ita ergo dicendum eſt in propoſito, quòd bonum, & uerum: uel bonum, & ens dicuntur ſola ratione diſtingui: quia uerum poteſt intelligi, alio non intellecto. Vel, ut minus calumniosè loquamur, idem poteſt intelligi uno modo, non intellecto ipſomet alio modo.

*Tex. c. 18.*

*Propoſitio iſta elicitiuè habetur ab Ariſt. in 3. de Anima tex. com. 35 Sed formaliter ab Auerroe in commento eiuſdem contextus.*

NEC VALET, ſi dicatur, quòd idem inſtans, ut eſt finis præteriti diſtinguitur à ſe ipſo, ut eſt principium futuri. Nam cum ſit una res fundamentaliter, poteſt intelligi illa res, ut fundat unam de illis formalitatibus abſque hoc, quòd intelligatur; ut fundat aliam formalitatem. Aut ergo illa res fundamentalis, quæ intelligitur, ut fundat unam formalitatem abſque hoc, quòd intelligatur, quòd fundat aliam, eſt penitus indiſtincta realiter, & formaliter. Aut non. Si detur primum, habetur propoſitum: ſtabit enim diſtinctio rationis eo modo, quo dictum eſt, cum omnimoda uidelicet idemptitate ex parte rei. Si detur ſecundum, procederetur in infinitum in entibus realibus, quod eſt abſurdum: nam ſi realitas illa intellecta, ut fundat unam formalitatem, habet aliam rationem formalem ex parte rei, quàm intellecta, ut fundamentalia. Pari ratione petat de huiuſmodi formalitatibus, ut de primis: & ſic proceſſus iſte erit in infinitum; ſed iſte proceſſus eſt uitandus; ſtandum eſt ergo in primis, ſcilicet, quòd unum, & idem inſtans penitus indiſtinctum ex natura rei poteſt intelligi, ut finis præteriti, non intellecto eo, ut principium futuri, & econuerſo. Et ſimiliter dicendum in propoſito.

*Occurrit cuidam obiectioni, quæ fundamentum præmiſſum euertere uideretur.*

TERTIVM notabile eſt, quòd uerum, & bonum, quæ communiter ponuntur obiectum, ſeu rationes obiectales intellectus, & uoluntatis reſpectu harum potentiarum ſe habent hoc ordine: nam tam uerum, quàm bonum cognoſcuntur ab intellectu; cum uerum ſit bonum, & econuerſo. Nullum tamen iſtorum cognoſcitur ſub ratione boni; ſed quodlibet ſub ratione ueri. Et ſimiliter ex alia parte, tam uerum, quàm bonum diliguntur à uoluntate; cum ſint idem penitus ex parte rei. Nullum tamen iſtorum diligitur ſub ratione ueri; ſed quodlibet ſub ratione boni. In cuius declaratione eſt notandum, quòd una, & eadem entitas penitus indiſtincta extra intellectum, eſt ſui ipſius manifeſtatiua inquantum potens eſt ſe intellectui obiectare; & illa eadem entitas omnino indiſtincta in re, eſt apta nata eſſe alicuius perfectiuum. Nec eſt alia entitas, quæ ſe manifeſtat, & quæ perficit; immò una, & eadem. Entitas autem quæcunque, ut ſui manifeſtatiua, habet rationem ueri; ut autem eſt perfectio quædam in ſe, uel alicui, habet rationem boni. Et quia omne cognitum ab intellectu cognoſcitur, ut eſt manifeſtatiuum ſui ipſius: idcirco omne, quod ab intellectu cognoſcitur, cognoſcitur ſub ratione ueri. Similiter omne uolitum à uoluntate habet eſſe uolitum: quia eſt quædam perfectio ſui, uel alicui alteri in ſe: idcirco omne uolitum à uoluntate eſt uolitum, ſiue dilectum ſub ratione boni. Non obſtante autem idemptitate reali inter uerum, & bonum: quia ſunt una entitas omnino extra intellectum, poterit quodlibet illorum cognoſci ſic ſub ratione ueri: quòd nullum eorum cognoſcitur ſub ratione boni: quia nihil cognoſcitur ab intellectu, niſi ut eſt ſui ipſius manifeſtatiuum; & per conſequens omne, quod cognoſcitur, cognoſcitur ſub ratione ueri. Similiter etiam poterit quodlibet iſtorum diligi ſic ſub ratione boni, quòd non ſub ratione ueri: quia nihil diligitur à uoluntate, niſi inquantum eſt perfectio quædam in ſe, uel alicui: & quia, ut ſic, habet rationem boni; omne, quod diligitur ſub ratione boni, à uoluntate diligitur. Cognoſcitur ergo ab intellectu bonum, & ratio boni; ſed non ſub ratione boni; ſed ſub ratione ueri; eodem modo diligitur à uoluntate uerum, & ratio ueri; ſed nec hoc, nec illud ſub ratione ueri; ſed ſub ratione boni eo modo, quo expoſitum eſt: & hoc ſufficit ad hoc, quòd omne uolitum ſit uerè: & realiter cognitum: & omne cognitum uolitum, uel ſaltem dilectum, quorum utrunque pertinet ad uoluntatem.

QVARTVM notabile eſt, quòd aliqua poſſunt diſtingui, & ſpecificari dupliciter, intrinſecè, & extrinſecè; ſecundum quòd ſpecificatio & diſtinctio eſt duplex, ſecundum quòd declaratum eſt quæſtione prima primi libri articulo primo, & quæſtione quarta ſecundi libri articulo ſecundo. Potentiæ ergo animæ, & actus, ut ibidem extitit declaratum, diſtingui dicuntur, & ſpecificari per obiecta adæquata formaliter ſumpta; non quidem intrinſecè, ſed extrinſecè. Et ideo ad realem diſtinctionem potentiarum, & ſpecificationem actuum ipſarum ſufficit diſtinctio rationis in obiectis eo modo, quo dictum eſt. Nam licet iſta, per quæ actus diſtinguuntur intrinſecè, & formaliter ſint diſtincta realiter, ſicut actus realiter diſtinguuntur; illa tamen, per quæ tantum extrinſecè diſtinguuntur; ſufficit, quòd ſint diſtincta ſecundum rationem, ſiue conceptus.

HIS PRAEMISSIS pro declaratione poſitionis, & ſolutione ipſorum, quæ inducuntur contra eam introducuntur 4. propoſitiones.

*Lucida determinatio quæſiti.*

QVARVM prima eſt iſta, quòd rationes obiectales intellectus, & uoluntatis ſunt diſtinguibiles ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter ante omnem actum intellectus.

SECVNDA eſt, quòd exiſtentibus actibus intelligendi, ſcilicet, & uolendi, huiuſmodi rationes diſtinguuntur actualiter ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter eo modo, quo expoſitum eſt.

TERTIA



TERTIA eſt, quòd huiuſmodi diſtinctio rationis, quæ ponitur in huiuſmodi rationibus obiectalibus intellectus, & uoluntatis, ſufficit ad realem diſtinctionem potentiarum, & ſpecificationem ipſarum actualiter.

QVARTA eſt, quæ ſequitur ad iſtas, quòd idē ſub eadem ratione formali extra intellectum penitus indiſtinctum eſt obiectum intellectus, & uoluntatis.

PRIMA propoſitio ad præſens probatur dupliciter. Primo ſic. Quæ præcedunt omnem actum intelligendi, & poſſunt diſtinctè concipi, ſunt diſtinguibilia ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter ante omnem actum intellectus: patet ex terminis. Sed rationes obiectales intellectus, & uoluntatis præcedunt omnem actum intellectus, ut patet ex primo notabili, & poſſunt diſtinctè concipi, ut patet ex 2. Secundo. Aptitudo ad actum poteſt remanere, circūſcripto actu, ſicut diuiſibilitas ſine diuiſione actuali, ut patet de partibus continui. Sed diſtinguibilitas in eſſe conceptibili, eſt aptitudo ad iſtum actum, qui eſt diſtinctè concipi: ergo poteſt remanere ſine diſtinctione actuali: poterunt ergo rationes obiectales intellectus, & uoluntatis eſſe diſtinguibiles ſecundum rationem, ſiue conceptibiliter ante omnem actum intellectus, circunſcripta diſtinctione actuali rationis.

SECVNDA propoſitio probata fuit ſuperius immediatè contra ſm modum dicendi, qui negabat diſtinctionem rationis ab huiuſmodi rationibus.

TERTIAM propoſitionem probo una ratione ſic. Illa diſtinctio, quæ ponit omne cognitum ab intellectu cognoſci ſic, ſub ratione ueri, quòd non ſub ratione boni: & omne uolitum à uoluntate diligi, ſic ſub ratione boni, quòd non ſub ratione ueri; ſufficit ad realem diſtinctionem potentiarum, & ſpecificationem ipſorum actuum; ſed diſtinctio rationis, quæ ponitur inter rationes obiectales intellectus, & uoluntatis eſt huiuſmodi: ergo, &c. Maior patet ex terminis. Minor tenet ex ſupradictis ſpecialiter in tertio notabili: ergo. ET CONFIRMATVR. Nam licet talis, & tanta ſit diſtinctio diſtinctiuorum extrinſecè, cuiuſmodi ſunt rationes prædictæ, qualis, & quanta eſt diſtinctio diſtinctiuorum, ut patuit ſupra, quare, &c.

QVARTA concluſio uidetur ſufficienter probari ex improbatione primæ, & ſecundæ opinionis.

ET IDEO confirmatur una ratione tali. Si idem ſub eadem ratione formali, penitus indiſtincta extra intellectum non ſe obijceret intellectui ad intelligendum, & uoluntati ad uolendum, ſequeretur, quòd intellectus, & uoluntas non eſſent æqualis ambitus obiectiuè; conſequens reputatur communiter falſum: ergo. Conſequentia patet: quia uoluntas non tenderet in proprium actum in ratione obiecti intellectus, nec econuerſo.

*Solutio rationum Scoti & ſequacium.*

HIS VISIS reſtat reſpondere ad rationes, quæ inducuntur contra iſtum modum dicendi. Et primo ad rationes primæ poſitionis. AD prima motiua, cum dicebatur, quòd rerum, quædam ſunt uniuerſales, & quędam ſingulares. Dicendum, quòd Ariſt. ſic loquendo, & ubicunque ſimilia uerba dicit, intelligit de uniuerſali fundamentaliter ſumpto eo modo, quo expoſitum eſt quæſtione tertia primi libri per totum. Et per hoc ſoluuntur omnia, quæ inducuntur ab iſto doctore in ſuis diuiſionibus, ſuppoſitionibus, cōparationibus, ex quibus ſequitur ulterius modum ſuum declarandi ex falſo fundamento proceſſiſſe.

AD AVCTORITATES, per quas nitebatur iſte doctor poſitionem ſuam oſtendere de mente Ariſt. patet quid dicendum ex dictis in quarta ſuppoſitione: ex quo patet ulterius ipſum non ire ad mentem Ariſt. &c.

AD RATIONEM ergo fundamentalem ipſius eſt dicendū per interemptionē antecedētis, quantum ad hoc, quòd ponit attributa primæ cauſæ diſtingui formaliter ex parte rei. Et ideo ad rationes, quæ hoc probant, per ordinem eſt dicendum.

AD PRIMAM igitur, quando dicitur, quòd illæ quidditates ad inuicem ſunt diuerſæ, quarum una alteri appoſita, &c. Conceſſa Maiori, negatur Minor de attributis primæ cauſæ, ut aſſumitur. Nec probatio ualet: nam bene uolo, quòd æternitas in creaturis appoſita bonitati, uel ſapientię, non dat magis, nec remota, minus; ubi æternitas, & ſapientia realiter diſtinguū tur. Et iſto modo loquitur Ariſt. ſed in diuinis, ubi talia idemptificantur ſumma idemptitate reali; pariterque formali, quidditas æternitatis appoſita, quidditati ſapientiæ, dat magis; & remota, minus; immò tollit ipſam totaliter: cum ſit eadem quidditas. Sic realitas æternitatis appoſita realitati ſapientiæ, in diuinis dat magis; & remota, minus; immò tollit ipſam totaliter: non autem in creaturis. ET VT CLARIVS appareat defectus huius rationis, & ſequentium, reduco ipſam formaliter contra eum: oſtendo, æquè probando diſtinctionem realem attributorum primæ cauſæ; ſicut formalem, & arguitur ſic. Illæ realitates ad inuicem ſunt diuerſæ, quarum una alteri appoſita non dat magis; nec remota minus; ſed realitas æternitatis appoſita bonitati, uel ſapientiæ, non dat magis nec remota minus: ergo ſunt diuerſæ. Maior eſt ſua. Minor probatur per probationem Minoris eorum. Nam ſecundum intentionem Ariſt. ibidem; ſi ſint duo ſapientes, & uni eorum apponatur æternitas, & ab altero remoueatur, cæteris exiſtentibus paribus, illud, à quo remouetur, non minus eſt ſapiens realiter, ſicut nec formaliter: nec idem magis datur, cui perpetuitas apponitur. Et ratio eſt: quia æternitas, & ſapientia in creaturis, ut loquitur Ariſt. diſtinguuntur non ſolum formaliter: immò etiam realiter: & ideo ratio nihil concludit. Nam Minor eo modo, quo habet ueritatem, non ſumitur ſub Maiori; & per conſequens peccat in forma: ergo.

AD ſecundam eſt dicendum per interemptionem Minoris. Nec propoſitio eſt ad propoſitum: nam, licet notitia, amor, & delectatio in creaturis; ubi uerè diſtinguuntur realiter; habeant eſſentialem ordinem prioritatis, & poſterioritatis naturalis præſuppoſitionis; in diuinis tamen, ubi ſunt idem realiter, & quidditatiuè, non habent talem ordinem inter ſe; immò impoſsibile eſt omnino in diuinis eſſe prius, & poſterius naturaliter in re: quia quod eſt poſterius altero, non eſt ſummè neceſſe eſſe: nam ei, quòd eſt ſummè neceſſe eſſe, pro quocunque ſigno repugnat non eſſe; & per conſequens poſterius eſſe: ſed quòd non ſummè eſt neceſſe eſſe, non eſt Deus, nec per conſequens in deo ponendum. Deficit igitur iſta ratio, ſicut præcedens: nam Minor eo modo, quo habet ueritatem, non ſumitur ſub Maiori, & per conſequens peccat in forma. Nec ualet, quando dicitur, quòd amor in quocunq; præſupponit notitiam. Nam, quòd amor præſupponat notitiam, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo ſic, quòd notitia tempore, uel natura præcedat amorem; & hoc eſt uerum in nobis, ubi notitia, & amor diſtinguuntur realiter. Alio modo dicitur amor præſupponere notitiam: quia ubicūque eſt amor, ibi eſt notitia: & hoc ſonant uerba Auguſtini dicentis, quòd quiſque prorſus ignorat, amare nullo modo poteſt. Et hoc modo concedimus, amorem pręſupponere notitiam in diuinis; non tamen ſequitur propter hoc, quòd notitia præcedat amorem; ſed ſufficit ſufficienter, quòd ſint ſimul. ET POTEST reduci ratio iſta contra eum; ſicut præcedens, & arguatur ſic. Quorumcunque realitates habent eſſentialem ordinem; &c. Ipſa differunt realiter per huiuſmodi realitates; ſed realitates attributorum primæ cauſæ ſunt huiuſmodi: ergo. Maior eſt ſua. Minor patet per probationem eorum: nam notitia, amor, delectatio in creaturis, ubi habent ordinem prioritatis, & poſterioritatis, non ſolum

*10. de Tri. Cap. 1. & 2. Tom. 3.*

quantum ad quidditates; immò quantum ad realitates ſeruant dictum ordinem: cum diſtinguantur ab inuicem formaliter, & realiter. A D tertium dicendum eodem modo, quòd Maior eſt falſa. Et probatio deficit, ſicut præcedens. Nam bene probat quòd notitia reperitur in nobis in quoddam actu intellectus, ubi non reperitur amor. Et hoc conceditur: quia realiter diſtinguuntur; ſed unum probat, quòd notitia diuina reperiatur in aliquo formaliter ſine amore diuino. Nam iſta ſunt omnino inſeparabilia, quantum ad realitates, & quantum ad quidditates. Et ſi dicitur, quòd ex quo quidditas notitiæ ſecundum rationem communem reperitur in aliquo ſine quidditate amoris, ut in creaturis, quòd notitia, & amor ubicunque reperiuntur, differunt quidditatiuè. Negatur. Nam notitia, & amor, ut reperiuntur in diuinis, non ſunt einſdem rationis cum notitia, & amore, prout reperiuntur in creaturis, nec habent aliquod commune uniuocum. ET IDEO poteſt reduci ratio iſta, ſicut & præcedentes contra eum ſic. Realitas unius attributi primæ cauſæ reperitur ſecũdum rationem cõmunem in aliquo ſine realitate alterius: ergo ipſa differunt realiter. Antecedens patet, ſicut antecedens eorum eo modo, quo dictum eſt in alijs rationibus.

AD quartũ, conceſſo antecedẽte, negatur conſequẽtia. Nec probatio ualet. Ad hoc enim, quòd de aliquibus, quæ ſunt omnino idem, aliquid uerificetur de uno, quod non uerificatur de altero, ſufficit connotatio ad aliquid exterius, uerbi gratia. Intelligere diuinum eſt omnino ſibi ipſi idem, & tamen intelligere deum, non eſt intelligere creaturam. Et deus primo, & directè ſe ipſum intelligit; creaturas uerò ſecundariò, & in directè. Sic in propoſito intellectus, & uoluntas diuina ſint formaliter, & realiter idem; aliquid tamen de intellectu uerificatur, quòd non uerificatur de uoluntate, & hoc ratione connotationis ad extra, ut patet intuenti.

*Solutio rationum Secundæ opinio.*

AD RATIONES, quibus probatur ſecunda concluſio, quæ directè ſunt ad propoſitum, cum dicitur in prima, quòd ſi rationes obiectales intellectus, & uoluntatis, &c. Sequeretur, quòd intellectus, & uoluntas non eſſent potentiæ diſtinctę eſſentialiter. Negatur conſequentia. Nec probatio ualet. Nam, ut dictum eſt in quarto notabili, potentię diſtinguũtur per actus, & actus per obiecta, non quidem intrinſecè; ſed extrinſecè. Et ideo non ſequitur, quòd ſi obiecta formaliter ſumpta differant ſola ratione, quòd potentiæ non diſtinguantur realiter. A D ſecundum conceditur, quòd rationes obiectales intellectus, & uoluntatis præcedunt in obiecto actum intelligendi, & uolendi: ſunt enim rationes reales, ut dictũ eſt in primo notabili. Aliud enim eſt quærere. Vtrum prædictæ rationes ſint reales? Et aliud eſt quærere. Vtrum diſtinguantur realiter? Poterunt ergo diſtingui ſola ratione eo modo, quo expoſitum eſt, non obſtante earum realitate; & quòd præcedant in obiecto actus intelligendi.

Ad tertium, cum dicitur, quòd quæ ſunt actualiter in aliquo, ſunt in eo diſtinguibilia. Dicendum, quòd uerum eſt, ſi ſunt diſtinguibilia: quia quæ ſunt diſtinguibilia, niſi ſint diſtincta, quando ſunt actu, nunquam erunt diſtincta; ſed quæ non ſunt diſtinguibilia, quando ſunt actu: non oportet, quòd ſint diſtincta. Et per eos hoc patet: nam realitates attributorum primæ cauſæ ſunt actu eſſentia diuina; & tamen non ſunt actu diſtincta. Ita dicendum eſt in propoſito. Rationes autem obiectales intellectus, & uoluntatis non ſunt diſtinguibiles, in eodem, nec realiter, nec formaliter: & ideo quantumcunque ſint actu; non oportet, quòd diſtinguantur. Ad quartum dicendum, quòd uerum, & bonum non ſunt paſsiones entis propriè, & ſtrictè loquendo de propria paſsione: recipiunt enim prædicationem ipſius in primo modo dicendi per ſe, ut declaratum eſt in prima quæſtione huius tertij, quòd non conuenit propriæ paſsioni; ſed dicuntur propriæ paſsiones largè: eo, quòd ſequuntur ipſum ens, & conuertuntur cum eo; ſicut propria paſsio cum ſubiecto. Talibus autem paſsionibus non repugnat idemptificari cum ſubiecto; immò neceſſariò idemptificatur ei formaliter, & quidditatiuè: quia recipiunt prædicationem eius in primo modo dicẽdi per ſe. Et quæ prædicantur de ſe inuicem, prædicantur in primo modo dicendi per ſe, & ſunt idem formaliter, & quidditatiuè. Et ſic patet, quid dicendum ad rationes primæ opinionis.

*Solutio rationum Magiſtri Ger. Sen.*

AD RATIONES alterius opinionis dicendum per ordinem. Et primo ad illam, per quam probatur prima concluſio, quãdo dicitur. Quandocunq; aliquod mouens mouet duo mobilia &c. Dicendum; quòd idem poteſt mouere unum, mediante alio ſic, quòd primum mouebit, primo per unum inſtrumentum, puta, per manum: & ſecundum mouebit per alium inſtrumẽtum, puta, per pedem: erit ergo idem mouens; non tamẽ mouebit ſecundum idem inſtrumentum. Ita dicerent, qui tenent partem oppoſitam. Dicerent enim, quòd obiectum intellectus, & uoluntatis primo mouet intellectum per unam rationem formalem, ſecundo uoluntatem per aliam rationem formalem: ſed quia non potuit mouere uoluntatem, niſi mouiſsẽt intellectum, dicitur mouere uoluntatẽ, mediante intellectu. Nos autem dicimus, quòd obiectum per eandẽ rationem formalem, ſe tenentem ex parte rei, mouet intellectum, & uoluntatem, & terminat actus eorum. Sed iſta ratio differt à ſe ipſa ſecundum rationem: & ideo ratio non concludit, nec eſt contra nos.

AD RATIONES, quibus probatur ſecunda concluſio; cum dicitur in prima. Quòd ſi obiectum intellectus, & uoluntatis terminaret actum intelligendi, & uolendi; ſequeretur, quòd præfati duo actus eſſent eiuſdem ſpeciei. Negatur conſequẽtia: non. n. accipiũt prædicti duo actus ſpeciem ab obiectis intrinſecè; ſed extrinſecè: & ideo ſola diſtinctio rationis in obiectis ſufficit ad diſtinctionem potentiarum, & ſpecificationem actuum, ut declaratum eſt. Ad ſecundum dicẽdum, quòd relationes eſſentialiter differẽtes poſſunt habere eundem terminum formaliter, ſi fundẽtur in diſtinctis fundamentis. Et quando dicitur, quòd tunc terminus per ſe non faceret ad unitatem habitudinis; & per conſequens, nec ad diuerſitatem. Dicẽdum, quòd relationes fundatæ in eodem fundamento, non poſſunt diuerſificari, niſi per diuerſitatem terminorum: & ideo ſimilitudo, & diſsimilitudo, quæ fundantur in eadem albedine; neceſſariò habent diſtinctos terminos, ſcilicet albedinem, & nigredinẽ, ut ipſi met cõcedunt. Sed relationes, quæ fundantur in diſtinctis fundamentis eſſentialiter, poſſunt per ſua fundamenta accipere ſufficientem diuerſitatem: & ideo ſufficit eis unus terminus: & hoc patet per eos in eadem ratione. Diſſimilitudo fundata in nigridine, & ſimilitudo fundata in albedine poſſunt habere eandem albedinem pro termino ex dictis eorum: ex quo uidentur contradictionem implicare. Et quando dicitur ulterius, quòd impoſsibile eſt, unum, & idem fundamentum formaliter fundare diuerſas relationes. Dicendum, quòd falſum; immò per eum oportet concedere oppoſitum. Qui dicit, quòd ſtante eodem fundamento, puta albedine, plurificatur in ea habitudo, & relatio propter diuerſitatem terminorum, & niſi loquatur de fundamento formaliter ſumpto, dictum nihil facit ad propoſitum. Ad dictum Philoſophi poteſt dici, quòd non eſt ſimile de formis abſolutis, quæ exigunt contrarias diſpoſitiones in ſubiecto; & de reſpectiuis, quæ ſolum exigunt diuerſos terminos, uel diuerſa fundamenta diuiſim. Et ſi ſint aliquæ relationes, quæ exigant in termino, & fundamento ſimul; non tamen omnis ſunt tales.

A D tertium, cum dicitur, quòd ſi obiectum per eandem rationem terminaret actum intelligẽdi, & uolendi, quod eodem modo denominaretur ab eis. Negatur con-



tur conſequentia: quia obiectum non recipit denominationem à ratione terminandi; ſed ab ipſis actibus; licet. n. actus non denominent obiectum, niſi quia obiectum terminat eos. Denominatio tamen fit ab ipſis actibus terminatis, & non à ratione terminãdi. Et ideo ſicut actus ſunt diuerſi; ita diuerſimodè ab eis denominatur obiectum. Patet igitur, quid dicendum ad rationes ſecundæ opinionis.

*Solutio rationum tertiæ opin.*

RESTAT ergo uidere ad rationes alterius, ſcilicet, tertię opinionis. Ad primam conceditur Maior, & Minor, & concluſio. Nam probatur, quòd huiuſmodi rationes ſint reales, quod conceditur abſolutè. Sed dicitur, quòd inter eas non cadit differentia realis; ſed ſolum rationis; ſicut inter rationes attributorum primæ cauſæ, quæ ſunt uerè reales ſolũ cadit differentia rationis, ut ſuppono ad pręſens.

AD ſecundum etiam conceſſa Maiori, & Minori, & concluſione. ſ. quòd intellectus, & uoluntatis rationes obiectales non ſunt factę, nec in eſſe conſtitutæ per actum intellectus: cũ ſint uerè rationes reales, ut dictum eſt. Sed cum poſtea infertur, quòd ſi prædictæ rationes non conſtituerentur per intellectum: ergo nec diſtinguuntur. Nego. Nam ſola entia rationis fabricata per intellectum, non diſtinguuntur ratione; immò quę ſunt uerè entia realia, poſſunt diſtingui ratione, ut declaratum eſt in quæſtionibus ſuper 3. Sufficit enim ad hoc, quòd entia realia poſsint diſtingui ratione, ſiue conceptibiliter, quòd habeant eſſe conceptum, uel quòd unum poſsit concipi, alio nõ cõcepto, ut deductum eſt in ſecundo notabili. A D tertium dicendum, quòd una de iſtis rationibus non cõtinetur ſub alia; ſicut inferior ſub ſuperiori; nec iſto modo ambę continẽtur ſub una tertia; ſed ſunt penitus ęquales: ſed inquantum differunt ratione, ſic in eis eſt aliqua prioritas ſecundum rationem, non quidem uniuerſalitatis, ſed intelligibilitatis, & uolibilitatis ſecundum rationem, ut clarius apparebit articulo tertio. Et cum dicitur, quòd ſi ſunt æquales; ſequitur, quòd intellectus non erit uoliti, nec econuerſo. Dicendum, quòd illud idem, quod eſt intellectum, erit etiam uolitum, & econuerſo. Et ſecundum illam rationem formalem, ſe tenentem ex parte rei, per quam eſt intellectum, eſt etiam uolitum, & econuerſo; licet non ſit uolitum per eandem rationem formalem ſecundum rationem, & hoc nullum eſt inconueniens: quia ex hoc nunquam ſequitur, quòd uoluntas feratur in non cognitum: quia fertur in eſſe ſecundum eſſe reale, & id optimè eſt cognitum, & ſic patet, quid dicendum ad ea, quæ inducuntur contra iſtum modum dicendi; & per conſequens de primo articulo.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

RESTAT nunc uidere de ſecundo. Vtrum beatitudo, qua formaliter beatificamur, cõſiſtat in actu intellectus, uel uoluntatis? Pro cuius declaratione hoc ordine procedetur. Quoniam primo, ad declarationem articuli aliqua neceſſaria præmittentur. Secundo, quædam opinio cum ſuis motiuis adducetur.

Tertio, iuxta doctrinam doctorum noſtrorũ quadruplex concluſio concludetur. Quarto, & ultimo diſſoluentur motiua opinionis oppoſitæ.

QVANTVM ad primum notandum, quòd beatitudo eſt duplex, obiectiua. ſ. & formalis: ratio huius diſtinctionis, eſt: quoniam beatitudo eſt finis ſatiãs appetitum. Satians autem appetitum noſtrum eſt duplex. Vel ſicut obiectum. Vel ſicut informans. Satians noſtrum appetitum, ſicut obiectum. Solus deus eſt, ad quem capiendum anima humana ordinatur: propter quod dicitur Beatitudo obiectiua. Satians noſtrum appetitum, ſicut informãs, eſt optima hominis operatio, per quam à nobis attingitur ipſa beatitudo obiectiua, ſiue obiectum beatificum, ut beatificum eſt, quod in idẽ redit: propter quod dr̃ beatitudo formalis. Et hoc eſt, quod dicunt quidam doctores, diſtinguentes beatitudinem in creatam. ſ. & in increatam. Nam beatitudo increata dicitur finis ſatians noſtrum appetitum, ut obiectum beatificum. Beatitudo autem creata eſt finis ſatians, ut informans. Hęc autem diſtinctio coincidit cum prima, ut patet ex dictis. Quoniam beatitudo obiectiua eſt beatitudo increata. Beatitudo uerò formalis eſt beatitudo creata; & ſecundum hoc nomen beatitudinis commune eſt ſecundum prius, & poſterius ad beatitudinem formalem, & obiectiuam: creatam, & increatam: nam per prius dicitur de beatitudine increata, ſiue obiectiua. Et per poſterius de beatitudine creata, ſiue formali: quia non ſatiat beatitudo formalis, niſi propter obiectum. Et quia nullus dubitat de beatitudine obiectiua. Vtrum cõſiſtat in actu aliquo intellectus, uel uoluntatis? Sed tãtum de beatitudine formali, ſiue creata: idcirco notabiliter dicitur. Vtrum beatitudo, qua formaliter beatificatur, &c. Et hoc de primo.

*D. Thom. Prim. ſent. d. 1. q. 1. & 3. 1. ſecund. q. 3. ar. 8. Itẽ 4. ſent. d. 49 q. 1. quæſtiun. 2. quodlib. 8. ar. 19. Gotfred. quodli. 11. q. 4. Cap. 8. Ioan. 14.*

QVANTVM ad ſecundum eſt opinio, quæ ponit, quòd beatitudo, qua formaliter ſimus beati, ſeu beatificamur, in ſolo actu intellectus conſiſtit principaliter; immò præciſè, & totaliter, quòd probatur multipliciter. Primo ſic. In actu nobilioris potentiæ conſiſtit beatitudo formalis; ſed intellectus ſimpliciter eſt nobilior potentia uoluntate: ergo, &c. Maior ſupponitur, Minor multipliciter probatur; ſed quantum ad hoc in articulo ſequenti fiet mẽtio ſpecialis. Ad pręſens aliæ rationes eorum dicantur. Secundo. Si beatitudo eſt bonum, in quo ſufficientia eſt per ſe, primo ethicorum: ſed per ſe ſufficientia conſiſtit maximè in uiſione dei, iuxta illud Euangeliſta. Domine oſten de nobis patrem, & ſufficit nobis: ergo. Tertio. In nobiliſsimo actu conſiſtit beatitudo, qua formaliter beatificamur, talis eſt actus intellectus reſpectu uoluntatis; ergo. Probatur minor dupliciter. Primo ſic. Sicut ſe habet uiuens ad non uiuens; ita cognoſcẽs ad non cognoſcens; ſed actus uiuẽtis, inquantum uiuens, eſt nobilior quocunque actu rei non uiuentis: ergo actus cognoſcens, inquantum cognoſcens, eſt nobilior quocunque actu rei non cognoſcentis. Sed intellectus eſt cognoſcens; uoluntas autem nõ: ergo actus intellectus eſt nobilior quocunque actu uoluntatis. Secundo. Quòd eſt menſura nobilitatis in altero, ſimpliciter eſt nobilius eo; ſed recta rõ eſt menſura uoluntatis in actu uolendi; cum actus uolendi non habeat uoluntatem, niſi ex cõfirmitate ad rationẽ rectam: ergo.

Quarto. Beatitudo eſt ſummũ bonũ, amatũ amore concupiſcentię: quia ſecundum Anſelmum beatitudo eſt appetitus amore commodi. Sed ſummum amatum amore concupiſcentię non poteſt eſſe actus alicuis uoluntatis; cum nullus talis poſsit eſſe primo, & per ſe amatum: ergo nullo modo beatitudo poteſt eſſe actus uoluntatis; & per conſequẽs conſiſtit in actu intellectus pręciſè. Quinto. Quandocũque duę operationes ita ſe habẽt, quòd una earum propter ſe quęritur, altera nõ propter ſe quæritur; ſed propter aliam: Illa, quæ propter ſe quæritur, habet rationẽ finis, optimi; & per conſequens beatitudinis; ſed operatio intellectus, & uoluntatis, quæ ſunt ſupremę hominis perfectiones ſic ſe habent, quòd operatio intellectus quæritur propter ſe; operatio autem uoluntatis nunquam quęritur propter ſe; ſed finaliter propter operationem intellectus; ergo operatio intellectus habet rationem optimi, finis; & per conſequens beatitudinis: & non operatio uoluntatis. Maior tenet ex terminis. Minor probatur: quia ſicut ſe habet appetitus naturalis ad formã naturalem; ſic appetitus ſenſitiuus ad formam ſenſitiuam: & uoluntas, ſiue appetitus intellectiuus ad potentiam intellectiuam; ſed appetitus naturalis ſic ſe habet ad formam naturalem, quòd nec appetitus naturalis, nec eius operatio naturalis eſt propter ſe; ſed ordinatur finaliter ad aliquam operationem rei, & perfectionem ipſius. ſ. rei naturalis: ergo ſimiliter nunc de appetitu ſenſitiuo, & intellectiuo: quòd neutrum eorũ, nec actus

eorum ſunt propter ſe; ſed propter aliquam perfectionem ipſius appetitus. Maior patet: ſed Minor probatur: quia appetitus rei naturalis, puta, grauis ad deorſum: & actus eius. ſ. motus ad locum, nõ habita quiete: & in loco habito, non eſt propter ſe, ut clarum eſt: ſed eſt propter conſeruationem rei in loco naturali: quia res naturales perfectius conſeruantur in locis ſuis: & etiam uirtuoſius operantur. Hoc etiam uidetur ſatis clarum in appetitu ſenſitiuo: quia ad hoc datus eſt animalibus, ut proſequantur conuenientia naturæ ſuę, & fugiant nociua: Ita, quòd appetitus ſenſitiuus nunquã eſt propter actum ſui; ſed propter aliquam perfectionem acquirendam, uel conſequendam, uel conſeruandam in appetente. Appetunt enim cibum aliquando non habentes propter conſeruationẽ naturę. Et delectantur in habito propter eandem cauſam; conſequens eſt ergo, quòd ita ſit in uoluntate. ſ. quòd actus eius nõ quæratur propter ſe; ſed propter aliquod melius. Nulla autem perfectio eſt in nobis melior, præter actũ intellectus: ergo actus uoluntatis eſt propter actum intellectus, & perfectionem. Minor quoad primam partem patet: quia actus intellectus quęritur propter ſe: quia ſi propter aliud quæreretur; illud eſſet perfectius; ſed nihil in nobis poteſt eſſe perfectius actu intellectus, niſi illud eſſet actus uoluntatis; de quo tamẽ oſtenſum eſt, quòd non eſt perfectior: ergo, &c. Sexto. Si Beatitudo conſiſteret in aliquo actu uoluntatis, potiſsimè conſiſteret in delectatione de deo uiſo; ſed in iſta delectatione non conſiſtit, ut probabitur: ergo à fortiori nõ conſiſtit in aliquo alio actu uoluntatis. Maior patet: quia, qui ponit Beatitudinem in actu uoluntatis, uidetur eam ponere in delectatione ſequẽte uiſionem.

*Cap. 2. et 3.*

Vnde Philoſophus 10. ethicorum de illo ſolo actu uoluntatis mouet dubitationem quęrens. Vtrùm felicitas conſiſtat in cõtemplatione, uel in delectatione cõſequẽte omnem alium actum uoluntatis? Minor probatur: quia immediatum obiectum beatitudinis eſt ipſe deus. Sed immediatum obiectum delectationis non eſt deus; ſed uiſio dei: ergo beatitudo non conſiſtit in delectatione. Maior huius patet: quia, cum beatitudo conſiſtat in optima operatione; & bonitas operationis dependeat ex obiecto; ſequitur, quòd operatio, in qua conſiſtit beatitudo, habeat pro obiecto ſummum bonum; quod eſt deus.

*Durand. 1. ſent. diſt. 1. q. 2. Itẽ. 4. ſent. diſt. 49. q. 4. & 5.*

MINOR probatur per quendã doctorem ſupra primũ, & quartũ Sent. quinque rationibus, præmittendo diſtinctiones. Prima eſt de fine, finis eſt duplex. Vnus eſt res aſſecuta, quę dicitur finis cuius eo modo, quo pecunia eſt finis auari. Alius eſt aſſecutio rei, quæ dicitur finis quo, ſicut finis auari dicitur poſſeſsio pecuniæ. Adaptando ad propoſitum, dicit, quòd finis creaturæ totalis, ſicut res aſſecuta, eſt deus. Sed finis cuius, ut aſſecutio eſt operatio, per quã deum aſſequimur, & hęc eſt uiſio dei. Secunda diſtinctio eſt de amore: eſt enim duplex amor. ſ. amor beniuolentiæ, & amor concupiſcentiæ. Illud amamus amore beniuolentiæ, cui uolumus aliquod bonum, uel aliquam perfectionem. Ipſum autem bonũ, uel ipſam perfectionem, quam nobis uolumus, uel amicis, amamus amore concupiſcentiæ.

*Rationes Durandi comprobantes minorẽ præaſſumptam in ſexto argumẽto principali.*

HIS ſuppoſitis arguitur primo ſic. Ipſum immediatum obiectum amoris concupiſcentiæ non eſt res ſubiecto diſtincta à concupiſcente; ſed delectatio de deo uiſo eſt amor concupiſcentiæ: ergo immediatũ obiectum delectationis non eſt ipſe deus, cum ſit res diſtincta à nobis ſubiecto. Sed aliquis actus, quo à nobis attingitur ipſe deus: & hic eſt uiſio dei. Maior probatur inductione, & ratione. Inductione ſic. Diligo uinum amore concupiſcentiæ. Nunquid immediatum obiectum huius concupiſcentiæ eſt uinum? Certè non; ſed uſus uini; qui eſt actus guſtus: nõ enim diligo uinũ immediatè; ſed guſtare uinum: & idem eſt in omnibus alijs. Ratione ſic. Illud amatur amore concupiſcentiæ, quod eſt bonum, uel perfectio, quam nobis uolumus, uel amamus: hoc patet ex ſecunda diſtinctione; ſed res à nobis ſubiecto diſtincta nunquam eſt bonum noſtrum, niſi ratione actus, quo nobis coniungitur: panis namque, & uinum nunquam ſunt bonum noſtrum, niſi ratione actus guſtandi, quo nobis coniunguntur. Res ergo ſubiecto diſtincta à concupiſcente, nõ eſt immediatum ſubiectum concupiſcentiæ. Et ſic patet Maior. Minor probatur: quia delectatio de deo uiſo, uel eſt amor beniuolentiæ, uel concupiſcentię. Non poteſt dici, quod ſit amor beniuolẽtiæ, quo uolumus aliquod bonum deo: quia delectationi de deo habitæ reſpõdet deſiderium de deo habendo; ſed per tale deſideriũ non deſideramus aliquod bonum deo: cum nihil ſit ſibi futurum; ſed deſideramus nobis aliquod bonum, puta, uidere deum, uel habere deum: hoc autem eſt amor concupiſcentiæ: ergo delectatio de deo uiſo non eſt amor beniuolentiæ: ſed amor concupiſcẽtiæ retortæ ad nos: quare. Secundo. Sic. Idem eſt obiectum deſiderii præcedentis, & delectationis ſequentis; ſed immediatũ obiectum deſiderii non eſt deus; ſed aliquis actus, quo deum attingimus: ergo, &c. Maior patet. Nam ita ſe habent deſiderium, & delectatio ad obiectum, ſicut & quies, & motus ad terminum; ſed idem eſt terminus in quo eſt quies, & ad quem eſt motus: ergo idem eſt obiectum, pro quo habendo eſt deſiderium, & quo habito eſt delectatio. Minor probatur: quia obiectum deſiderii eſt aliquod futurum. Deus autem ſecundum ſe acceptus, non eſt futurus, nec ſibi ſecũdum ſe, eſt aliquid futurum. Et ideo deo nihil deſideramus; ſed deſideramus nobis aliquod futurum bonum de deo, puta, aliquem actum, per quẽ nobis coniungitur: immediatũ ergo obiectũ deſiderii non eſt deus; ſed aliquis actus, quo, ut eſt dictũ, deũ attingimus, & hic eſt uiſio dei: ergo, &c. Tertio. Sicut ſe habet deſiderium, & delectatio ad bonum; ſic ſe habet timor, & triſtitia ad malum; ſed ſumma triſtitia, quam habent damnati nõ eſt de deo ſecundum ſe, & immediatè; ſed de carentia diuinæ uiſionis: ergo ſumma delectatio, quam habent Beati non eſt de deo ſecundum ſe, & immediatè; ſed de dicta uiſione; & per conſequẽs ſequitur idẽ, quod prius.

*Cap. 5. et 6.*

Quarto. Secundum Philoſophum 10. ethicorum. Delectationes diſtinguuntur ſecundum operationes, quas conſequuntur, & iudicantur ſecundum eos bonæ, uel malæ: hoc autẽ uel intelligitur de operationibus pręcedentibus delectationes; nõ in ratione obiecti, ut ſunt cognitiones obiectorum, uel intelligitur de operationibus præcedentibus in ratione obiecti. Non poteſt intelligi primo modo: quia omnis cognitio etiam malorum eſt bona: oportet ergo, quòd intelligatur de operationibus præcedentibus in ratione obiecti. Et per cõſequens omnis delectatio habet pro obiecto aliquam operationem: ergo. Quinto. Illud ſolum poteſt eſſe immediatum obiectum delectationis, quod eſt, uel poteſt eſſe proprium bonum illius, qui delectatur; ſed deus, & quæcunque res ſubiecto diſtincta ab homine non poteſt eſſe aliquod bonum eius, niſi ratione operationis, per quam attingitur: ergo. Maior patet: quia nullus delectatur in aliquo bono, niſi idem aliquo modo exiſtimat eſſe ſuum: ad cognitionem enim boni ſecũdum ſe, quæ eſt ſpeculatiua, nulla affectio ſequitur.

*Cap. 2.*

Propter quod Philoſophus 8. ethicorum dicit. Amabile quidem bonum, unicuique autem propoſitum. Minor probatur: quia illud, quod dicitur tale per denominationem extrinſecam, non conuenit alicui, niſi ratione formalis denominationis. Verbi gratia. Nunquam urina dicitur ſana, niſi ratione ſanitatis, quę eſt in animali formaliter. Deus autem non eſt bonum hominis formaliter, nec aliqua res ab homine diſtincta ſubiecto; ſed per denominationem extrinſecam: ergo & bonum hominis non poteſt competere deo, niſi ratione bonitatis formalis, quæ eſt in homine formaliter; immò plus: quia ſicut non eſt alia ſanitas, quæ eſt in homine formaliter; & ſanitas à qua de nominatur medicina ſana; ſed eadem; ſic non eſt alia bonitas, qua deus dicitur bonus beato quam bonitas, per quã beatus eſt



bonus formaliter. Eſt ergo deus nobis bonus propter uiſionem, qua nobis coniungitur. Sicut Sol eſt bonus frigeſcenti ratione caloris, ipſum formaliter perficientis: ergo, &c. Patet igitur Minor ſextæ rationis, quæ dicebat, quòd immediatum obiectum delectationis nõ erat deus; ſed uiſio dei; & per conſequens patet ratio ſexta principalis.

*Confirmatio huiuſce opin. nonnullis auctoritatibus.*

HAEC POSITIO confirmatur diuerſis auctoritatibus. Primo auctoritate Saluatoris in Euãgelio dicentis. Hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te deum uerum, &c. Auctoritate etiam Beati Auguſtini primo de trinitate, ubi dicit, quòd ſumma merces eſt intueri deum, nomine autem mercedis Beatitudo intelligitur. Et ſuper illud Pſal. Oſtendam illis ſalutare meum. Dicit, quod uiſio eſt tota merces; & per conſequens tota ratio beatitudinis conſiſtit in uiſione.

*Ioan. 17. Cap. 13. L. C. Tom. 3. In expoſ. Pſal. 90. Tom. 8. Diſt. 49. L. D.*

Tertio auctoritate Magiſtri 4. Sentent. ubi ait ſic, Solet autem quęri. Vtrũ Beati in gaudio diſpares ſint, ſicut in claritate cognitionis differunt. Quam quęſtionem per Auguſtinum determinat dicens, quòd erit in diſpari claritate. Par gaudium. Et modicum infra arguit cõtra ſe dicens. Sed ſi par erit gaudiũ cunctorum; uidetur, quòd par ſit omnium beatitudo, quòd conſtat omnino non eſſe. Et reſpondet immediatè dicens. Ad hoc dici poteſt, quòd beatitudo par eſſet, ſi ita eſſet par gaudium, ut etiam par eſſet cognitio: ſed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudij paritatem beatitudinis. Ex quibus dictis euidenter habetur, quòd paritas cõgnitionis arguit paritatem beatitudinis; & non paritas gaudij; & per conſequens beatitudo conſiſtit in cognitione dei, & nõ in gaudio de deo cognito.

*Cap. 10.*

Quarto auctoritate Philoſophi 10. ethicor. qui à propoſito ponit felicitatem in intellectu, non in aliquo actu uoluntatis. Et hęc de ſecundo.

*Euerſio præmiſſæ opin.*

QVANTVM ad tertium iuxta doctrinam doctorum noſtrorum inducuntur quatuor concluſiones prędictam poſitionem deſtruentes. Et quandã aliã, quę ponit beatitudinem in utroq; actu cõſiſtere. Quarum prima eſt, quòd beatitudo formalis cõſiſtit in aliqua operatione, uel actu. Secunda eſt, quòd in una tantum, & non in pluribus. Tertia eſt, quod iſta operatio eſt intellectus, uel uoluntatis. Quarta eſt, quòd in actu ſolius uoluntatis præcisè.

*Aegid. 1. ſent. diſt. 1. q. 1. Item quodlib. 4. q. 15. Thom. de Arg. 1. ſen. d. 1. q. 1. ar. 2. Item 4. ſen. diſt. 49. q. 3. ar. 2. Gre. Arim. 1. ſent. diſt. 1. q. 1. art. 3.*

PRIMA concluſio, quamuis nota ſit ex diſtinctione prius poſita de beatitudine obiectiua, & formaliter; probatur tamẽ ad præſens tripliciter. Primo ſic. Summum bonũ, & formale hominis intrinſecũ conſiſtit in coniunctione, uel adeptione ſummi boni extrinſeci, à quo dependet totum bonum. ſ. hominis intrinſecum; ſed deus eſt ſummum bonum hominis extrinſecum, à quo dependet totum bonum hominis intrinſecum: ergo beatitudo hominis, quæ eſt ſummum bonum, & formale bonum hominis intrinſecum, conſiſtit in adeptione, & coniunctione ipſius dei. Sed deus non coniungitur nobis, nec à nobis attingitur, niſi per aliquam operationem, uel actum: ergo beatitudo, quã beatificamur formaliter, conſiſtit in aliqua operatione, uel actu.

*Elicit. ex Cap. 8. Tom. 3.*

Secundo beatitudo formalis ineſt animæ rationali: quia capax dei eſt, & particeps eſſe poteſt ſecũdum Beatum Auguſtinum 13. de trinitate. ſed anima rationalis capax dei eſt, & particeps eſſe poteſt ſecundum aliquam operationem ſui, uel actum, & non aliter: ergo. Tertio beatitudo formalis, de qua loquimur ad præſens ineſt animæ rationali ſecundum modum ſpecialem unionis dei, & animæ; ſed modus ſpecialis unionis dei, & animæ nõ eſt niſi per aliquam operationem, & actum: ergo talis beatitudo conſiſtit in aliqua operatione, & actu.

SECVNDA concluſio probatur etiam tripliciter. Primo ſic. In operatione perfectiſsima conſiſtit beatitudo noſtra; ſed talis eſt una tantum, & non plures: ergo. Maior patet de ſe, & ex diſtinctione præmiſſa de beatitudine in principio quęſtionis. Minor probatur: quoniam ſi plures operationes animæ rationalis eſſent perfectiſsimæ, uel eſſent eiuſdem rationis, uel alterius. Si eiuſdem nihil ad propoſitum. Tum quia plures eſſent eiuſdem potentiæ, & in duplici operatione eiuſdem potentiæ non ponitur beatitudo. Tũ; quia duo accidentia eiuſdem ſpeciei in eodem ſimul eſſe nõ poſſunt; nec per conſequens in utroque poni Beatitudo. Si alterius, habetur propoſitum: quia inter perfectiones ſpecie differentes, impoſsibile eſt eſſe ęqualitatem; ſed una eſt neceſſariò perfectior altera; & per conſequens una earum non eſt perfectiſsima. Secundo. In ſola operatione, per quam attingimus obiectum beatificum, ut beatificum, conſiſtit beatitudo formalis; ſed talis eſt tantum una, & non plures: ergo. Maior patet: quoniam operatio, per quam non attingitur obiectum beatificum, ut beatificũ eſt, non ponitur beatitudo formalis ex diſtinctione præhabita. Probatur Minor: quoniã tales operationes, ſi eſſent plures, uel eſſent unius potentiæ, uel diuerſarum. Si unius nihil ad propoſitum, ut deductum eſt in præcedenti ratione. Si diuerſarum habetur intentum: nam per plures operationes diuerſarum potentiarum nõ poteſt attingi obiectum beatificum, ut beatificum; aliàs tales operationes eſſent eiuſdem rationis, quod eſt impoſsibile. Conſequentia patet: quia actus ſumũt ſpeciem ab obiectis formaliter ſumptis ex præcedenti articulo. ET CONFIRMATVR. Nam ponentes beatitudinẽ in actu intellectus, & uoluntatis exiſtere, ponunt diſtinctionem formalem extra intellectum intra obiecta harum potentiarum; & per conſequens per actum unius potentiæ tantum attingitur obiectum beatificũ, ut beatificum eſt. Tertio. In illo actu conſiſtit beatitudo noſtra formaliter, & præcisè, qui elicitur, à potentia nobiliſsima per actum nobiliſsimum; ſed talis eſt unus tantum: ergo. Maior patet ex dictis. Minor probatur ex duobus. Primo; quia potentia nobiliſsima eſt una tantum, cum potentiæ ſint diuerſarum rationum. Secundo. Quia habitus nobiliſsimus per eandem rationem eſt unus tantum.

TERTIA concluſio probatur tripliciter. Primo ſic. Beatitudo, qua creatura rationalis formaliter beatificatur, conſiſtit in nobiliſsima eius operatione; ſed neceſſarium eſt nobiliſsimam eſſe operationem hominis operationem intellectus, uel uoluntatis; cum ſupremæ potentiæ animæ noſtræ ſint intellectus, & uoluntas: ergo. Secundo. Quando aliqua operatio ineſt aliquibus ſubiectis, ineſt eis ſecundum aliquod commune; ſed beatitudo ineſt homini, & angelo: ergo ineſt eis ſecundum aliquod commune. Sed commune homini, & angelo, in quo conſiſtit beatitudo formalis, non eſt niſi operatio intellectus, uel uoluntatis de neceſsitate: ergo. Tertio. Si aliqua duo cõmunicant in aliqua natura, & non poſsint conuenire in eo, quod eſt ſuperadditum naturæ. Illud ſuperadditum non ineſt ſecundum naturam, in qua communicant; ſed ſecundum illud, in quo differunt; ſed homo communicat cũ brutis in corpore, & in potentiis ſenſitiuis, & nõ poteſt eis communicari beatitudo: ergo Beatitudo ineſt homini per aliquod, per quod differt à brutis, & non per aliquod, per quod communicat; ſed operatio, per quã homo differt à brutis eſt operatio intellectus, uel uoluntatis de neceſsitate, & non alia: ergo.

QVARTA concluſio à qua dependet totum propoſitum principale: probatur quinque rationibus.

Primo ſic. In illo actu conſiſtit beatitudo noſtra formaliter, & præcisè, per quam attingimus obiectum beatificum, ut beatificum eſt; ſed per ſolum actum uoluntatis, & non per aliquem actum intellectus attingimus obiectum beatificum, ut beatificum eſt: ergo. Maior patet in probatione ſecundæ concluſionis. Minor probatur tripliciter. Primo ſic. Primum, & adęquatum obiectum uoluntatis, ut ſic, per ſolum actuum uolendi attingitur; ſed bonum ſub ratione boni eſt obiectum primum, adæquatum uoluntatis: ergo bonum, ut ſic, per ſolum actum uoluntatis attingitur; & per cõſequens

ſequens obiectum beatificum, in cuius ratione eſt eſſe quid obiectum in natura cum reduplicatione ſumptũ ſolo actu uoluntatis poteſt attingi. Secundo. Vel obiectum beatificum, ut beatificum eſt, attingitur per actum intellectus pręciſè, uel ꝑ actũ uolũtatis ſolius, uel per actum utriuſque potentiæ. Primum dari non poteſt: nam potentia non impedita primo, & principaliter tẽdit in illud, in quo principalius reſeruatur ratio ſui obiecti; ſed ratio boni, quæ ponitur obiectum uoluntatis, principalius reſeruatur in obiecto beatifico: cum ſit ultimus finis omnium: ergo impoſsibile eſt obiectum beatificum, ut beatificum eſt, per ſolum actũ intellectus attingi. Tertium etiam dari non poteſt; quia tunc actus intellectus, & uolũtatis eſſent eiuſdem rationis, ut patet ex articulo pręcedenti, & diffuſius extitit declaratũ in quęſtionibus ſuper ſecundo huius: relinquitur ergo ſecundum, quod eſt propoſitum.

*Quæſt. 4. art. 2.*

Tertio ſic. Ordo potentiarum debet correſpondere ordini obiectorum: ſic.n. obiecta debent proportionari potentijs, ut eis reſpondeat obiectũ, quod habet rationem ultimi: uoluntas in regno potentiarum animæ eſt ultima uia originis, quamuis ſit prima uia perfectionis, ut in ſequenti articulo diffuſius declarabitur.

*Reſpon. Durand. ad rationem immediatè præcedentẽ.*

SED ad iſtam rationem reſpondent aliqui doctores, dicentes, quòd uoluntas reſpicit non magis obiectum beatificum, ut beatificum eſt, quam intellectus: quia uoluntas non poteſt ferri in non cognitum propter quod omne, quod offertur uoluntati etiam ſub ratione omni, ſub qua offertur, quæcunque ſit illa, ſiue ratio beatificans, ſiue quæcunque alia, oportet, quòd ſit prius oblatum intellectui, & ab eo appræhenſum. Et cum dicitur, quòd de ratione obiecti beatificantis eſt, eſſe bonum, uel optimum in natura; bonum autem eſt obiectum uoluntatis. Dicitur, quòd bonum cadit per ſe, & prius ſub obiecto intellectus, quàm uoluntatis; ſed: quia bonum eſt uoluntati adęquatum, & non intellectui: quia tendit in aliquid commune. ſ. ens, & in totã rationem entis. Ideo magis conſueuit dici, quòd bonũ eſt obiectum uoluntatis, quam intellectus.

*Confutatio reſponſi Durandi.*

ISTA AVTEM reſponſio deficit in multis; ut tamen ad aliqua me reducã: pręcipuè deficit in quatuor. Primo: quia ponit, quòd uoluntas non magis reſpicit obiectum beatificum, ut beatificum eſt, quã intellectus, cuius oppoſitum eſt triplici medio probatum, nec illis rationibus reſpondetur. Secundo: quia dicit, quòd bonum cadit per ſe, & prius ſub obiecto intellectus, quàm uolũtatis; quod patet falſum etiam per eos. Nam obiectum adæquatum uoluntatis non poteſt per ſe, & prius cadere ſub obiecto alterius potentiæ, quàm uoluntatis: hoc patet inductione, & ratione. Inductione. Conſtat enim, quòd obiectum adæquatum intellectus non poteſt per ſe, & prius cadere ſub obiecto alterius potentiæ, quàm intellectus: & idem iudicium eſt de omnibus aliis potentiis, tam cognitiuis, quàm appetitiuis. Ratione ſic. Obiectum, quòd reſpicitur à uoluntate per ſe, & primo: & non ab altera potentia non poteſt per ſe, & prius cadere ſub obiecto alterius potẽtiæ, quàm uoluntatis; ſed obiectum adæquatum uoluntatis reſpicitur à uoluntate primo, & per ſe: cum quælibet potentia tendat primo, & per ſe in ſuum obiectũ adæquatum; nec poteſt obiectum adæquatum uoluntatis eſſe obiectum adæquatum alterius potentiæ: aliàs non adæquaretur alicui earum: ergo obiectum adęquatum uoluntatis non poteſt per ſe, & prius cadere ſub obiecto alterius potentiæ, quàm uolũtatis; ſed bonum per eos in dicta ſolutione eſt obiectum adęquatum uolũtatis: ergo impoſsibile eſt, quòd bonum cadat per ſe, & prius ſub obiecto intellectus, quàm uoluntatis.

Tertio deficit dicta reſponſio: quia ponit, quòd intellectus tendit in aliquod communius, quàm uolũtas, quod eſt omnino falſum: cum ſit æqualis ambitus obiectiuè. Nam omne uolitum cognitum. Et omne cognitum uolitum, uel ſaltem nolitum, quorũ utrunque pertinet ad uoluntatem. Deficit ulterius quarto: quia dicit, quòd ens eſt communius bono, quòd eſt totaliter impoſsibile propter duo. Primo quia quæ conuertuntur interſe, unum non eſt cõmunius altero; ens, & bonum ſunt huiuſmodi 4. metaphyſicę, & idem eſt iudicium de aliis paſsionibus tranſcendentibus.

*tex. c. 18.*

ET CONFIRMATVR: quia bonum eſt de paſsionibus trãſcendentibus ſimpliciter, & propria paſsio entis, quæ ſequitur naturam entis, inquantum ens eſt. Et nullum tale habet aliquid cõmunius: patent igitur defectus datę ſolutionis. NEC ualet illud, cui innititur dicta ſolutio. ſ. quòd uoluntas tenderet in cognitum: hoc enim excluditur ex articulo præcedenti. Ibi namque oſtenſum fuit, quòd ſola uoluntas fertur in bonum ſub ratione boni. Et tamen propter hoc non fertur in incognitum: ſimiliter dicendum eſt in propoſito: remanet igitur ratio inſoluta, ut uidetur. Secundo ad principale arguitur ſic. In actu nobiliſsimo conſiſtit beatitudo præciſè. Et formaliter talis eſt actus uoluntatis, & non aliquis actus intellectus: ergo. Maior patet etiam per aduerſarios. Minor probatur quatuor rationibus. Primo ſic. Ille actus eſt nobilior, per quem ſumus liberi, quàm ille, ſecundũ quem non habemus libertatem; ſed ſecundum actum uoluntatis liberi ſumus: non autem ſecundum actum intellectus: quia intellectus non eſt potentia libera: ergo. Secundo ſic ineſſentialiter ordinatis, quod eſt poſterius generatione, eſt prius perfectione: natura.n. ſemper procedit de imperfecto ad perfectũ; non autem econuerſo. Sed actus uoluntatis origine eſt poſterior actu intellectus: ergo. Tertio. Ille actus eſt melior, quo efficimur meliores; ſed per actum uoluntatis dicimur beati, formaliter loquendo, & ſimpliciter boni, & unus melior altero; ſecundum autẽ actum intellectus non dicimur boni, nec unus melior altero, loquendo ſimpliciter, ſed ſolum cum determinatione, ut potè, bonus clericus, & huiuſmodi talia: ergo.

Quarto. Ille actus eſt melior, cuius oppoſitum eſt peius; ſed dilectioni dei opponitur odium dei, quod eſt peius, quàm ignorantia dei, quę opponitur cognitioni dei: ergo diligere deum eſt melius, quam cognoſcere ipſum; & per conſequens actus uoluntatis eſt nobilior actu intellectus. Et ſic patet Minor ſecundæ rationis principalis: quare, &c.

*Reſpon. Durandi.*

SED ad illam rationem reſpondent illi met doctores, interimendo Minorem.

AD rationes reſpondent per ordinem. Ad primam, cum dicitur, quòd actus uoluntatis eſt liber, &c. Dicunt, quòd libertas poteſt capi dupliciter. Vno modo, prout opponitur coactioni. Et iſto modo intellectus liber eſt in intelligendo, ſicut uoluntas in uolendo, quod patet: quia illud ſolum eſt coactum, quod eſt contra inclinationem rei; ſed nullum intelligere eſt cõtra inclinationem rei, id eſt, intellectus; immò eſt ſecũdum inclinationem eius. Intellectus enim inclinatur ad intelligendum; cum intelligere ſit ſua perfectio: ergo impoſsibile eſt, ut intellectus intelligẽdo cogatur, ſicut nec uoluntas in uolendo; immò, ut dicunt, nulla potentia, nec cognitiua, nec appetitiua reſpectu proprij actus poteſt cogi: quia nec hoc inuenitur in potentiis naturalibus: non enim cogitur ignis ad calorem faciendum: nec graue ad deſcendendum: ſemper enim coactio eſt contra naturam rei. Alio modo poteſt ſumi libertas, pro ut opponitur neceſsitati; & ſic non oportet, quòd ille actus ſit nobilior, qui eſt liberior: alioquin nobilius eſſet in deo uelle alia à ſe quàm uelle ſe ipſum. Et in nobis uoluntas circa ea, quæ ſunt ad finem, eſſet nobilior: quia liberè uolumus, quàm uoluntas finis, quem neceſſariò uolumus. Quæ omnia ſunt falſa. Etiam nec illud, quod aſſumitur, eſt uerum. ſ. quòd intellectus non eſt liber ſicut uoluntas. Si.n. intellectus neceſsitatur, quoad prima principia, quæ determinant claram ueritatem; nihilominus non neceſsitatur reſpectu omnium, quæ deducuntur ex primis principiis; ſed quodam modo liber eſt reſpectu

illorum



illorum, ſcilicet, quæ ex iis deducuntur. Exceptis his, quę habẽt clarã deductionem. Et ſimiliter uoluntas neceſsitatur reſpectu finis; ſed libertatem habet reſpectu eorum, quæ ſunt ad finem, niſi ſint talia, quòd habeant neceſſariam colligãtiam cum fine. Ergo tot modis intellectus eſt liber in intelligendo, ſicut uolũtas in uolendo, & per conſequens ratio ſeu, probatio nulla. Ad ſecundã probationẽ dicunt, quòd illud, quod eſt prius ſecundum modum cauſę materialis, & per modũ paſſiui, eſt minus nobile; non autem illud, quod eſt prius per modum cauſæ efficientis. Et hoc ſecundo modo illud, quòd eſt ex parte intellectus, eſt prius primo modo. Illud, quod eſt ex parte uoluntatis, eſt prius; & per conſequens ratio magis concludit oppoſitum, quàm propoſitum. Ad tertiam dicũt per interẽptionẽ Minoris. Poteſt enim aliquis bonus dici dupliciter. Vno modo ſimpliciter, & abſolutè: quia eſt in ſe perfectus. Et talem bonitatem magis habet homo ſecundum intellectum, quàm ſecundum uoluntatem. Vnde ſcientiæ, ut dicunt, ſunt finaliter meliores habitibus perficientibus uoluntatem. Alio modo poteſt dici quis bonus bonitate regulata, & ordinata ad aliud quærendum. Et ſic homo magis dicitur bonus per uoluntatem, & per actus perficientes appetitum, quàm per intellectum. Sed quia hæc bonitas habet rationem meriti, & reſpicit merita: prima autem magis reſpicit primum. Ideo ſimpliciter, & abſolutè meliores ſunt actus, & habitus intellectus, quàm uoluntatis. Ad quartum dicitur, quòd oppoſitio non ſumitur utrobique uniformiter: quia odium opponitur delectationi contrariè; ignorantia autem opponitur cognitioni priuatiuè.

*Confutatio reſpon. Durandi.*

ISTA RERPONSIO, ſicut præcedens, deficit multipliciter. Et ideo contra eam hoc ordine procedetur. Quia primo, confirmabitur Minor ſecundæ rationis principalis quartæ concluſionis unico medio. Secundo, oſtendetur probationes iam deductas, non eſſe ſolutas.

*Aegid. 1. ſent. diſt. 1. q. 1.*

QVANTVM ad primum arguitur ſic. Ille actus eſt ſimpliciter nobiliſsimus, per quem creatura rationalis maximè unitur obiecto nobiliſsimo, talis eſt actus uoluntatis, & non intellectus: ergo. Maior ſupponitur. Minor ex fundamentis doct. noſtri probatur dupliciter. Primo ſic. Vnio facta eſt in conſumatione, & non in inchoatione; ſed unio creaturæ rationalis obiecto beatifico inchoatur per intelligere, & conſumatur in amore: ergo maior eſt unio in amore, quam intelligere. Secundo ſic. Vnio, quæ eſt in re ſecundum modum, quem habet res in ſe, eſt maior, quã unio ad eam ſecundum modum, quem habet in nobis; ſed per amorem unimur rei ſecundum modum, quem habet in nobis: quia eſt motus animæ ad rem, prout eſt in ſe ipſa: per intelligere autem unimur rei ſm modũ, quem habeat in nobis: quia eſt motus rei ad animam.

*Confutatio 1. ſolution. eiuſdẽ Doc.*

*3. de li. arb. cap. 3. tom. 1.*

*Item lib. 1. Retrac. cap. 9. tom. 1.*

QVANTVM ad ſecundum. Prima probatio non uidetur ſoluta; immò reſponſio deficit in multis; præcipuè tamen in quatuor. Primo quia concludit, quòd intellectus eſt ita liber ad intelligendum, ſicut uoluntas ad uolendum, quod eſt impoſsibile, quod patet ex diffinitione de libertate data per Beatum Auguſtinum de libero arbitrio, ubi ſic inquit. Illud eſt nobis liberum, quod in poteſtate habemus, & illud, quod in poteſtate non habemus, non eſt liberum nobis.

Hoc ſuqpoſito, arguo primo ſic. Illa potentia eſt maximè libera, quæ maximè eſt in poteſtate noſtra: patet ex dictis, hæc eſt uoluntas, & non intellectus: ergo. Minor eſt Beati Auguſtini, ubi ſupra, dicentis, quòd nihil eſt tantum in poteſtate noſtra, quàm ipſa uoluntas.

Secundo ſic. Illa potentia, quæ poteſt in hoc, & in eius oppoſitum eſt libera formaliter, & ſui actus domina. Et per oppoſitum. Illa potentia, quæ non poteſt, non eſt libera, nec ſui actus domina; ſed uoluntas, ſaltem reſpectu eorum, quæ ſunt ad finẽ poteſt in hoc, & in eius oppoſitum; intellectus autem non: ergo. Maior patet per Beatum Auguſtinum, ut ſupra. Minor, quantum ad primam partem etiam conceditur ab aduerſariis: quantum ad ſecundam partem patet: nam ſi intellectus non aſſentit concluſionibus, quæ deducuntur ex primis principiis: hoc non eſt: quia liberè poteſt in hoc, & in eius oppoſitum; ſed prouenit ex debilitate ipſius intellectus, qui nõ põt deducere ex principiis illa, q̃ neceſſariò deducuntur: hoc patet: quia aliàs quilibet, quantuncunque inexpertus, poſſet deducere ex primis principiis omnes concluſiones deducibiles ex eis, cuius oppoſitum docet experientia: ergo. Tertio ſic. Illa potentia non eſt libera formaliter, cuius actus eſt in potentia alterius potentiæ; ſed actus intellectus eſt in poteſtate uoluntatis, & non econuerſo: ergo. Maior patet. Minor probatur: quoniam uoluntas determinat intellectũ, & alias potentias ad actus ſuos; non autem econuerſo: aliter uoluntas non haberet actum elicitum, & imperatum, quod eſt falſum etiam per eos: ergo.

DEFICIT ſecundo illa reſponſio in diſtinctione, quam ponit de libertate, dicens, quòd libertas uno modo opponitur coactioni, alio modo neceſsitati. Nam illa diſtinctio non eſt bona, cuius membra coincidunt, talis eſt hæc: ergo. Minor patet: quia coactio eſt quædam neceſsitas, & determinatio quædam neceſsitatis, & habent ſe ſicut ſuperius, & inferius. Dicitur ergo, quòd libertas uno modo opponatur coactioni, & alio modo neceſsitati eſt coincidere. Et ideo dicitur communiter à doctoribus, quòd libertas opponitur neceſsitati. Nam illud eſt nobis liberum, quod in poteſtate noſtra habemus. Illud autem habemus in poteſtate noſtra, à quo non neceſsitamur. Neceſsitas tamen eſt duplex, ut ſpectat ad propoſitum. ſ. coactionis, & determinationis. Illa ergo potentia eſt libera, & domina ſui actus, quæ non neceſsitatur ab alio neceſsitate coactionis, nec neceſsitate determinationis: & quia talis eſt uoluntas, & non intellectus, ut patet ex præcedenti ratione, ſequitur idem, quod prius.

DEFICIT tertio: quia dicit, quòd ille actus non eſt nobilior, qui eſt liberior, prout libertas opponitur neceſsitati: nam actus, qui non neceſsitatur, eſt nobilior actu, qui neceſsitatur; ſed actus liber; prout libertas opponitur neceſsitati, non neceſsitatur ab alio: ergo actus liber, etiam prout libertas opponitur neceſsitati, eſt nobilior omni actu, qui neceſsitatur ab alio. Maior patet: quia neceſsitati paſsiuè dicit imperfectionem, ut habet eam annexam. Minor patet. Nã eſſe liberum, prout libertas opponitur neceſsitati, nihil aliud eſt, q̃ non neceſsitari ab alio. NEC ualet, quòd dicitur, quòd tunc nobilius in deo eſſet uelle alia à ſe, quàm uelle ſe ipſum. Deus enim non neceſsitatur ab alio ad uolẽdum ſe ipſum, nec neceſsitate coactionis, nec neceſsitate determinationis; ſed ea neceſsitate, qua eſt, uult ſe, quod non poteſt dici de intellectu noſtro, qui de neceſsitate determinationis ſaltem neceſsitatur ab alio, ut dictum eſt.

DEFICIT quarto: quia accipit pro per ſe noto, quòd uoluntas non ſit libera reſpectu finis, cuius oppoſitum dicunt multi doctores, & magni: de hoc tamen aliàs dicetur. EXEMPLA etiam, quæ adducit de potentiis naturalibus, non ſunt ad propoſitum: nam quamuis ignis non cogatur ad calefaciẽdum, nec graue ad deſcendendum; non tamen agunt liberè; ſed de neceſsitate naturæ: prima ergo ratio non ſoluitur.

*Confutatio ſecundæ ſolutionis eiuſdem Doct.*

SECVNDA ratio etiam non ſoluitur; immò deficit in quatuor. Primo: quia dicit prius per modum paſsiui eſſe minus nobile: cõſtat enim, quòd ſubſtantia creata eſt prior per modum paſsiui accidentibus, quæ fundantur in ipſa; & tamen non eſt minus nobilis; immò nobilior. NEC ualet, ſi dicatur, quòd ratio uidetur concludere oppoſitum propoſiti: nam ad ipſam ſequitur, quòd, poſterius origine non ſit prius perfectione. Vera eſt enim propoſitio prima in eſſentialiter ordinatis, ut aſſumitur in arguendo, & non abſolutè, & ſimpliciter, ut aſſumitur in reſpondendo.

CVIVS

CVIVS gratia eſt aduertendum, quòd propriè loquendo, ſubſtātia, & accidens non ſunt eſſentialiter ordinata; ſed ordo eſsēitalis eſt ſubſtantię ad ſubſtātiā, & accidentis ad accidentia. Et ſi iſto modo fiat comparatio non poteſt dari inſtantia extra propoſitū. Cōſtat.n.ꝙ forma eſt poſterior materia origine; prior tamen perfectione. Et ſimiliter quātitas eſt prior qualitate generatione, poſterior uerò perfectione. Et ſic reperietur in omnibus per ſe, & eſſentialiter ordinatis, ut pręmittitur.

SECVNDO deficit: quia dicit, quòd actus intelligendi eſt prior actu uolendi per modum effectiui, uel actiui. Nam probatum fuit quæſtione præcedenti articulo ſecundo, quòd uolūtas ſit totalis cauſa effectiua actus uolendi, & non actus intelligēdi; nec aliquid aliud, &c.

TERTIO deficit: quia dicit, quòd actus uolendi ſe habet per modum paſsiui reſpectu actus intelligendi, quod patet eſſe falſum. Tum: quia recipiens natura præcedit receptum, quod non eſt uerum in propoſito. Tum: quia non fundantur in eadem potentia ſubiectiuè.

QVARTO, & ultimo deficit: quia quod aſſumitur, non uitat propoſitum. Nam quicquid ſit de actibus intelligendi, & uolendi: conſtat, quòd intellectus non eſt prior uoluntate per modum actiui. Nam uoluntas uel cauſatur ab anima effectiuè, in qua recipitur ſubiectiuè: uel à deo creante immediatè: non.n. uoluntas reſpicit intellectum per modum paſsiui: cum ſint potentiæ realiter diſtinctæ, immediatè fundatæ in eſſentia animæ: ergo diſtinctio data eſt inſufficiens. Vel oportet concedere, quòd uolūtas ſit perfectior intellectu: cum ſit origine poſterior ipſo. Si detur primū, ſolutio nulla. Si detur ſecūdum, habetur propoſitum. Nam ſi uoluntas eſt nobilior intellectu; actus uolendi erit nobilior actu intelligendi, quod eſt propoſitum. Secunda igitur ratio non eſt ſoluta.

*Confutatio 3. ſolution. eiuſdē Doc.*

TERTIA ratio ēt non ſoluitur; immò deficit in quatuor ſolutio eius. Primo. Quia ponit habitus intellectuales finaliter meliores habitib. perficiētibus uoluntatem, quod eſt expreſsè contra Apoſtolum prima ad Corinthios, ubi enumeratis habitibus, & uirtutibus intellectus, concludit Maior autem horum eſt caritas. *1. Cor. 13.* NEC VALET, ſi dicatur, quòd caritas inter habitus uiæ nobilior eſt: nō tamē inter omnes habitus glorię: nam in illa gloria habitus ſapiētialis perficiens intellectum, erit ſimpliciter nobilior habitu caritatis. Nam iſtud uidetur eſſe contra Apoſtolum, & contra rationem, & etiam contra opinantes. Primum quidem uidetur eſſe contra Apoſtolum: nam ſi eſſet ſimpliciter aliquis habitus in gloria nobilior habitu caritatis; feciſſet mētionem: aliàs fuiſſet nimis inſufficiens pręter mittendo habitum nobiliſsimū, quod non uidetur benè, nec ſanè dictum. ET SI dicatur adhuc, quòd Apoſtolus ſolum mentionem fecit de habitibus uiæ: patet eſſe falſum: nam caritas per Apoſtolum non ſolum eſt habitus uiæ; immò perficietur, & manebit in Patria, etiam fides per iſtos met Doctores, quod tamen non credo eſſe uerum. Manebit in Patria, & quantum ad actum, & quantum ad habitum: nō poteſt ergo Apoſtolus eſcuſari de inſufficientia, ſi mētionem non fecit de habitu nobiliſsimo. Secundo eſt contra rationem: nam, quod eſt principium reſpectu meriti, eſt principium reſpectu præmii: cum præmium correſpondeat merito; ſed habitus caritatis eſt principium reſpectu meriti, ut patet ex dictis Apoſtoli: ergo erit principium reſpectu præmii; & per conſequens in gloria non erit habitus perfectior eo. Tertio. Eſt cōtra opinantes. Nam unus iſtorum doctorum; immò principalior inter eos dicit, quòd operatio intellectus completur, ſecundum quòd intellectum eſt in intelligente. Et ideo nobilitas operationis intellectualis attēditur ſecundum menſuram intellectus: operatio autem uolūtatis, & cuiuslibet uirtutis appetitiuæ perficit in inclinatione ad rem appetentis, ſicut ad terminum. Ideo dignitas operationis appetitiuæ attenditur ſecūdum rē, quæ eſt obiectum operationis. Ea autem, quæ ſunt infra animam, nobiliori modo ſunt in anima, quā in ſeipſis: quia unumquodque eſt in alio ſecundum modū eius, in quo eſt, ut habetur in libro de cauſis. Quę uero ſunt ſupra animam, nobiliori modo ſunt in ſeipſis, quàm in anima. Et ideo eorum, quę ſunt infra nos, nobilior eſt cognitio, quàm dilectio: propter quod Philoſophus in 6. ethicorum prætulit intellectuales moralibus. *Cap. 8.* Sed eorum, quæ ſunt ſupra nos, & præcipuè dilectio dei cognitioni præfertur. Et ideo caritas eſt excellentior fide. Hęc ſunt uerba fidei.

*Diluctio cuiuſdam reſpon. aduerſant. prædict.*

*Penes quid præſtantia operationis attendatur.*

EX QVO ſequitur, quòd dilectio dei eſt nobilior omni cognitione uiæ, & patriæ: quoniam deus nobiliori modo habet eſſe in ſeipſo, quā in anima noſtra pro quocunque ſtatu, ſiue uiæ, ſiue patriæ; & per conſequens caritas eſt nobilior omni actu intellectus, ſiue habitu.

ET POSSVNT ex dictis duæ rationes formari ad propoſitum. Et arguatur primo ſic. Vbicunque obiectum cognitum, & dilectum nobiliori modo habet eſſe in ſe ipſo, quàm in cognoſcente, ibi dilectio præfertur cognitioni, quod patet ex dictis eorum. Sed obiectum beatificū, quod eſt deus nobiliori modo habet eſſe in ſe ipſo, quàm in cognoſcente, & hoc tam in uia, quam in patria: ergo dilectio dei tam in uia, quàm in patria pręfertur cognitioni, quod eſt propoſitum.

Secundo. Ille actus eſt nobiliſsimus, qui elicitur à potentia nobiliſsima per habitum nobiliſsimum; talis eſt actus uolūtatis, & non intellectus: ergo ad præſens in ipſo ponetur beatitudo formalis. Maior patet. Minor quantum ad primam partem probabitur in articulo ſequenti. Quantum ad ſecundam partem patet ex dictis: cum probatum ſit habitum caritatis eſſe nobiliorem omnibus aliis.

SECVNDO deficit dicta reſponſio: quia dicit, quòd bonitas uoluntatis reſpicit meritum: bonitas autem intellectus præmium. Nam ſi præmium debet correſpondere merito, ut dictum eſt, potētia, quæ meretur, debet pręmiari, & non altera: aliter deus non eſſet iuſtus iudex, quod eſt impoſsibile. Sed uoluntas eſt, quæ meretur; quoniam reſpicit meritum: ergo uoluntas eſt, quæ præmiatur; & per conſequens reſpicit præmium. ET poteſt ſic formari ratio. In actu illius potentiæ exiſtit præmium, quod eſt beatitudo noſtra, in cuius actu conſiſtit meritum, uel exiſtit; ſed in actu uoluntatis pręcisè exiſtit meritum: non enim dicitur meritorium, niſi inquantum uoluntariū: ergo.

TERTIO deficit: quia ponit, quòd ſecundum intellectum dicimur boni ſimpliciter, & abſolutè, cuius oppoſitum docet experiētia: nam cum oppoſita habeant fieri circa idem, ſi ſecundum intellectum diceremur boni ſimpliciter, & abſolutè; ſecundum intellectum etiam diceremur mali ſimpliciter, & abſolutè, quod patet eſſe falſum; immò ſcire malū non eſt malum; ſed operari malum eſt malum.

QVARTO Deficit: quia dicit, quòd ſecundū uoluntatem non dicimur boni ſimpliciter, & abſolutè; ſed tantum ſecundum quid, quod patet falſum. Tum, quia ſecundum intellectum non dicimur boni ſimpliciter, & abſolutè, ut patet ex præcedenti ratione. Tum, quia malitia, quæ opponitur bonitati directè conſiſtit in uoluntate. Tum, quia etiam ſecundum illam potentiam dicimur boni ſimpliciter, & abſolutè, per cuius actum acquirimus beatitudinem, in qua conſiſtit ſummum bonum, & formale hominis intrinſecum, hæc eſt, uoluntas, & non intellectus, ut patet: ergo. Et ideo diſtinguere bonitatem relatam, & ordinatam ad quęrendam bonitatem à bonitate ſimpliciter, eſt implicare contradictionem; ſicut diſtinguere malitiam relatam, & ordinatam ad acquirendam damnationem æternā à malitia ſimpliciter. Tertia igitur ratio non eſt ſoluta ut uidetur.





*Confutatio quartæ ſolutionis eiuſdem Doct.*

QVARTA etiam non ſoluitur; immò confirmat propoſitum. Cuius gratia eſt aduertendum, quòd ſi odium dei opponeretur delectationi dei priuatiuè, & ignorantia dei opponeretur cognitioni dei contrariè; fortè non ſequeretur. Odium dei eſt peius ignorantia dei: ergo dilectio eſt melior cognitione. Et ratio huius poteſt eſſe: quia priuatio magis deficit à ratione entitatis, & bonitatis, quàm aliquod duorum contrariorum. Sed ſi odium opponitur dilectioni contrariè, & ignorantia cognitioni priuatiuè, ut aſſumitur, neceſſariò ſequitur odium eſt peius ignorantia: ergo dilectio eſt nobilior cognitione per eandem rationem.

SED ne fiat uis in uerbo, poteſt formari ratio ſimpliciter, & abſolutè ſine comparatione aliqua, & arguatur ſic. Cuius oppoſitum eſt ſimpliciter peſsimum, illud eſt ſimpliciter nobiliſsimum; ſed dilectioni dei opponitur odiū dei, quod eſt ſimpliciter peſſimum: ergo dilectio dei eſt ſimpliciter nobiliſsima.

*2. Priorum Cap. 25.*

ET CONFIRMATVR per quandam regulam Ariſt. in prioribus, ubi dicit, quòd quandocunque unum oppoſitorum eſt conuertibile cum aliquo termino, & aliud oppoſitum conuertetur cum oppoſito illius termini, ut ſi albedo conuertatur cum diſgregatione, & nigredo cum congregatione. Sed odium dei, & ſimpliciter peſsimum conuertuntur: ergo. Nam quicunque odit deum eſt ſimpliciter peſſimus, & econuerſo: ergo diligere deum, & ſimpliciter nobiliſsimum, & optimum conuertuntur; & per conſequens dilectio dei inter operationes noſtras eſt ſimpliciter nobiliſsima. Remanet igitur ratio non ſoluta, ut uidetur.

TERTIO ad principale arguitur ſic. Si in actu intellectus, & non uoluntatis conſiſteret beatitudo formaliter; ſequeretur, quòd uidens deum, & non delectatus in ipſo, eſſet perfectè Beatus, quod eſt omnino impoſsibile. Conſequentia patet: quoniam ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitū antecedentis. Falſitas autem conſequentis, quàmuis non ſit cuilibet intelligenti ignota; ſed nota, quid nomine beatitudinis importatur: probatur tamen tripliciter.

Primo ſic. Si uidens deum, & non delectatus in ipſo eſſet perfectè beatus; idem poſſet ſimul eſſe beatus, & miſer, quod eſt abſurdum. Conſequentia patet: quoniam ſi uidens deum non delectaretur in ipſo, poſſet triſtari: quia uiſio dei non excludit triſtitiam, niſi propter delectationem annexam; non autem excluditur unum oppoſitorum niſi per alterum. Qui autem triſtatur, miſer eſt: quia triſtitia eſt quædam miſeria, & ſic idem eſſet ſimul beatus, & miſer.

*Cap. 5. Tom. 3.*

Secundo. Beatitudo formalis excludit omne deſiderium, dicente Auguſtino. 13. de trinitate, quod beatus eſt, qui habet quicquid uult, & nihil mali uult. Sed nullus talis aliquid deſiderat; cum deſiderium ſit reſpectu boni habendi; ſed uiſio dei ſine delectatione non excludit omne deſiderium: quilibet enim deſiderat delectari, ut experitur in ſe ipſo: ergo uidens deum, & non delectatus in ipſo non eſt perfectè beatus. Tertio. Carentia diuinæ uiſionis ſine triſtitia non eſt ſumma miſeria: ergo uiſio eſſentiæ diuinæ ſine delectatione non eſt beatitudo perfecta. *2. Topic. Loc. 14.* Conſequentia patet: nam ſi propoſitum in propoſito, & oppoſitum in oppoſito. Antecedens patet: aliàs carentia diuinæ uiſionis cum triſtitia non eſſet Maior miſeria, quàm carentia diuinæ uiſionis ſine triſtitia, quod patet falſum.

*Reſponſ. Durand. ad huiuſmodi rationem, ubi ſupra.*

AD ISTAM rationem reſpondent aliqui doctores. Negando falſitatem conſequentis.

Ad primam, probationem, cum dicitur, quòd uidens deum, & non delectatus in ipſo poteſt triſtari; & per conſequens eſſet miſer. Dicunt, quòd non ſequitur, quòd triſtitia non poteſt haberi, niſi de aliquo apprehenſo habito, & nolito. Deus autem, & uiſio eius non poſſunt habere rationem apprehenſi, & noliti. Et ideo, licet diuina uirtute poſſet actus dilectionis ſuſpendi; non tamen poſſet cauſari triſtitia de deo, nec de eius uiſione. Si autem de alio obiecto poſſet eſſe triſtitia; ſequeretur, quòd idem homo eſſet ſimul beatus, & miſer ſecundum aliud, & aliud, & aliud: non autem ſecundum idem, nec iſta repugnat: nam optima perfectio, quæ eſt eſſentialiter beatitudo, non repugnat defectui alterius perfectionis, ratione cuius eſſet miſer.

*Confutatio huiuſce reſpon.*

ISTA TAMEN reſponſio deficit multipliciter, præcipuè tamen in duobus. Primo. Quia conceſſo, quòd aſſumitur uerum, ſcilicet, quòd uidens deum non poſſet triſtari de deo uiſo: non propter hoc ſoluitur ratio, quod ſic probatur. Manente formali ratione alicuius, manet, & ipſum quocunque alio poſito, uel remoto per poſsibile, uel impoſsibile. Per locum à diffinitione. Ergo ſtante aperta deī uiſione, quæ ponitur beatitudo formalis, quocunque alio poſito, uel remoto per poſsibile, uel per impoſsibile, manet ipſa beatitudo. Et per conſequens uidens deum, etiam ſi triſtatur de deo uiſo, eſſet perfectè beatus, quod reputandum eſt impoſsibile: aliter idē poſſet ſimul eſſe beatus, & miſer, ut aſſumitur in arguendo.

*Dilutio cuiuſdā reſpōſi, quod aduerſari uidetur præfatæ rationi.*

NEC VALET adhuc, ſi dicatur quòd iſta ratio ſupponit aliquid, quod repugnat rationi terminorum: ſupponit enim, quòd uidens deum triſtetur de deo uiſo, quod eſt impoſsibile. Nam omnis ſuppoſitio, quæ non tollit formalem, & intrinſecam rationem termini poſiti, poteſt conuenienter fieri ſine repugnantia, ſed pręfata ſuppoſitio nō tollit formalem, & intrinſecam rationem uiſionis: ergo poteſt fieri ſine repugnantia. Videmus etiam, quòd Sancti Doctores faciunt tales ſuppoſitiones. Vnde Beatus Auguſtinus. 5. de trinitate dicit, quòd ſi pater non genuiſſet, nihil prohiberet eum dicere ingenitum: ſupponit ergo patrem non genuiſſe, quod eſt omnino impoſsibile, & falſum: licet tamen hoc ſibi ſupponeret ad oſtendendum patrem eſſe ingenitum. *Cap. 6. Tom. 3.* Et ſimiliter doctores communiter quærunt. Vtrum ſpiritus ſanctus diſtingueretur à filio, ſi nō procederet ab eo, quod tamen eſt impoſsibile: omnis ergo ſuppoſitio eſt admittenda, niſi ſupponat incompoſsibile. Suppoſito ergo, quòd uidens deum triſtaretur de deo uiſo, adhuc rationabiliter poteſt quæri. Vel talis eſſet perfectè beatus, uel non. Si dicatur, quòd non: ergo beatitudo non conſiſtit formaliter, & præcisè in uiſione dei, quod eſt propoſitum. Si dicatur quòd ſic. Idem ſimul eſſet beatus, & miſer reſpectu eiuſdem, quod negare intendunt.

DEFICIT ſecundo dicta reſponſio: quia dicit, quòd uidens deum, quamuis non poſsit triſtari de deo uiſo, nec de uiſione, poteſt tamen triſtari de aliquo ſine repugnantia: quoniam talis eſſet beatus, & miſer ſecundum aliud, & aliud; & non ſecundum idem, ut dicunt, hoc autem eſt impoſsibile, quod patet dupliciter. Primo ſic. Sicut ſe habet pœna damnatorum ad delectationem; ita beatitudo Sanctorum ad triſtitiam, ſiue dolorem; ſed pœna damnatorum non compatitur ſecum aliquam delectationem: igitur nec beatitudo Sanctorum ſecum compatitur triſtitiam, ſeu dolorem. Secundo. Vnum oppoſitorum in ſummo excludit reliquum in quocunque gradu: albedo enim ſuprema non ſolum excludit nigredinem in ſummo; ſed in quocunque gradu; Sed beatitudo, & miſeria ſumptæ ſimpliciter, & abſolutè ſunt oppoſita: ergo beatitudo ſumma, ſiue perfecta, qualis eſt beatorum in patria, excludit miſeriam in quocunque gradu, & per conſequens non compatietur ſecum triſtitiam alicuius, cum triſtitia de quocunque ſit quædam miſeria. Remanet igitur ratio non ſoluta. Etiam

ta. Etiam ſi cauſa breuitatis ad duas probationes ultimas nihil dicetur.

QVARTO ad principale arguitur ſic. In actu illius potentiæ conſiſtit beatitudo formalis, in cuius actu conſiſtit pœna, ſiue miſeria, quæ ei opponitur directè, & formaliter: quoniam oppoſita nata ſunt fieri circa idem, ſecundum Ariſt. ſed pœna, ſeu miſeria, quæ beatitudini oppponitur formaliter, & directè conſiſtit in actu uoluntatis præciſè, & non aliquo alio actu intellectus. Dicente Beato Auguſtino, quòd non eſt pœna, niſi quia eſt contra uoluntatem.

*In Poſt præd. cap. de oppoſ.*

*Obiect.*

SED FORTE diceretur ad iſtam rationem, quòd pœna, quæ opponitur beatitudini formaliter, & directè, non conſiſtit in aliquo actn uoluntatis, ſed in carentia diuinæ uiſionis; ſicut beatitudo conſiſtit in uiſione.

*Dilutio obiectionis.*

HEC euaſio nulla eſt. Nam ſi per poſsibile, uel per impoſsibile ſtaret carentia diuinæ uiſionis cum delectatione, talis carentia non eſſet pœna ex auctoritate iam deducta: quia non eſſet contra uoluntatem. Quinto ad principale. Beatitudo eſt bonum, in quo eſt ſufficientia per ſe ut per Philoſophum, & per eos; Sed in actu ſolius uoluntatis eſt ſufficientia per ſe: ergo. Minor probatur tripliciter. Primo ſic. Cuius eſt deſiderare, eius eſt ſufficientia per ſe; ſed uoluntatis eſt deſiderare: ergo. Maior patet: quoniam unum oppoſitorum non excluditur, niſi per alterum; ſufficientia autem excludit deſiderium: ergo opponitur ei; & per conſequens cuius eſt deſiderare, eius eſt ſufficientia per ſe: cum oppoſita ſint nata fieri circa idem. Secundo ſic. Cuius eſt ſatiari, eius eſt ſufficientia per ſe; patet: quoniam ſatietas, & ſufficientia ſunt idem. Vel idem ſequitur ad aliud. Sed ſolius uoluntatis eſt ſatiari primo, & per ſe: ergo. Minor patet: nam cuius eſt appetere, eius eſt ſatiari primo, & per ſe: cum ſatietas correſpondeat appetitui. Sed inter uirtutes animæ ſuperiores ſolius uoluntatis eſt appetere: ergo.

*1. Ethic. Cap. 8.*

TERTIO. Poſita ſufficientia in omnibus potentijs animæ, & non in uoluntate, non ponitur ſufficientia animæ perfecta: quoniam adhuc manet appetitus, & deſiderium ad aliquod ultra: ergo ſolius uoluntatis eſt ſufficientia per ſe. SEXTO. Ad principale poteſt fieri una ratio communis ſic. In actu nobilioris potentiæ conſiſtit Beatitudo formalis, hæc eſt uoluntas, & non intellectus, nec altera potentiarum animæ: ergo. Maior ſupponitur etiam ab aduerſarijs. Minor in ſequenti articulo probabitur, & diffuſè. Sequitur igitur concluſio principalis.

HAEC POSITIO confirmatur auctoritatibus ſacri canonis, & doctorum. Primo auctoritate ſaluatoris dicentis ſeruo fideli. Euge ſerue bone, & fidelis, &c. Certum eſt enim, quòd nomine gaudij intelligitur beatitudo: ergo beatitudo in gaudio, ſiue delectatione conſiſtit. Secundo. Auctoritate Beati Auguſtini .10. confeſsionum ubi dicit ſic. Abſit, ut ſi quocunque gaudio gaudeam: ideo beatum me putem: eſt enim gaudium, quod in præſens non datur; ſed his, qui te gratis diligunt, gratis colunt, quorum gaudium es tu ipſe. Et hoc ſola eſt beata uita gaudere ad te, de te, in te, & propter te. Et ſubdir, Beata quippè uita eſt gaudium de ueritate. Et 13. de trinitate probat ualdè diffuſè, quòd Beatus eſt, qui habet, quicquid uult; & nihil mali uult: Beatitudo ergo eſt ponenda in actu uoluntatis, & non in actu intellectus. Tertio. Auctoritate Chryſoſtomi ſuper Mathæum, ubi dicit. Vnuſquiſque ex uoluntate ſua aut iuſtus conſtituitur, aut peccator ante deũ. Et ad propoſitum ſubdit. Voluntas igitur eſt, quæ aut remuneratur pro bono, aut pro malo utique condemnatur. Et hæc de tertio.

*Matth. 25.*

*Cap. 22. & 23. Tom. 1.*

*Cap. 5. 6. et 7. Tom. 3.*

*In opere imperf.*

RESTAT nunc reſpondere. Quarto ad rationes alterius opinionis. AD primam per interemptionem Minoris. Voluntas enim eſt ſimpliciter nobilior ipſo intellectu non autem econuerſo, ut ſtatim in ſequenti articulo deducetur. Ad ſecundam etiam per interemptionem Minoris; ſufficientia enim per ſe maxime conſiſtit in actu uoluntatis, ut patet ex quinta ratione principali adducta contra eos. Et cum dicitur, quòd Ioannis. 9. dicitur. Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis. Dicendum, quòd ad uiſionem ſtatim ſequitur delectatio ſumma ordine naturæ. Et ideo in uiſione dei dicitur conſiſtere ſufficientia per ſe, non ratione ſui, ſed ratione delectationis ſibi annexæ, & in tali delectatione de deo uiſo ponitur Beatitudo formalis. Ad tertiam etiam per interemptionem Minoris: quia, ut declaratum eſt in ſecunda ratione principali, actus uoluntatis eſt ſimpliciter nobilior actu intellectus, & non econuerſo.

*Solutio rationum, D. Thom. & Gotfr.*

AD PRIMAM probationem, cum dicitur, ſicut ſe habet uiuens ad non uiuens, &c. Dicendum, quòd non eſt uerum: quia in plus ſe habet uiuere, quàm cognoſcere: & ideo non omnis actus uiuentis eſt actus cognoſcentis. Actus igitur uoluntatis, & ſi non eſt cognoſcens, eſt tamen uiuens, & cognitionem præſupponens ordine naturæ; & ideo ſimpliciter eſt perfectior ipſa cognitione.

*Peculiaris ſolutio probationum Minoris interemptæ.*

AD SECVNDAM probationem, cum dicitur, quod eſt menſura nobilitatis in altero, eſt ſimpliciter nobilior eo. Dicendum; quòd uerum eſt de menſura ſimpliciter; non autem de menſura ſecundum quid: recta autem ratio non eſt menſura ſimpliciter prima in actu uolendi; ſed ſolum ſecundum quid: quia in unoquoque genere eſt dare primum, quod eſt regula, & menſura omnium in illo genere, ex 10. Metaphyſicæ. Regula igitur, & menſura bonitatis in actu uolendi eſt ipſa diuina bonitas, cui tenemur in omnibus uoluntatem noſtram conformare· cum actus uolendi non dicatur meritorius, niſi ex conformitate ad diuinam uoluntatem. Et cum dicitur, quòd actus uolendi non habet bonitatem, niſi ex conformitate ad directam rationem. Dicendum, quòd actus uolendi habet bonitatem ex ſe formaliter, & non ex conformitate ad rectam rationem, quàmuis fortè illam præſupponat.

*Tex. c. 3.*

AD QVARTVM dicendum, quòd Beatitudo obiectiua non poteſt dici ſummum amatum amore concupiſcentiæ, ut ſtatim declarabitur. Beatitudo autem formalis poteſt dici ſummum amatum amore comodi. Et cum dicitur, quòd ſummum amatum amore concupiſcentiæ non poteſt eſſe aliquis actus uoluntatis; cum nullus talis poſsit eſſe primo, & per ſe amatus. Reſpondetur per interemptionem huius: quilibet enim experitur in ſe ipſo, quòd deſiderat uidere deum, & delectari de deo uiſo; & per conſequens aliquis actus uoluntatis primo, & per ſe delectatur; & primo, & per ſe amatur.

ET SI DICATVR, quòd primo, & per ſe deſideratur uiſio dei; & ex conſequenti actus, & ſecundario delectatio de deo uiſo.

*Obiectio.*

DICENDVM, quòd falſum eſt; immò primo, & per ſe deſideratur delectatio de deo uiſo: ſecundario autem, & conſequenter uiſio dei, tanquàm aliquid neceſſariò requiſitum ad delectationem, niſi uoluntas hominis ſit peruerſa &c. Ad quintum dicendum per interemptionem Minoris: operatio enim uoluntatis non quæritur finaliter propter operationem intellectus; immò potius econuerſo, ut patet ex dictis in corpore quæſtionis. Et cum dicitur, quòd ſicut ſe habet appetitus naturalis ad formam naturalem, &c. Dicendum, quòd non eſt uerum ſimpliciter, & per omnem modum, ut aſſumunt. Et rationem huius tangit Damaſcenus libro ſecundo, ubi dicit, quòd appetitus intellectiuus agit; & non agitur: appetitus ſenſitiuus econuerſo. Et ideo poſito, quòd appetitus naturalis ſit

*Reſponſ.*

*Cap. 17.*



propter naturam: & etiam appetitus ſenſitiuus propter ſenſum; non propter hoc ſequitur; quòd ita ſit de uoluntate, quæ ponitur appetitus intellectiuus propter cauſam iam aſsignatam. Et ulterius non uidetur benè clarum, quòd actus potentiæ ſenſitiuę ſit ſimpliciter perfectior, quàm actus appetitus ſenſitiui. Vnde dicere, quòd uiſio coloris proportionati ſit ſimpliciter perfectior delectatione ſenſitiua de colore uiſo, uidetur dubium. De hoc tamen aliàs; ſufficit ad præſens, quòd ponendo, quòd ita ſit, nihil ad propoſitum. Ad ſextum dicendum, quòd Beatitudo formalis conſiſtit in delectatione de deo uiſo. Et cum dicitur, quòd immediatum obiectum delectationis non eſt deus; ſed uiſio dei. Dicendum, quòd falſum eſt: alioquin non eſſet delectatio de deo uiſo; ſed de uiſione dei. Item cum delectatio de deo uiſo ſit eſſentialiter fruitio. Fruimur enim cognitis, in quibus uoluntas delectata quieſcit, ſecundum Beatum Auguſtinũ. 10. de trinit. Obiectum fruitionis ordinatę eſſet aliquod creatum bonum: & non deus ipſe, quod non ſolum uidetur falſum; immò expreſſè contra intentionem Beati Auguſtini, & contra poſitionem. Primo quidem contra intentionẽ Beati Auguſtini. Qui inquit enim, quibus fruendum eſt, ſunt pater, & filius, & ſpiritus ſanctus. Secundo. Contra rationem: quia nullum referibile in aliud poteſt eſſe immediatũ obiectum fruitionis ordinatæ. Cum obiectum immediatum fruitionis ordinatæ quietet ultimatè appetitũ noſtrum, ut patet per diffinitionem fruitionis datam ab Auguſtino. Nullum autem referibile in aliud poteſt immediatè quietare ultimatè appetitum noſtrum, ſed omne bonum creatum eſt referibile in aliud: ergo. Præterea. Illa natura, quæ eſt capax dei, non poteſt ordinata fruitione quietari in aliquo infra deum; & per conſequens obiectum principale, & immediatum talis fruitionis erit ſolus deus; ſed creatura rationalis eſt capax dei: ergo. Maior patet: quia natura, uel potentia, quæ eſt capax maioris boni, non poteſt quietari in minori bono, niſi ſit peruerſa: ubi autem peruerſio, ibi non ordinata fruitio. Minorem ponit expreſsè Beatus Auguſtin. lib. 14. de trinitate, ubi dicit, quòd creatura rationalis eo imago dei eſt: quia capax eſt, & particeps eſſe poteſt: ergo.

*Cap. 10. Tom. 3.*

*1. de Doct. Chriſ. Cap. 5. Tom. 3. Vide hunc Doct. & Aeg. diſt. 1 q. 1. prin.*

*Cap. 8. L. D. Tom. 3.*

AD RATIONES, quibus probatur, quòd immediatum obiectum delectationis de deo uiſo, non eſt deus; ſed uiſio dei. AD PRIMVM, cum dicitur, quòd immediatum obiectum amoris concupiſcentiæ non eſt res diſtincta à concupiſcente. Dico, quòd iſta eſt falſa per eos: nam amore concupiſcentiæ diligo amico bona, quæ habet per eos in ſecunda diſtinctione, quam præmittunt: & tamen conſtat, quòd iſta bona ſunt à me diſtincta ſubiecto. Ex hoc apparet, quòd probationes iſtius Maioris includunt repugnantiam in ſe ipſis. Sed quicquid ſit de maiori, dicendum eſt, quòd Minor eſt omnino falſa. Nam delectatio de deo uiſo: cum ſit eſſentialiter fruitio, non poteſt poni amor concupiſcientiæ, quod patet ex duobus. Primo. Quia amore concupiſcentiæ non inhæremus alicui rei diſtinctæ à nobis ſubiecto propter ſe; ſed propter coniunctionem ipſius ad nos; ſed fruitioni inhæremus præciſè propter ſe: ergo fruitio non eſt amor concupiſcentiæ. Maior patet per eos in ſecunda diſtinctione, quam præmittunt. Et in illa eadem ratione, in qua dicunt, quòd non diligo uinum immediatè; ſed guſtare uinum. Minor eſt Beati Auguſtini primo de doctrina chriſtiana, ubi dicit, quòd frui eſt amore inhærere alicui propter ſe. Quod exponens Magiſter ſententiarũ libro primo diſtinctione prima, dicit, quòd debet intelligi tantum. Et declarat hoc per quædam uerba Beati Auguſtini.

*Solutio rationum Durand.*

*Cap. 4. Tom. 3.*

Secundo: quia ſi fruitio eſſet amor concupiſcentiæ: ſequeretur, quòd Beatus in patria magis frueretur uiſione ſibi formaliter inhærente, quàm deo; & magis uteretur deo, quàm illa uiſione; conſequens eſt erroneum. Tunc enim beatus ſemper eſſet in peccato mortali; cum dicatur ſecundum Beatum Auguſtinum, quòd maior peruerſitas uoluntatis ſit frui utendis, & uti fruendis: ergo & antecedens. Conſequentia probatur: quia qui amat maius propter minus per ſe, magis amat minus, quàm maius: quia, Propter unumquodque tale, & illud magis. Si per talem amorem fruatur aliquo illorũ, magis fruetur Minori, quàm Maiori. Si uerò per talem amorẽ utatur aliquo iſtorum, magis utetur maiori, quàm minori: ſed per amorem concupiſcentiæ concupiſcens amat obiectum diſtinctum à ſe ſubiecto propter ſuam perfectionem, quam ex illo conſequitur: amat enim uinum propter actum guſtandi uinum, ut dicunt: ergo concupiſcens magis per ſe amat ſuam ſuperfectionem, quàm obiectum perfectionis: & fruetur magis ea, quàm obiecto: & magis utetur obiecto, quàm perfectione obiecti. Si ergo fruitio eſſet amor concupiſcentiæ; fruens per fruitionem amabit deum propter uiſionem dei: & per conſequens magis fruetur iſta uiſione, quàm deo, & magis utetur deo, quàm iſta uiſione: & ſic patet conſequentia: igitur, &c. Apparet ergo, quòd iſta Minor eſt omnino falſa, ſcilicet, quòd delectatio de deo uiſo ſit amor concupiſcentię.

*Lib. 83. q. q 30. Tom. 4.*

SED CVM proportionaliter delectatio de deo habito correſpondeat deſiderio de deo habendo. Dicendum, quòd duplex eſt deſiderium, quod habemus in uia, ut ſpectat ad propoſitum, cui proportionaliter reſpondet duplex delectatio in Patria. Deſideramus enim in uia uidere deum, & deſideramus perfectè delectari de deo uiſo. Et quia iſta deſideria debent compleri in patria, ipſis correſpondet duplex delectatio. Nam deſiderio, quo deſidero uidere deum, correſpondet delectatio de uiſione dei: & talis delectatio benè habet pro immediato obiecto uiſionem dei; ſed talis delectatio non ponitur fruitio, nec beatitudo formalis. Et in hoc uidentur decipi iſti doctores præcipue. Deſiderio autem, quo deſidero perfectè delectari de deo uiſo, correſpondet in patria perfecta delectatio de deo habito, apprehenſo, & uiſo: & talis delectatio eſt eſſentialiter fruitio: & in ipſa ponitur Beatitudo formalis. Et cum dicitur, quòd per tale deſiderium non deſideramus aliquod bonum deo. Dicendum, quòd uerum eſt. Sed deſideramus ipſo frui perfectè; & in ipſo delectari immediatè, ſicut delectantur Beati, qui ei inhærent amore propter ſe ipſum, & non propter aliud. Et ideo talis delectatio non eſt amor concupiſcentiæ; ſed beneuolentiæ: cum habeat pro obiecto immediatè ipſum ſolum deum, ut patet ex dictis. Et ulterius deſideramus in uia, quòd amor amicitiæ, quo diligimus deum, intendatur in nobis, ſicut intenſus eſt in beatis. Et tali deſiderio correſpondet in patria ipſemet actus ſecundum eſſe intenſum. Et ita in patria dilectio dei erit amor amicitiæ, & non concupiſcentiæ: ſed dilectio de deo uiſo eſt ipſamet delectatio, uel ad ipſam ſequitur neceſſariò: ergo delectatio de deo uiſo in patria non erit amor concupiſcentiæ; ſed beneuolentiæ: propter quod ratio non concludit. Ad ſecundam, cum dicitur, quòd idem eſt obiectum deſiderij præcedentis, & delectationis ſequentis. Dicendum, quòd falſum eſt: quoniam obiectum deſiderii eſt ipſamet delectatio: quia ſi deſidero delectari de deo uiſo, obiectum huius deſiderij eſt delectatio: ſed obiectum delectationis, quam habeo de deo, non eſt ipſamet delectatio; ſed deus. Nunc autem eſt ſic in propoſito, ut patet ex dictis, uidelicet, ex præcedenti ſolutione. Et ideo ratio non concludit. Ad tertium dicendum, quòd ſumma triſtitia, quam habent damnati, non eſt de carentia diuinæ uiſionis; ſed de carentia delectationis de deo uiſo. Et ideo ſumma delectatio, quam

*Quis amor Beatorum ergo ipſum Deum.*

*Quis amor erit in patria.*

tio, quam habent beati, non eſt de diuina uiſione dei: ſed de deo clarè uiſo, & apprehenſo. Et ſic dico, quòd ſumma triſtitia damnatorum eſt de carentia dei præſentiæ; & ex conſequenti de carentia diuinæ uiſionis: quæ immediatè ſequitur ad diuinam præſentiã; & ideo ſumma delectatio Beatorum eſt de deo præſente;& ex conſequenti de dei uiſione. In prima ergo delectatione, quæ habet pro obiecto immediato ipſum deum, ponitur Beatitudo formalis: in ſecunda.n.nõ:eo,quòd pro immediato obiecto habet aliquod bonum creatũ, ſcilicet,uiſionem dei. Ad quartum dicendũ, quòd delectationes diſtinguuntur, & ſpecificantur per obiecta formaliter ſumpta; ſicut, & quilibet actus animæ, ut in quæſtionibus ſuper ſecundo huius extitit declaratum; & ideo delectationes reſpicientes operationem in ratione obiecti, diſtinguuntur ſecundum operationes ſuas,quas conſequuntur,& ſecundum eas iudicantur bonæ,uel malæ. Delectationes reſpicientes res extra animam, exiſtentes in ratione obiecti, & non operationes ſuas,diſtinguuntur, & ſpecificantur ſimpliciter,ut nunc loquimur, per obiecta, quæ reſpiciunt, & non operationes præcedentes, cum non præcedant in ratione obiecti in patria. Ergo eſt duplex delectatio, quædam de uiſione dei,& quædam de deo uiſo. Prima habet pro obiecto immediato uiſionem dei. Secunda ipſum deum. Et quia quælibet ab obiecto immediato ſpecificatur: ſecunda eſt ſimpliciter nobilior prima. Et ipſa ponitur Beatitudo formalis, ſicut, & eius obiectum Beatitudo obiectiua. Ad quintum dicendum, quòd aliquid eſſe proprium bonum illius, qui delectatur poteſt eſſe dupliciter. Vel obiectiuè, uel formaliter: uel extrinſecè, uel intrinſecè immediatum. Ergo obiectum delectationis oportet, quòd ſit aliquo iſtorum modorum bonum proprium illius,qui delectatur. Et ſic eſt in propoſito. Deus enim eſt ſummum bonum hominis extrinſecum,à quo dependet totum bonum hominis intrinſecum. Et cum dicitur, quòd illud, quod dicitur tale per denominationem extrinſecam, non conuenit alicui, niſi ratione formalis denominationis. Dicendum,quòd uerum eſt. Deus enim nõ eſſet bonum hominis extrinſecum, niſi poſſet attingi per aliquam operationem, uel actum nobis formaliter inhærentem; ſed hic actus non eſt ſolius intellectus; ſed etiam uoluntatis. Eſt igitur deus ſummum bonum hominis extrinſecum: quia ipſum poteſt Beatus uidere, & in ipſo uiſo delectari immediatè: & talis delectatio ponitur Beatitudo formalis: non autem ipſa uiſio. Rationes igitur non concludunt.

*Elucidatio auctoritatũ quæ aduerſariorum opinioni fauere uidebãtur.*

RESTAT NVNC reſpondere ad auctoritates,quibus, conantur confirmare dictam poſitionem.

AD PRIMAM, cum dicitur,quòd hæc eſt uita æterna &c. Reſpondebitur,reſpondendo ad rationes principales. Ad auctoritatem Beati Auguſtini dicendum, quòd iſti met actus ſunt coniuncti,& connexi in Patria.ſ.uidere deũ perfectè,amare deum,& habere deũ omnino annexi ſunt. Nam,qui perfectè uidet, perfectè amat,& habet. Et ideo in ſanctorum uerbis propter connexionem iſtorum actuum,quod eſt unius,attribuitur alteri: magis autem attribuitur uiſioni propter hoc, quòd in uiſione diſtinguuntur ſtatus patriæ à ſtatu uiæ. Non ſic in delectatione: quia utrobique dilectio: ſed in patria uiſio, non in uia; ſed credulitas de deo uiſo. Ad auctoritatem Magiſtri dicendum, quòd auctoritas non eſt pro eis. Nam illud dicit magiſter opinatiuè; ſed ſtatim dicit oppoſitum determinatiuè. Vnde immediatè poſt illa uerba ſubiungit. Põt etiam accipi par gaudium, & non feratur paritas ad intenſionem affectionis gaudentiũ; ſed ad uniuerſalitatem rerum, de quibus gaudebunt: quia de omni re. Vnde gaudebit unus gaudebunt omnes: hæc magiſter. Erit igitur cum diſpari claritate par gaudium, quantum ad uniuerſitatem eorum, de quibus gaudebunt; non autem,quantum ad intenſionem gaudentium. Ex quibus ſequitur, quòd intenſio gaudij arguit intenſionem Beatitudinis; & per conſequens Beatitudo in gaudio, ſiue in delectatione conſiſtit, ut dicit Beatus Auguſtinus li. confeſsionum dicens, quòd Beatitudo eſt gaudium de ueritate. Et alibi dicit, quòd beatè uiuere eſt bonis, ueris, certiſque gaudere. Et confirmatur ulterius ex dictis Magiſtri ibidem. Nam ſtatim poſt illa uerba dicit ſic. Poſt hoc quæri ſolet. Si Beatitudo ſanctorum maior ſit futura poſt iudicium, quàm ante? Quòd ſine omni ſcrupulo credendum eſt eos habituros maiorem gloriam poſt iudicium, quàm ante: quia & maius erit eorum gaudium, ut ſupra teſtatus eſt Auguſtinus. Hæc Magiſter. Hæc autem ratio nihil concluderet; ſi Beatitudo non conſiſteret in delectatione, uel gaudio de deo habito: immò, ut plus loquar, Beatitudo formalis,de qua loquimur, non eſſet ipſum gaudium eſſentialiter. Ad auctoritatem Ariſt. dicendum,quòd ipſe non cognouit Beatitudinem,de qua loquimur: & ideo auctoritas ipſius non eſt ad propoſitum admittenda. Patet igitur,quid dicendum ad rationes,& motiua alterius opinionis; & per conſequens ſecundus articulus.

*Lib. 10. confeſsion. Cap. 23. L.K. Tom. 1.*
*Lib. 4. diſt. 49. L. X.*

## ARTICVLVS TERTIVS.

RESTAT uidere de tertio articulo. Vtrum intellectus ſit nobilior potentia, quàm uoluntas, uel econuerſo? Pro cuius declaratione. Primo præmitto,opinionem contrariam cum ſuis fundamentis. Secundo poſitionem Doctoris ſolennis cum rationibus,quibus moueor. Tertio opinionis contrariæ rationes diſſoluentur.

QVANTVM ad primum eſt una opinio, quæ ponit, quòd intellectus eſt ſimpliciter nobilior uoluntate, quod probatur ex dictis opinantium multipliciter. Primo ſic. Potentia cognoſcens formaliter eſt ſimpliciter nobilior potentia non cognoſcente: patet: quia potentia non formaliter cognoſcens eſt cæca; & per conſequens imperfectior; ſed intellectus eſt potentia formaliter cognoſcens: uoluntas autem non: ergo, &c. ET confirmatur ratio per Ariſt. primo politicæ,ubi dicit, quòd intellectus principatur appetitui: quia intellectus eſt ſciens: appetitus autem non. Sed hoc uerificatur non ſolum de appetitu ſenſitiuo; ſed etiam de appetitu intellectiuo, qui eſt uoluntas: ergo, &c. Secundo. In genere potentiarum animæ illa potentia eſt nobilior, quæ eſt libera ſimpliciter,& domina ſui actus; intellectus eſt huiuſmodi: ergo. Maior patet. Minor probatur: quia uoluntas non habet dominium,nec libertatem, niſi ab intellectu; & per conſequens intellectus eſt ſimpliciter liberior uoluntate: quia. Propter unumquodque tale,&c. Primo poſteriorum. Tertio. Illa potentia, per quam ipſa creatura efficitur ſimilior ipſi deo, eſt ſimpliciter perfectior in creatura. Intellectus eſt huiuſmodi: ergo. Probatur Minor: quia in deo eſt omnis ratio eſſendi; ſed per intellectum creatura rationalis eſt quodam modo omnia; non autem per uoluntatem: ergo per intellectum rationalis creatura ſimilior efficitur ipſi deo, quàm per uoluntatem; & per conſequens intellectus nobilior.

*Cap. 2.*
*Tex. c. 9.*

Quarto. Illa potentia eſt nobilior, cuius obiectũ eſt nobilius; intellectus eſt huiuſmodi: ergo. Minor probatur: quia uerum, quod eſt obiectum intellectus, eſt ſimplicius,& ſecundum rationem prius, quàm bonum,quod eſt obiectum uoluntatis;& per conſequens nobilius. Antecedens probatur: quia bonum,& malum ſunt in rebus; uerum autem eſt in anima; ſed quod eſt in anima habet eſſe ſimpliciter illo,& ſecundum rationem prius,quàm illud,quod eſt in re: ergo. Quinto. Nobilius eſt illud,quod rationale eſt per eſſentiã, quàm illud,quod eſt per participationem; ſed intellectus eſt rationalis per eſſentiam; uoluntas autem per participationem, ſecundum Ariſt. primo ethicorum: ergo,&c. Probatur Maior per Beatum Auguſtinũ primo libro retractationum ubi dicit quòd homo eſt rationalis,& propter hoc excellit; ex quo ſequitur,quòd rõnale per eſſentiã eſt nobilius non rationali. Sexto. Illa potentia eſt nobilior, quę ad plures rationes in entibus ſe extendit,intellectus eſt huiuſmodi: ergo. Minor probatur: quia uoluntas ſolum ſe extendit ad rationem boni: intellectus autem ad hãc, & ad aliam.

*Propoſitio hæc eſt Ari. 6. Metaphyſ. Tex. cõ. 8.*
*Cap. 18. Cap. 1. L. F. Tom. 1.*

Septimo. Omne mouens eſt nobilius moto; ſed intellectus mouet uoluntatem tertio de anima: ergo.

*Tex. c. 49.*

Octauo. Illa potentia eſt nobilior, quæ attingit immediatè ſuum obiectũ, quàm illa, quæ attingit obiectum mediante quodam alio; ſed intellectus attingit obiectum ſuum immediatè; uoluntas autem non; ſed mediante intellectu: quia obiectum uoluntatis eſt bonum cognitum: ergo. Nono. Illa potẽtia eſt, nobilior, quæ habet in ſe perfectionem, quàm illa, quæ quærit perfectionem ſuam ab aliquo extrinſeco; talis eſt intellectus reſpectu uoluntatis: ergo. Minor probatur: quia intelligere eſt motus rei ad animã; uelle autem eſt motus animæ ad rem. Decimo. Illa potentia eſt nobilior, cuius actus eſt purior, & perfectior; talis eſt actus intellectus,& non uoluntatis: ergo. Minor probatur dupliciter. Primo ſic. Quia ſi peſſimum eſt peius peſsimo in aliquo genere. Illud ſimpliciter eſt peius; ſed peſsimus actus uoluntatis, ut odire deum eſt peior peſsimo actu intellectus, qui eſt infidelitas: ergo ſequitur, quòd actus uoluntatis ſit ſimpliciter peior actu intellectus. Et ſic actus intellectus eſt ſimpliciter perfectior. Secundo. Quia ſcire malum non eſt malum, uelle autem malum eſt malum: ergo actus uoluntatis eſt ſimpliciter peior actu intellectus; & per conſequens ſequitur idem quod prius.

*Confirmatio huiuſce opi. plurib. Auctoritatib.*

HAEC OPINIO confirmatur primo auctoritate Beati Auguſtini 2. de libero arbitrio, ubi dicit quòd intelligentia hominis eſt præſtantiſsima. Item in eodem li. dicit, quòd ſenſus communis eſt nobilior: quia iudicat de ſenſu particulari: ergo cum intellectus iudicet de uoluntate, erit nobilior uoluntate per eãdem rationem. Item Auctoritate Damaſceni libro 3. ubi dicit, quòd intellectus eſt iudex: eſt ergo nobilior. Item Auctoritate Ariſt. ſexto, & decimo ethicorum, qui hoc aſſerit à propoſito. Item Auctoritate Euſtachii ſuper eodem, qui dicit quòd intellectus principatur: ergo,&c. Et hæc de primo.

*Cap. 3. 9. Tom. 1.*
*Cap. 16. Cap. 8. Ca. 10. 13. & 16.*

QVANTVM ad ſm Doctor ſolennis tenet contrarium, & cõmunis opin. in diuerſis locis. Et ideo teneo, quòd uoluntas ſimpliciter nobilior eſt intellectu, quàmuis in ſua operatione ipſum præſupponat neceſſario, ſicut intellectns nobilior eſt ſenſu, licet ipſum præſupponat ordine naturę. Hanc concluſionem probo multipliciter. Primo. Sic. In potentijs eſſentialiter ordinatis poſterior origine eſt prior perfectione; & per conſequens nobiliſsima perfectione. Hoc habetur per Ariſt. ſecundo Politicæ. Et à Cõmentatorẽ 6. ethicorũ, & poteſt haberi ex dictis Ariſt. 8. phyſicorum, ubi dicit motum localem, qui ſequitur alios motus in eodem indiuiduo eſſe nobiliorem aliis motibus. Igitur ſi medium Ariſt. cõcludit in eſſentialiter ordinatis, quod eſt poſterius origine, eſt prius perfectione; etiam patet per rationem. Quia natura ſemper procedit de imperfecto ad perfectum; non autem econuerſo; ſed potentiæ animæ ſunt eſſentialiter ordinatę; & certum eſt, quòd uoluntas origine poſterior eſt intellectu: ergo eſt ſimpliciter perfectior intellectu. Secundo ſic. In regno potentiarum animæ illa potentia eſt nobilior, quæ eſt libera formaliter, & domina ſui actus: hæc eſt uoluntas, & non intellectus: ergo. Maior patet, cõceditur etiam ab aduerſariis. Minor probatur ex articulo præcedẽti. Et ponit eam expreſsè Beatus Auguſtinus. 1. de libero arbitrio. & 83. quæſtionum. Et ſi nũquam aliquis poſuiſſet eam, quẽlibet docet experientia. Tertio. Sicut ſe habet ratio obiectiua uolũtatis ad rationem obiectiuam intellectus in perfectione; ita uoluntas ad intellectum: patet: quia ſicut æqualitas obiectorum arguit æqualitatem potentiarum; ita inęqualitas inæqualitatem: patet etiam per eos,qui dicunt, quòd illa potentia eſt nobilior, cuius eſt obiectum nobilius; ſed ratio obiectiua uoluntatis eo modo, quo diſtinguitur à ratione obiectiua intellectus, eſt nobilior ipſa: ergo. Probatur Minor tripliciter. Primo ſic. Illa ratio eſt nobilior, cui competit ratio bonitatis per ſe, quàm illa, cui conuenit per neceſsitatem alterius; ſed ratio bonitatis, quæ ponitur ratio obiectiua uoluntatis, eſt per ſe ipſam bona: ratio autem ueritatis, quæ per eos ponitur ratio obiectiua intellectus, non eſt bona, niſi per rationem bonitatis uoluntatis: ergo ratio obiectiua uoluntatis, ut diſtinguitur à ratione obiectiua intellectus, eſt nobilior ipſa. Et uerè mirabile uidetur, quòd ratio aliqua ponatur melior ratione bonitatis: cum nihil ſit bonum, niſi per bonitatem. Secundo ſic. Qualem ordinẽ ſeruant aliqua realiter, ubi diſtinguuntur realiter; talem ſeruant ordinem ſecundum rationem, ubi diſtinguuntur ſecundum rationem; ſed ſi ratio bonitatis diſtingueretur realiter à ratione ueritatis, eſſet realiter nobilior ipſa: quia ratio ueritatis nullam bonitatem haberet, niſi per aliquid diſtinctum ab ea realiter: ergo eo modo, quo nunc diſtinguitur ratio bonitatis, erit nobilior ratione ueritatis. Tertio. Quod habet rationem finis, ut ſic, nobilius eſt his, quę ſunt ad finem; ſed ratio bonitatis, quæ ponitur rõ obiectiua uoluntatis, habet rationem finis: finis enim, & bonum idẽ ſunt: ratio autem ueri, ut diſtinguitur à ratione boni, non habet rationem finis: ergo ratio boni, ut diſtinguitur à ratione ueri eſt nobilior ipſa.

*D. Tho. 1. par. ſum. q. 82. art. 3. Itẽ de uer. q. 22. art. 11.*
*Cap. 3. Cap. 5. Tex. c. 57.*
*Cap. 8.*
*Tom. 1. Quæſt. 8. Tom. 4.*

ET CONFIRMATVR iſta ratio per Ariſt. primo ethicorum: ars enim, quæ conſiderat de fine ultimo, eſt architethonica, & ſcientia de cauſa finali ſecundum Auicennam 6. naturalium capitulo ultimo eſt nobiliſsima: ergo. Si ſic eſt. Illa potentia, cuius ratio obiectiua eſt ratio boni; & per conſequens ratio finis, eſt ſimpliciter nobiliſsima, talis eſt uoluntas: ergo. Quarto. Perfectibile, quod ſecundum ſe perficitur nobiliori perfectione, eſt ſimpliciter nobilius; ſed uoluntas perficitur nobiliſsimo habitu, qui eſt caritas: ergo. Maior habetur à Commentatore ſexto ethicorum, ubi dicit, quòd quorum perfectiones ſupponuntur, & ipſa ſupponuntur. Minor eſt Apoſtoli ſic dicentis, quòd ſcientia, quæ pertinet ad intellectum, inflat: caritas uero, quæ pertinet ad affectum, ædificat. Et alibi Apoſtolus dicit. Si habuerim omnem ſcientiã, & nouerim myſteria omnia, & habuerim fidem, ita ut montes transferam: caritatem autem non habeam, nihil ſum. Ex quibus omnibus concludit, quòd maior omnium eſt caritas.

*Cap. 1.*
*1. Cor. 8.*
*1. Cor. 13.*

ET CONFIRMATVR: quia ſi intellectus eſſet nobilior uolũtate; ſequeretur quòd aliquis habitus poſſet eſſe nobilior caritate, quod patet eſſe falſum ex articulo pręcedenti. Conſequentia patet: quia cuilibet perfectibili correſpondet proportionata perfectio. Quinto. Potentia diligens ultimum finem formaliter, & ea, quę ſunt ad finem, eſt nobilior potentia ſimpliciter non diligente; hoc patet: quia per debitam dilectionem ultimi finis; & eorum, quæ ſunt ad finẽ acquiritur beatitudo formalis, in qua conſiſtit totum bonum hominis intrinſecum; & per cõſequens potentia diligens formaliter eſt ſimpliciter nobilior, & perfectior non diligente: cum tota perfectio creaturæ rationalis ad ſummam iſtam Beatitudinem finaliter ordinetur. Conſtat, quòd uoluntas eſt potentia formaliter diligens; non autem intellectus: ergo. Sexto. Illa potẽtia eſt ſimpliciter nobilior, cuius actus purior, & perfectior eſt; ſed actus uoluntatis perfectior eſt ſimpliciter actu intellectus; non autẽ

ēconuerſo:ergo.Minor fuit ſufficienter probata in articulo præcedenti.Et poteſt confirmari ex dictis eorum. Quia ſi nobiliſsimum eſt nobilius nobiliſsimo in aliquo genere.Illud eſt nobiliſsimum ſimpliciter;ſed nobiliſsimus actus uoluntatis,qui eſt diligere deum eſt, nobilior nobiliſsimo actu intellectus, qui eſt cognoſcere deum:quia in his, quæ ſunt ſupra animam,& pręcipuè dilectio dei cognitioni præfertur etiam per eos, ut ſtatim per eos in præcedenti articulo extitit declaratum. Septimo. Illa potentia ſimpliciter eſt nobilior,per cuius actum creatura rationalis magis coniungitur ipſi deo ; ſed hoc eſt per uoluntatem, & non per intellectum:ergo.Maior patet:quia tota perfectio creaturæ rationalis conſiſtit in coniunctione, & adeptione ipſius dei.Probatur Minor dupliciter. Primo. Quia per actum intellectus coniungimur ipſi obiecto ſecundū eſſe,quod habet in cognoſcente. Per actum uoluntatis coniungimur ei ſecundum eſſe, quod habet in ſe ipſo.Sed ſecunda unio eſt maior prima:ergo.Secundo:quia uoluntatis eſt magis inclinare,quàm intellectus:cum inclinatio ſit propter coniunctionem; ſequitur, quòd per actum uoluntatis magis coniungimur deo:ergo. Octauo. Illa potentia eſt ſimpliciter nobilior,propter cuius actum eſt actus alterius potētię:hoc patet:quia . Propter unumquodque tale,&c. Sed actus intellectus eſt propter actum uoluntatis ſecundum Anſelmum in lib. cur deus homo in principio lib. Et ſecundum Beatum Auguſtinum in de cognitione uere uitæ:ergo. Nono. Illa potentia eſt ſimpliciter nobilior inter potentias animę,quæ mouet omnes alias ad actus ſuos,eis imperando : patet; quia mouens eſt nobilius moto,etiam per eos, & præcipuè ſi moueat, aliis imperando ; ſed uoluntas uerè mouet alias potentias animæ noſtræ ad actus ſuos, eis imperādo,ut dicit Anſelmus in lib.de ſimilitudinibus. Et experientia docet, & dictat recta ratio: aliter non haberet actum elicitum,& imperatum,quod non ſolum eſt falſum;immò contra opinantes:ergo. Decimo. Illa potētia, quę reſpicit rationem referibilem ad aliā obiectiuè, eſt minus nobilis potentia reſpiciente rationem irreferibilem; ſed intellectus reſpicit obiectiuè rationem referibilem ad aliam:uoluntas autem nō; ſed ad rationem irreferibilem:ergo, &c. Maior patet: quia ratio referibilis in aliam eſt minus nobilis ratione non referibili. Probatur Minor:quia,ut dictum eſt, bonum,& finis eſt obiectum uoluntatis:finis autem,ut ſic,non eſt in aliud referibile. Verum autem, ut ſic,eſt in aliud referibile, & in aliud ordinabile:ergo.

*1.Poſter. tex.c.5. Cap.1. Tom.9.*

*Præfatæ opinion, confirmatio, tum Sāctorū Patrū, tum Philoſophorum auctoritatib.*

HAEC autem poſitio confirmatur. Primo. Auctoritatibus Sanctorum. Nam Beatus Auguſtinus in 2.lib.de libero arbitrio per totum,& Richardus in lib. qui incipit. Omne caput languidum cap.4. & 6. Et Anſelmus ſimiliter in de conceptu uirginali cap. quarto dicunt,quòd uoluntas eſt digniſsima inter potentias animæ. 2. Auctoritatibus Philoſophorum. Vnde Ariſto. 12. metaphyſicæ,& Auicenna dicunt,quòd appetitus eſt uerè deus, & loquuntur de appetitu intellectiuo, qui eſt uoluntas : ergo. Et hæc de ſecundo.

*tex. c.36.*

RESTAT ergo nunc reſpondere ad rationes alterius opinionis. AD primum,cum dicitur. Vel dicebatur,quòd potentia cognoſcens formaliter eſt nobilior,&c. Dicendum,quòd unam potentiam eſſe nobiliorem altera,poteſt intelligi dupliciter.Vel ſimpliciter,uel ſecundum quid.In his autem, quæ ſunt citra Primum nobile ſimpliciter, poteſt eſſe minus nobile ſecundum quid:& ideo non eſt aliqua repugnantia, ꝙ intellectus ſit nobilior ſecundū quid:quia cognoſcens: uoluntas autem non. Et tamen uoluntas ſimpliciter eſt nobilior intellectu : quia formaliter diligens : non autem intellectus : dilectio autem ſimpliciter cognitioni præfertur ex articulo pręcedenti. Dicendum ergo, quòd potentia cognoſcens formaliter eſt nobilior ſm quid potentia non cognoſcente, ut potentia nō cognoſcens habet aliquam perfectionē excedētem cognitionem:& ſic eſt in propoſito. Et ideo ratio nulla eſt;& per idem patet, quid eſt dicendum ad confirmationem Ariſtot. quia intellectus,inquantum ſciens,eſt aliquo modo nobilior;non ſimpliciter,ſed ſecundum quid.

*Confutatio cuiuſdā reſpon. quod priori obuiare uidetur.*

NEC ualet. Si dicatur contra hoc, quòd formaliter cognoſcens,& ſimpliciter, dicit perfectionem ſimpliciter,non tantum ſecundum quid ; & per conſequens potentia cognoſcens formaliter,non ſolum ſecundum quid ; immò ſimpliciter eſt nobilior non cognoſcēte. Nam per eandem rationem probatur eis,ꝙ uoluntas ſimpliciter ſit nobilior : quia uelle formaliter dicit perfectionē ſimpliciter:cum reperiatur in deo formaliter:ergo potentia uolens formaliter eſt ſimpliciter perfectior potentia non uolente formaliter:talis eſt uoluntas reſpectu intellectus : ergo ſimpliciter eſt nobilior ipſo : & ſic eſſet idem nobilius ſimpliciter, & minus nobile ſimpliciter,quod eſt oppoſitum in adiecto. Et ideo dicendum,quòd eo ipſo, quòd cognoſcere dicit perfectionem ſimpliciter, potentia cognoſcēs ſimpliciter dicitur nobilior potentia non cognoſcente, nec aliquam perfectionem ſimpliciter includente. Non autem ſic eſt in propoſito:quia uoluntas includit aliquam perfectionē ſimpliciter, quę cognitioni præfertur,ut dictum eſt, & ideo ratio non concludit. Et poteſt dari per eos inſtantia manifeſta:quia intellectus agens non cognoſcit formaliter:& tamen eſt nobilior intellectu poſsibili ſimpliciter, ut dicunt, licet hoc nō credam uerum eſſe; Suppoſito,quòd intellectus agens ſit aliquid in nobis:ergo non oportet,quòd potentia cognoſcens formaliter ſit nobilior,&c. Ad ſecūdum conceſſa Maiori,negatur Minor: intellectus enim non eſt potentia libera,nec domina ſui actus,ut patet ex dictis, & ideo ipſa met ſola ponitur nobiliſsima ſimpliciter.Et cū dicitur,ꝙ uoluntas non habet dominiū formaliter,nec eſt domina ſui actus, nec libertatē, niſi ab intellectu.Dicendū,ꝙ uoluntas non habet libertatem formaliter ab intellectu:cū intellectus nō ſit liber; ſed ſeipſa formaliter eſt libera; habet tamen cauſaliter libertatem ab ipſo,tanquàm à cauſa ſine qua non; inquantum cognitio naturaliter præcedit actum uoluntatis perfectum:habere autem ſic libertatem ab intellectu non arguit libertatem aliquam in ipſo.

Ad tertium reſpondēdum eſt per interemptionē Minoris: nam creatura rationalis non efficitur ipſi deo magis ſimilis per intellectum: quàm per uoluntatem; immò potius econuerſo. Et cum dicitur, quòd in deo eſt omnis ratio eſſendi;ſed per intellectum creatura rationalis eſt quodam modo omnia; non autem per uoluntate dicendum, quòd falſum eſt. Nam, cum iſtæ potentię ſint æqualis ambitus obiectiuè, tam per intellectum,quàm per uolūtatem ſumus aliquo modo omnia,& perfectius per uoluntatem, quàm per intellectum. Quia per intellectum aſsimilamur obiecto ſecūdum eſſe,quod habet in nobis. Per uoluntatem aſsimilamur eidem ſecundum eſſe,quod habet in ſe ipſo. Et quia iſta aſsimilatio perfectior eſt,quàm prima : idcirco creatura rationalis ſimilior efficitur ipſi deo per uoluntatem, quàm per intellectum : ratio igitur iſta magis eſt contra eos,quàm pro eis. Ad quartum dicendum per interemptionē Minoris:quia, ut oſtenſum eſt ſupra,obiectum uoluntatis,ut diſtinguitur ab obiecto intellectus,eſt nobilius ipſo, & nō econuerſo. Nec probatio ualet;immò habet multos defectus. Primus eſt, quòd obiectum uoluntatis ſecundum dicta eorum erit nobilius:dicunt enim,quòd deus,uel quodcunque aliud eſt obiectum uoluntatis ſecundum eſſe, quod habet in ſe:obiectum intellectus ſecundum eſſe, quod habet in anima.Sed conſtat, quòd quęlibet res de prędicamento ſubſtantiæ ſaltem, nobilius eſſe habet in ſe ipſa, quàm in anima noſtra,& præcipuè deus ipſe:obiectum ergo uoluntatis eſt nobilius obiecto intellectus. Secundus defectus eſt:quia obiectum intellectus non eſt ſimplicius, nec ſecundum rationem prius obiecto uoluntatis



uoluntatis per eos. Deus enim habet eſſe ſimplicius, prout habet eſſe in ſe; & ſecundum rationem prius, eſt, quàm prout eſt in nobis : & tamen per eos primo modo eſt obiectum uoluntatis:& ſecundo modo eſt obiectum intellectus:ergo obiectum uoluntatis eſt ſimplicius obiecto intellectus : & ſecundum rationem prius;& non econuerſo.Tertius defectus eſt,quòd non oportet,quòd in creaturis quāto quid ſimplicius, tanto ſit nobilius:aliàs cum imago hominis in ſpeculo ſit ſimplicior ipſo homine,eſſet nobilior ipſo,quod eſt falſum:non obſtante ergo, quod habeant aliqua obiecta ſimplicius eſſe in anima,quàm in ſe ipſis;tamen nō ſequitur,quòd nobilius. Ad quintum dicendū,ꝙ eſſe rationale per eſſentiam, poteſt intelligi tripliciter:Vel quantum ad actum, uel quantum ad potentiā, uel quantum ad animam. Si intelligatur primis duobus modis,falſum eſt,quod aſſumitur : quia rationale per eſſentiam quantum ad actum, & potentiam idem eſt,quòd eſſe cognoſcens,ſiue intelligens formaliter. Sed oſtenſum fuit in ſolutione primi argumenti, quòd potentia cognoſcens, ſiue intelligens formaliter non oportet,quòd ſit nobilior ſimpliciter potentia non cognoſcente:ergo ſub iſto ſenſu maior eſt falſa. Si autē intelligatur 3. modo, habet ueritatem;ſed tunc nō eſt ad propoſitum: quia uoluntas iſto modo eſt rationalis per eſſentiam;ſicut intellectus,cum fundetur in eadem eſſentia animę,& natura cum intellectu.Et cum dicitur,quòd ſecundum Beatum Auguſtinum, homo eſt rationalis,& propter hoc excellit.Dicendum,quòd uerū eſt,quantum ad naturam: eo quòd eſt animal rationale.Sed tunc non ſumitur rationale, quātum ad actum, nec quantum ad potentiam. Ad ſextum dicendum per interemptionem Minoris : nam patet ex primo articulo, non obſtante diſtinctione rationis, quæ ponitur inter rationes obiectiuas intellectus, & uoluntatis,intellectus ęqualis ambitus obiectiuè eſt cum uoluntate. Et ideo intellectus non ſe extendit ad plures rationes in entibus,quàm uoluntas, nec econuerſo. Et cum dicitur,quòd uoluntas ſolum ſe extendit ad rationem boni:intellectus autem ad hanc, & ad omnē aliā. Dicendum,quòd ens,& bonum conuertuntur : & ideo nulla ratio poteſt dari in re,quæ non ſit ratio boni,uel quòd ipſam non præſupponat:& ideo non concludit.

Ad ſeptimum dicendum,quòd illud,quod mouet aliud imperatiuè,eſt nobilius. Illud autem, quod mouet ſolum oſtenſiuè,non oportet,quòd ſit nobilius niſi tantum ſecundum quid. Primo modo uoluntas mouet intellectum, & non econuerſo,ut patet ex nona ratione. Secundo modo intellectus mouet uoluntatem oſtendendo ei obiectum:& ideo nō ſequitur,quòd ſit nobilior. Ad octauum dicendum, quòd idem argumentum poteſt fieri contra eos: cum enim intellectus intelligat per ſpeciem; & per conſequēs mediatè: uoluntas autem non fertur in ſuum obiectum mediante ſpecie; ſed immediatè, ſequitur per eandem rationem,quòd uoluntas ſit nobilior.Item cum ſenſus tendat in ſuum obiectum immediatè; intellectus autem mediante ſenſu:ſicut uoluntas mediante intellectu : ergo ſenſus ſimpliciter nobilior eſt intellectu.Et ideo dicēdum ad rationem,quòd totum illud aggregatum. ſ. bonum non eſt obiectum primum uoluntatis; ſed ſolū bonum cognitum.Illud autem eſt quædam ratio annexa obiecto,& non obiectum. Ad nonum de imperfectione eſt dicendum, quòd iſta propoſitio uniuerſaliter ſumpta falſa eſt per eos:aliàs potentia paſsiua, quæ habet in ſe perfectionem formaliter inhærentē,eſſet nobilior potentia actiua,quæ non habet in ſe perfectionem formaliter:cum actio non ſit in agente; ſed in patiente,ut dicitur communiter.Et ulterius,cum dicitur,quòd intellectus in ſe habet perfectionem:uolūtas autem quærit ab aliquo extrinſeco. Aut per perfectionem intelligitur habitus. Aut actus. Aut obiectū. Si uerò nomine perfectionis intelligatur habitus, propoſitio falſa eſt : quia ſicut habitus intellectualis manet in intellectu, ſic habitus uoluntatis manet in uoluntate. Et ſimiliter de actu:quia actus uoluntatis manet in uoluntate, ſicut actus intellectus manet in intellectu. Si autem nomine perfectionis intelligatur obiectum,nihil ad propoſitum: quia obiectum intellectus ſecundum eſſe,quod habet in ſe ipſo,non inhæret intellectui ſicut nec obiectum uoluntatis inhæret uoluntati.

*Obiectio haud ſpernenda.*

ET SI dicatur,quòd obiectum intellectus, ut ſic,habet eſſe in intellectu:quia intelligere eſt motus rei ad animam. Dicendum,quòd ex hoc magis arguitur oppoſitum intellectus,quàm propoſitum : quia perfectio conſiſtit in transformatione, & aſsimilatione ad obiectum : ſed uoluntas magis transformatur in obiectum, & aſsimilatur ei ex ſolutione tertiæ rationis:cum uelle ſit motus animæ ad rem : ergo uoluntas eſt ſimpliciter nobilior intellectu. Ad decimum, & ultimum dicendum per interemptionem Minoris:nam patet ex ratione, & articulo præcedenti,quòd actus uoluntatis eſt ſimpliciter nobilior. Et cum dicitur. Primo,quòd ſi peſsimum ſit peius peſsimo in aliquo genere. Dicendum, quòd iſta ratio eſt totaliter ad oppoſitum : eo enim ipſo, quòd actus uoluntatis eſt ſimpliciter peſsimus, ut odire deum ; ſequitur, ꝙ actus,qui opponitur illi actui, qui eſt diligere deū, eſt optimus:nam ſecundum Ariſto. 8.Ethic. peſsimum eſt contrarium optimo. Poteſt tamen dici ad rationē. Quod eſt peſsimum peioritate naturę, & eſt peſsimū peioritate culpæ. Actus ergo uoluntatis non eſt peſsimus peioritate naturæ; ſed eſt peſsimus peioritate culpæ. Quando ergo dicitur, quòd ſi peſsimum eſt peius peſsimo in aliquo genere, illud ſimpliciter eſt peius. Dicendum,quòd uerum eſt de peioritate naturæ: non autem de peioritate culpæ. Cuius ratio eſt:quia quantumcunque natura aliqua nobilior, tanto culpa grauior. Et ideo eo ipſo, quòd actus uoluntatis eſt peior peioritate culpæ:concluditur neceſſariò, quòd uoluntas ſit ſimpliciter nobilior. AD ſecundam probationem,cum dicitur, quòd ſcire malum non eſt malum,&c. Dicitur, quòd eo ipſo, quòd actus ei oppoſitus,qui eſt diligere deum,eſt optimus. Vel dicendum, quòd uelle malum eſt malum,non malitia naturæ; ſed malitia culpę.Sic dicendum eſt de peioritate.

*Cap.7.*

AD auctoritates dicendum. Ad primam cum dicitur, quòd intelligentia hominis eſt præſtantiſsima,ſecundum Beatum Auguſtinum. Dicendum, quòd ipſe intelligit pro intelligentia totam animam intellectiuam, & non intellectum, ſecundum quod diſtinguitur contra uoluntatem, quod patet per eum alibi, quod uoluntas eſt digniſsima, ut allegatum eſt ſupra. Ad aliam de ſenſu communi dicendum, quòd ad iudicandum duo requiruntur.ſ.cognitionis ueritas, & præſidentia auctoritatis. Et quia iſta duo habet ſenſus communis reſpectu ſenſus particularis:idcirco poteſt iudicare de ipſo ; & per conſequens eſt nobilior. Intellectus autem habet ueritatem cognitionis; ſed non habet præſidendi auctoritatem reſpectu uoluntatis;immò potius econuerſo, ſicut patet ex nona ratione ad principale. Et ideo non ſequitur,quòd ſit nobilior. Ad auctoritates Damaſceni, cum dicitur,quòd intellectus eſt iudex. Dicendum, quòd intelligit per intellectum totam animam intellectiuam,quod patet ex dictis ſuis:quia ipſe dicit, quòd deus per intellectum unitus eſt carni.Certum eſt autem, quòd per intellectum non poteſt intelligere potentiam intellectiuam:quia non eſt unitus carni per potentiam intellectiuam;ſed mediante tota anima.Vel dicendum,quòd intellectus eſt nobilior ſecundum quid : quia iudex, hoc eſt,cognoſcens;non autem ſimpliciter. Ad auctoritatem Ariſt.& commentatoris, dicendum, quòd eodem modo accipiunt pro intellectu totam partem intellectiuam,prout comprehendit uoluntatem.Si autem

tem ex totò eſſet intentio ſua ad oppoſitum. Negatur: quia Ariſtotiles non cognouit habitum caritatis, qui ponitur in uoluntate. Et ideo fortè dixit intellectum nobiliorem, quod tamen non credo eſſe de intentione ſua: cum ipſe dicat, quòd appetitus eſt uerè dominus. Et hæc de tertio. Sic igitur patet articulus; & per conſequens tota quæſtio.

AD RATIONES principales. Ad primam, cum dicitur, quòd ſicut ſe habet inæqualitas obiectorum ad inæqualitatem potentiarum, &c. Dicendum, quòd ſicut patet ex primo articulo. Aliqua diſtinctio ponitur inter rationes obiectales intellectus, & uoluntatis, propter quam ratio obiectiua uoluntatis, ut ſic, ponitur nobilior, ut deductum eſt in iſto articulo. Ad ſecundum, cum dicitur, quòd in actu nobilioris potentię conſiſtit beatitudo formalis. Dicēdum, quòd, ſicut patet in ſecundo articulo. Beatitudo formalis ponitur in actu uoluntatis, & non in actu intellectus. Et cum dicitur, quòd dicitur, quòd hæc eſt uita æterna, ut cognoſcant te deum uerum. *Ioan. 17.* Dicēdum, quòd ad uiſionem dei ſequitur ſumma delectatio: & ideo uiſio, uel cognitio dei dicitur uita æterna, non ratione ſui; ſed ratione delectationis ſibi annexæ, ut dictum eſt ſupra. Et ideo beatitudo, qua formaliter beatificamur, conſiſtit principaliter in delectatione de deo uiſo, quam beatitudinem præſtare dignetur ipſe Ieſus Mariæ Filius. Amen.

Accutiſsimarum quæſtionum ſuper tres Ariſtotelis libros de Anima celeberrimi Theologi, Philoſophique D. Alphonſi Archiepiſcopi Toletani ordinis Eremitarum Diui Auguſtini. Finis.